HERBARIUM
PEDEMONTANUM

CURANTE

ALOYSIO COLLA

Vol. IV.

TAURINI
EX REGIO TYPOGRAPHEO
1835

Ordo CIII.

CAMPANULACEÆ

(Juss: gen: p. 163. excl: gen: *Gesneriæ*, *Scævolæ*, et *Lobeliæ* = DC. th: élém: p. 216. = Bartl: ord: nat: p. 151. = Alph: DC. monogr: des Campanul: Paris 1830. = J. S. Hill: fam: I. p. 365. t. 57.).

Char: essentialis.

» *Cal:* 1-sepalus persistens ovario infero vel semi- » infero adhærens, limbo varie diviso sæpius 5-fido. » *Cor:* gamopetala regularis summo calyci inserta, » limbo ut in calyce diviso. *Stam:* tot quot calycis » divisiones distincta, antheris quandoque connatis, » polline sphærico papilloso - hirsutiusculo. *Styl:* 1. » simplex. *Stigm:* varie lobatum. *Fructus* capsularis » (*diplotegium* Desv:) 2-8-locularis, loculis polysper- » mis poris aut valvulis imperfectis dissepimentis me- » dianis dehiscentibus. *Sem:* albuminosa angulo lo- » culorum interiori adfixa. *Embr:* rectus. *Radic:* in- » fera. »

Obs: Ordo nunc satis naturalis, habitu præsertim inspecto, constans 12. generibus circiter ex Spr:, 21. ex Alph: DC. Herbæ plerumque lactescentes vel rarius suffrutices, foliis alternis rarissime oppositis exstipulatis, floribus varie dispositis sæpius conspicuis; recte

in 2. sectiones divisum ab Alph: DC. l. c., sc: capsulis *apice* vel *lateraliter* dehiscentibus.

I. Michauxia Herit: monogr: c. ic: = Spr: syst: n. 1423. = Alph: DC. 211. = Lam: ill: t. 295. = *Mindium* Juss: gen: p. 164. (*Oct: monog:*).

» *Cal*: 8-16-partitus. *Cor*: rotata 8-partita limbo » reflexo. *Stam*: 8. filamentis fornicatis. *Stigm*: 8-» fidum. *Caps*: 8-locularis basi dehiscens. »

Obs: Genus constans 2. stirpibus habitu *Campanulæ*, sed diversis partium floralium numero; herbæ asiaticæ, foliis indivisis vel pinnatifidis, floribus laxe spicatis nutantibus magnis.

1. *M. campanuloides* = Herit: l. c. et Spr: syst: II. 213. (*Syria*). Bienn: Hispida, folia crispa radicalia pinnatifida caulina lanceolata dentata, flores albido-rosei.

II. Canarina Lin: gen: ed: Schreb: n. 603. = Spr: syst: n. 1323. = Lam: ill: t. 259. = Alph: DC. 123. et t. IV. f. *B* (*Hex: monog:*).

» *Cal*: 6-partitus. *Cor*. campanulata 6-fida. *Stam*: » 6. filamentis fornicatis. *Stigm*: 6-partitum. *Caps*: » 6-locularis apice dehiscens. »

Obs: Genus uti prius *Campanulæ* simillimum, excepto numero partium floralium, constans unica specie ex ins: *Canariis* (*C. Campanula* L. mant: 225.) perenni, radice tuberosa, undique lævi, foliis hastatis denticulatis subtus glaucis, floribus e dichotomia ramorum solitariis pedunculatis cernuis magnis rufis intus fundo flavescentibus, laciniis purpureo-triner-

viis. Cult: in h. Ripul: *C. Zanguebarica* Lour: forsan pertinet ad aliud genus sec: Alph: DC. l. c. p. 125.

III. Campanula Lin: gen: ed: Schreb: n. 290. exclusis paucis stirpib: = Spr: syst: n. 788. = Lam: ill: t. 123. = *Campanulæ*, *Prismatocarpi*, *Wahlembergiæ*, *Speculariæ*, *Adenophoræ* spec: quorumdam (*Pent*: *monog*:).

» *Cal*: sæpius 5-fidus æqualis vel basi sinubus » productis. *Cor*: campanulata raro inæqualis vel sub- » rotata, limbo 5-fido. *Stam*: 5. filamentis basi di- » latatis. *Stigm*: 3-5-fidum. *Recept*: sæpius nectari- » ferum. *Caps*: 3-5-locularis foraminibus lateralibus » vel apice valvato-dehiscens. »

Obs: Genus naturalissimum quidem habitu et fructificationis partibus inspectis, sed forma in hisce quandoque varia, ex qua nonnulla nova genera statuta; extricatu difficillimum ob innumeras stirpes (187. ex Spr:, nunc autem 245. ex Alph: DC., inclusis *Specularia*, *Adenophora*, *Symphiandra*, *Musschia*, *Cephalostigma*, *Platycodon*, *Microcadon*, *Walhembergia*, et *Prismatocarpo*) per orbem sparsas, quarum plurimæ europææ. Sectiones a cl: Spr: statutas hic sequor, citatis ad opus novis Alphonsianis generibus.

Sect: I.

Campanulæ veræ

(*Cal:* basi æqualis. *Recept:* nectariferum.
Caps: poris lateralibus dehiscens.
Campanulæ spec: Alph: DC.).

A. Glabræ.

α *Caule* 1-*floro.*

❀ 1. *C. cenisia* = L. sp: 1669. = Spr: syst: I. 725. = All: sp: ped: 395. t. 5. f. 1. et fl: ped: n. 395. t. 6. f. 2. Ic: taur: vol. 10. t. 85. f. 2. Alph: DC. p. 337. (Alpib: *Pennin:*, *Cott: Pedem:* in editissimo jugo *M. Cenisii Ronche* dicto, frequens etiam in aliis editissimis et frigidis Alpium jugis ut *Safan*, *la Venoise*, *l'Argentera* ad originem fluminis *Durance* All: n. 395. Re fl: segus: p. 19. In summis jugis montis *Mori* ad locum dictum *il Ghiajaccio* unice Biroli fl: acon: I. p. 69. In *M. Rosa* septentrionem versus var: ramis valde tomentosis et foliis ciliatis Biroli mss:). Perenn: Humillima repens, folia sessilia obovata, calyx hirsutus, corolla cærulea magna ratione plantæ.

❀ 2. *C. Bellardi* = All: fl: ped: n. 396. = Spr: syst: I. 725. = All: l. c. t. 85. f. 5. (Alpib: *Ital:* et *Croat: Pedem:* in summo monte *l'Autaret* All: l. c. ex Bellardi). Perenn: Humilis erecta, folia petiolata lanceolato-ovata profunde dentata, calyx glaber, corolla cærulea. Ad *C. cæspitosam* spectare atque in-

signem var: esse scripsit All: in auct: p. 8. n. 396. Pro var: *C. pusillæ* habet Biroli mss:; *C. Bellardi* et *pusillam* jungit Alph: DC. sub *C. cæspitosa* p. 283.

3. *C. Steveni* = Spr: syst: I. 725. ex M. B. et A. DC. p. 321. (*Sibir:*, *Altaï*, *Caucaso* regione Alpium orient: sec: Fisch: pl: cauc: p. 85.). Perenn: Elata adscendens, folia crenata inferiora ovata superiora lanceolata, calyx glaber, corolla cærulea.

* 4. *C. excisa* = Schleich: pl: exsic: p. 33. et 35. sec: A. DC. p. 288. = Spr: syst: I. 726. = Gaud: fl: helv: II. p. 147. t. 2. (In arenosis lateris *M. Rosæ*, in *Simplon*, *Furca di Bosco*, ad pedem *M. Rosæ* supra *Macugraga*. Ex alpib: *Monregalensib*: allata fuit a Re app: alt: p. 193. Secus vallem *Sessitis* versus *Alagna* observavit Biroli ubi minor evadit et constanter 1-flora). Perenn: Pumila, folia integerrima rarius setaceo-denticulata inferiora oblonga superiora linearia sub-setacea, caulis quandoque 2-florus, calycis laciniæ setaceæ corolla tubuloso-infundibuliformi sinubus ad fundum exciso-orbiculatis vix breviores.

β Caule paucifloro, ramis 1-floris.

* 5. *C. pusilla* = Haënk: apud Jacq: coll: II. p. 79. = Spr: syst: I. 726. = Scheuchz: it: IV. p. 454. f. 4. sec: R. et S. V. p. 95. Vern: *Erba strucaira* (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: in rupestribus Alpium facile obvia, et prope *la Veneria* reperit Castellano sec: Re app: I. p. 13. E *Sabaud*: miserunt Perret et Huguenin). Perenn: Erectiuscula pumila, folia inferiora ovata superiora linearia, caulis sub-3-florus, calyx glaber laciniis setaceis corolla campanulata tri-

plo brevioribus. Planta polymorpha. Huc referunt Spr: et A. DC. *C. pubescentem* Schuvidt:; diversa tamen ex R. et S. l. c. p. 96.; *Pedem*: indigenam asserit Biroli mss: sine loci indicatione.

✻ 6. *C. Scheuchzeri* = Vill: delph: II. p. 502. t. 16. = Spr: syst: I. 726. = All: pedem: n. 400. t. 6. f. 1. et ic: taur: vol. 10. t. 78. f. 2. (Alpib: *Cott*:, *Pennin*: *Pedem*: in umbrosis ad radices alpis *Albergian* prope arcem *Fenestrellarum* All: l. c. In *Sabaud*: prope *Annecy* legit Perret. A *M. Cenisio* misit Bonjean. Provinc: *Novariens*: in subalpinis ubique, ad colles etiam *di Boca*, *Maggiora* etc. Biroli fl: acon: I. p. 69. sub *C. linifolia* Haenk:, Scop: non Re?). Perenn: Elata, folia lanceolato-linearia, caulis sub-3-florus. Variat foliis sub-pubescentibus denticulatis, caule 1-floro etc. Planta obscura; cons: R. et S. V. p. 101. sub *C. linifolia*; *C. linifolia* var: γ A. DC. p. 279.

7. *C. carpathica* = L. suppl: 140. A. DC. p. 319. (*Pannonia*). Perenn: Folia omnia cordata crenata ciliata, petioli longissimi.

γ *Floribus racemosis paniculatis.*

8. *C. diffusa* = Vahl: symb: I. p. 18. excl: syn: Barr: ic: 453. *C. fragilis* Tenor: fl: nap: III. p. 200. t. 119. et A. DC. p. 307. (Regno *Neapol*:). Variat modis indicatis a cl: Tenor: fl: neap: syll: p. 93.

✻ 9. *C. rotundifolia* = L. fl: lapp: 83. = Spr: syst: I. 727. = All: fl: ped: n. 398. t. 47. f. 2. var: Ic: taur: vol. 2. t. 62. et vol. 9. t. 94. f. 2. 3. *C. lanceolata* Lapeyr: sec: Spr: quæ tamen ad *C. rhomboi-*

deam refertur ab A. DC. p. 275. Vern: *Violetta piramidal* (*Eur*: Ad rupes et loca sicca vulgatissima tum *Pedem*: tum in agro *Nicæens*: All: l. c. Re fl: segus: p. 19. Ad *Supergam*, prope *il Martinetto*, et supra *M. Musinè* Re fl: tor: I. p. 126. In sylvis collium *Taurinens*: ac *Venariæ Regalis* pro var: foliis omnibus *lineari-lanceolatis* Re l. c. p. 127. et app. I. p. 13. sub *C. linifolia*. Ad rupes collium et alpium communis Biroli fl: acon: I. p. 69. *Sardin*: in montanis calcareis Moris st: sard: I. p. 30.). Perenn: Folia radicalia sub-rotunda caulina linearia, flores paniculati. Pro locorum varietate aliam diversam faciem induit, monente All:, cujus ico non typum sed var: potius indicat, ceu jam observaverat W. sp: I. 893., et videtur exhibere potius *C. lanceolatam* Lapeyr:

❄? 10. *C. cæspitosa* = Scop: carn: ed: 1. p. 261. n. 5.? = Spr: syst: I. 727. = Scop: carn: ed: 2. n. 225. t. 4. A. DC. p. 283. (*Carniol*:, *Austria*. *Pedem*: frequenter locis saxosis secus flumen *Chisoa* All: n. 399. In saxosis Alpium Re fl: segus: p. 20.). Perenn: Humilis cæspitosa, folia radicalia petiolata cordato-ovata vel sub-rotunda caulina sub-sessilia lineari-lanceolata. Specim: pedemontana non quadrant cum descr: et ic: Scopoliana, et magis accedunt ad *C. rotundifoliam* quam ad veram *cæspitosam*; folia inferiora sub-rotunda et longius petiolata caulina angustiora et longiora. Cl: Biroli in mss: hanc stirpem conjunxit cum *C. pumila* n. 5.

❄ 11. *C. patula* = L. fl: suec: II. 186. = Spr: syst: I. 727. = Oed: fl: dan: t. 373. Ic: taur: vol. 10. t. 18. 84. A. DC. p. 329. (*Eur*: *Pedem*: circa

Viù obviam venit locis dictis *il Paschet* et *Cramolet* secus torrentem *Viana*, in prov: *Canapiciens*: locis dumosis et umbrosis, circa oppidum *S. Mauri* atque ultra flumen *Stura* eundo versus *Borghe* ALL: n. 401. Prope *Druent* ac *Venariam* RE fl: tor: I. p. 127. c. descr: Ad *Varalli* Sanctuarium unice BIROLI fl: acon: I. p. 69. In provinc: *Albensi* legit BERTERUS). Bienn: vel perenn: Panicula diffusa, calycis laciniæ basi denticulatæ ac limbus corollæ patentissimi. Variat floribus cæruleis vel albis.

❀ 12. *C. Rapunculus* = L. h. Ups: 40. = Spr: syst: I. 727. A. DC. p. 325. = Fl: dan: t. 855. et 1326. pro var: *β*. Ic: taur: vol. 2. t. 67. 68. et vol. 17. t. 103. Vern: *Rampon* (*Eur*: *Pedem*: secus vias ubique ALL: n. 402. RE fl: segus: p. 20. et fl: tor: I. p. 127. c. descr: BIROLI fl: acon: I. p. 69.). Bienn: Radix fusiformis in acetariis edulis.

❀ 13. *C. persicifolia* = L. fl: suec: 176. = Spr: syst: I. 727. A. DC. p. 322. = Fl: dan: t. 1087. Ic: taur: vol. 2. t. 59. et vol. 18. t. 80. Vern: *Campanna* uti generatim omnes species indigenæ, *Bossa* in comit: *Nicæensi* (*Eur*: med: *Pedem*: in sylvis umbrosis collium *Taurinens*: non infrequens, sæpe etiam occurrit in sylvis umbrosis et saxosis montanis nec non subalpinis ALL: n. 403. In sylvis prope *la Veneria* et in editis collibus atque in nemoribus prope *l'Idraulica* RE fl: tor: I. p. 128. In umbrosis subalpinis præsertim inter *Varallo* et *Borgosesia* frequens BIROLI fl: acon: I. p. 70.). Perenn: Variat multis modis, præcipue floribus cæruleis vel albis, majoribus minoribusque vel etiam plenis. Ubique culta in hortis

ornamenti gratia. An huc referenda *C. Tenori* Moretti et A. DC. p. 309. eadem ac *C. Rosani* et *corymbosa* Tenore? Cons: syll: fl: neap: p. 97. et A. DC. l. c.

14. *C. trichocalycina* = Tenor: fl: nap: I. p. 67. t. 16. A. DC. p. 276. (*Neap:*, *Sicil:*, *Creta*). Perenn: Simplex, folia ovato-oblonga argute serrata, flores sub-secundo-racemosi.

* 15. *C. rhomboidea* = L. sp: 233. = Spr: syst: I. 727. *C. rhomboidalis* A. DC. p. 274. = Bocc: mus: 75. t. 61. Ic: taur: vol. 12. t. 91. f. 1. (*Eur*: austr: *Pedem*: vulgaris in pratis alpinis editioribus, frequens etiam in *M. Cenisio* All: n. 405. sub *C. rhomboidali*. Re fl: segus: p. 20. In pratis subalpinis *Novariens*: Biroli fl: acon: I. p. 70.). Perenn: Simplex elata, folia potius ovato-oblonga quam reapse rhomboidea; variat foliis plus minus acutis vel subtus hirsutis, corollæ lobis apice callosis, flore cæruleo vel albo. Specim: extat in hb: Biroli lectum in valle majore Sessitana prope *la Riva* undique albo-tomentosum, exceptis floribus et pedunculis. An species distincta vel insignis var:? (Biroli mss:). Inter varr: ab A. DC. relatas hæc certe non enumeratur, nec videtur erui posse a descriptione circa pubescentiam, caulem enim dicit glabrum aut *basi tantum pilosum*, folia glabra aut *pilosa*, quod non indicat *tomentum album*.

* 16. *C. pyramidalis* = L. syst: veg: 173. = Spr: syst: I. 728. A. DC. p. 309. = Lobel: ic: 327. Ic: taur: vol. 25. t. 44. (*Eur*: austr: In *Sabaud*: All: n. 404. ex Terraneo. In rupibus *S. Germain* prope *Aix*

ipse legi cum Perret). Bienn: Caulis pyramidalis ut tota planta glaberrimus ramosus, flores ampli ultra medium 5-fidi variantes ex cæruleo albidi. Culta ubique in hortis ad ornamentum, et forsan, monente A. DC., in *Sabaudiam*, alibique elapsa.

17. *C. aurea* = L. suppl: 141. Sub *Musschia* A. DC. p. 368. ex Dumortier comm: bot: ann: 1823. p. 28. (*Madera*). Suffrut: Sempervirens, flores paniculati ampli aurei; stirps pulcherrima; in frigidariis facillime perit; ex seminibus varr: insignes obtinentur. = 18. *C. americana* = L. sp: 233. A. DC. p. 314. (*Amer*: bor:). Ann: Stylus corolla parva longior.

B. Pubescentes hirsutæ.

α Caule 1-floro.

✻ 19. *C. vesula* = All: fl: ped: n. 397. t. 7. f. 1. = Spr: syst: I. 729. A. DC. p. 286. = Ic: taur: vol. 12. t. 91. f. 4. (*Pedem*: ad ima montis *Vesuli* prope *Crissolo* All: l. c. c. descr:). Perenn: Folia crenata inferiora ovata superiora lanceolata, calyx livens laciniis lanceolatis erectis corolla cærulea dimidio brevioribus.

β Caule paucifloro, ramis 1-floris.

20. *C. Lorei* = Pollin: elem: bot: vol. II. p. 149. t. ult: f. 1. *C. baldensis* Balb: cat: h. taur: 1813. p. 20. *C. Lorei* Balb: app: ad eund: cat: p. 9. ex Pollin: A. DC. p. 333. (Monte *Baldo* in agro *Veronensi*). Ann: Ramosa, calyx strigosus laciniis lineari-lanceolatis serrulatis corolla patula parum longioribus.

γ Floribus racemosis paniculatis.

❀ 21. *C. latifolia.* = L. h. Cliff: 65. = Spr: syst: I. 730. A. DC. p. 264. = Oed: fl: dan: t. 85. et 782. Ic: taur: vol. 2. t. 57. et vol. 10. t. 78. f. 2. (*Eur*: passim. *Pedem*: circa *Vinadii* thermas, in pratis circa arcem *Exillarum*, ad radices alpium *l'Autaret* All: n. 407. Prope *la Fabbrica del marmo* Re fl: segus: p. 20. In pratis *d'Intra* et *Pallanza* frequens Biroli fl: acon: I. p. 70.). Perenn: Elata simplicissima, folia ovata duplicato-serrata acuminata, racemi foliosi simplices, flores ex alis superioribus solitarii brevi-pedunculati, calyx glaber laciniis serrulatis ovatis corolla cærulea vel albida duplo brevioribus. *C. urticæfolia* All: n. 406. videtur *latifoliæ* var:; ita sentit etiam A. DC.; lecta fuit in montibus *dell'Oropa* sec: Biroli mss: ac in pratis prope *l'Escarena* sec: Re app: IV. ined:

❀ 22. *C. rapunculoides* = L. h. Cliff: 17. = Spr: syst: I. 730. A. DC. p. 268. = Moris: hist: II. p. 460. s. 5. t. 3. f. 32. Ic: taur: vol. 2. t. 69. et vol. 10. t. 79. (*Eur*: passim. *Pedem:* secus sylvas in collibus et montibus All: n. 408. Re fl: segus: p. 20. In umbrosis collium *Novariens:* uti circa *Intra* Biroli fl: acon: I. p. 70.). Perenn: Priori affinis habitu, sed differt præsertim foliis inferioribus sub-cordatis, pedunculis longioribus, floribus nutantibus, laciniis calycinis reflexis.

23. *C. trachelioides* = M. B. fl: taur: cauc: I. p. 151. *C. rapunculoides* var: Fisch: pl: cauc: p. 84. et

A. DC. p. 269. 270. (*Caucaso*). Vix a *rapunculoidea* diversa vestitu hispidiori, foliis latioribus, calycibus barbatis. Cult: in h. Ripul: *C. Lychnitis* HORNM: quam cl: SPR: ad *trachelioideam* refert, ad sequentem potius pertinere videtur cum ex specim: meis tum monente R. et S. syst: V. p. 122.

* 24. *C. bononiensis* = L. sp: 234. = Spr: syst: I. 730. A. DC. p. 270. = Moris: hist: II. p. 461. s. 5. t. 4. f. 38.? Ic: taur: vol. 21. t. 103. (*Eur: med: Pedem*: in collibus *Taurinens*:, in valle *Exillarum*, in aridis locis *Grapiol* dictis supra *Garessio*, in valle *Staffora* et supra *Bobbio*, in sylvestribus editioribus *di Borgomasino* ALL: n. 409. In regione *Condoviarum* dicta *la Grangietta* uberrime RE fl: segus: p. 20. In sylvis secus vineas *del Rio di Sassi* et secus viam *di Chieri* eundo *alle Tavernette* RE fl: tor: I. p. 126. Ex *Montblanc* retulit BERTERUS). Priori affinis, sed stylo exserto constanter diversa, ceterum summopere varians caule paniculato vel simplici (*C. simplex* DC. in fl: gall: p. 252. et RE app: I. p. 14.), racemo longiori calyce omnino glabro (*C. ruthenica* M. B. fl: taur: cauc: I. p. 151. non *C. foliosa* TENOR: ut perperam notavit BIROLI in cat: ined:), foliis radicalibus sub-rotundis quæ lecta fuit a D. MICHEL prope *Chamberium*, caule altissimo floribus secundis (*C. Lychnitis* HORNM:) etc. etc. Huc quoque forsan referenda *C. obliquifolia* TENOR:, quæ facie non differt; racemi major vel minor compositio character nimis fallax; melior qui desumitur a floribus *cernuis* et laciniis calycinis 1/4. *longioribus*; sed plantæ cultæ in h. Ripul: ex seminibus missis a cl: Auctore flores

patentes nec cernuos ostenderunt; attamen ipse consulendus in syll: fl: neap: p. 98.

❋ 25. *C. Trachelium* = L. virid: Cliff: 16. = Spr: syst: I. 730. A. DC. p. 266. = Fl: dan: t. 1026. Ic: taur: vol. 2. t. 56. Vern: *Spinas servaj* (*Eur*: passim. *Pedem*: montium et collium sepes et oras sylvarum inhabitat All: n. 410. Re fl: segus: p. 20. et fl: tor: I. p. 129. Biroli fl: acon: I. p. 70.). Perenn: Folia ovata sub-cordata dentata, racemus simplex spiciformis foliosus, pedunculi 3-fidi: variat flore cæruleo vel albo, simplici aut pleno, foliis angustioribus et longioribus (*C. urticæfolia* M. B. non All:).

26. *C. lactiflora* = M. B. fl: taur: cauc: I. p. 153. A. DC. p. 311. (*Caucaso*). Perenn: Elata superne paniculato-ramosa, laciniæ calycinæ dilatatæ serrulatæ corolla lactea ampla valde breviores.

❋ 27. *C. thyrsoidea* = L. sp: 235. = Spr: syst: I. 731. A. DC. p. 263. = Jacq: obs: I. p. 33. t. 31. Ic: taur: vol. 13. t. 67. (*Eur*: med: alpestribus. *Sabaud*: altissimis montibus, in alpibus *Maurianensib*:, in pratis *Pralugnan* atque monte *Isero*, in edito monte prope *Annecy*, in summo jugo *Bardonneche* All: n. 415. In *M. Cenisio* prope *la Ramassa* Re fl: segus: p. 20.). Bienn: Simplicissima, folia lanceolata sessilia confertiuscula, panicula thyrsoidea, flores sub-sessiles ochroleuci.

δ *Floribus glomeratis.*

❋ 28. *C. glomerata* = L. virid: Cliff: 16. = Spr: syst: I. 731. A. DC. p. 253. = Fl: dan: t. 1328. All: fl: ped: n. 411. t. 39. f. 1. Ic: taur: vol. 2. t.

70. et vol. 17. t. 104. (*Eur*: passim. *Pedem*: ubique in pratis subalpinis montanis et collinis ALL: l. c. RE fl: segus: p. 20. et fl: tor: I. p. 129. In circumdariis *d'Intragna* unice BIROLI fl: acon: I. p. 70. *Genuæ* sub *lo Sperone Porciferam* versus, in summitate altioris montis *de' due Fratelli* pro var: β BERTOL: am: ital: p. 132.). Perenn: Simpliciuscula, folia plus minus oblonga, capitula seu glomeruli involucrati. Planta sæpe confusa cum *C. petræa* L., quam cl: ALL: enumeravit (n. 413.) tamquam indigenam in alpibus *di Casotto*, quæque in solo *M. Baldo* crescere dicitur. Ico ALL: supra citata confusionem auxit etsi ipse indicaverat, singularem var: tantum *C. glomeratæ* exhibere. Cl: W. errore ductus asseruit, iconem illam ad *C. petræam* pertinere (sp: I. p. 904.); BERTOLON: autem ad *glomeratam* spectare non dubitat. Missa sub nomine *C. aggregatæ* W. a BIROLI ad R. et S., illam *C. cervicarioideam* salutarunt, quasi medium teneat inter *glomeratam* et *Cervicariam*. Cll: hosce Auctores secutus erat RE in app: I. p. 14. speciemque distinctam dictitabat minime raram in *Pedem*:, speciatim prope *la Praglia di Pianezza*; hinc in fl: tor: p. 130., auctoritate etiam cl: MORETTI, plantas istas recte pro solis varr: habuit, quarum primam *C. petræam* ALL: non L., alteram *C. clusianam* appellavit; illa invenitur in *M. Musiné*, hæc promiscue cum typo; demum in app: III. p. 7. duas distinctas stirpes constituit, sc: *C. aggregatam* W. (eadem ac *glomerata* RE fl: tor: frequens ubique in *Pedem*:), ac *C. ellipticam* KIT: (eadem ac *glomerata* ALL: accepta ex alpibus *Monregalensibus*). Huc quoque referenda, monente SPR:,

C. foliosa Tenor: Cons: tamen Auctorem ipsum in syll: fl: neap: p. 99. et 100. ubi *C. glomeratam*, *aggregatam* et *foliosam* pro stirpibus distinctis admittit; hæc probatur etiam ab A. DC. p. 253.

* 29. *C. Cervicaria* = L. iter: oeland: p. 115. = Spr: syst: I. 732. A. DC. p. 258. = Fl: dan: t. 787. Ic: taur: vol. 28. t. 12. (*Eur*: passim. *Pedem*: ad vias sylvarum collium *Taurinens*: supra *S. Mauro* All: n. 412. c. descr: In sylvis *della Mandria* et non procul ab *Eremo* Re fl: tor: I. p. 130. In alpib: *di Crodo* et *Cravegna* rara Biroli fl: acon: I. p. 71.). Bienn: A priori, cui affinis, diversa præsertim radice bienni, pilis valde hispidis, quibus undique speciatim in foliorum pagina inferiore obducitur, foliis lineari-lanceolatis undulatis.

30. *C. peregrina* = L. mant: II. p. 204. A. DC. p. 316. (*C. B. S.*). Bienn: Simplex undique hirta, folia ovata rugosa inæqualiter dentata, flores bracteati axillares solitarii vel bini: terminales congesti.

Sect: II.

Media.

(*Calycis* sinus reflexi basi producti.
Cetera ut in 1. sect:).

α *Caule* 1-*floro*.

* 31. *C. Allionii* = Vill: delph: II. p. 512. t. 10. = Spr: syst: I. 732. A. DC. p. 231. = All: fl: ped: n. 418. t. 6. f. 3. Ic: taur: vol. 10. t. 2. f. 2. sub *C. alpestri* (Alpib: *Cott*:, *Pennin*:, *Graiis*. *Pedem*: in

alpib: editissimis inter diffractos lapides, var: fl: albo in *M. Cenisio* non infrequens ALL: l. c. RE fl: segus: p. 20. sub *C. alpestri*. Ad montem *Turlum* et ad *Morum* BIROLI fl: acon: I. p. 71.). Perenn: Nana repens hispida, folia lineari-lanceolata, flos pro stirpis statura magnus sub-barbatus cærulescens vel albidus. » Cl: BELLARDI asseruit in litt: var: 2-floram et 3-» floram in alpibus observasse » (BIROLI mss:).

β Floribus racemosis paniculatis.

❀ 32. *C. barbata* = L. sp: 236. = Spr: syst: I. 733. A. DC. p. 246. = Jacq: obs: II. p. 14. t. 37. Ic: taur: vol. 2. t. 64. 66. (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: abunde in pratis alpinis ALL: n. 417. RE fl: segus: p. 20. In pratis prope *Venariam* semel legit RE fl: tor: I. p. 131. In collibus *di Borgosesia*, *Grignares* etc. BIROLI fl: acon: I. p. 71.). Priori affinis, cum qua conjuncta fuerat ab HALLER:, sed satis distincta præsertim foliis latioribus, floribus sæpius racemosis secundis, corollis evidentius barbatis. Cons: ALL: specim: ped: p. 36. pro differentiis inter hanc et priorem; variat caule quandoque ramoso, vel rarissime 1-floro, floribusque cæruleis aut albis; ipsam in circumdariis *della Riva* magis villosam et ramosam observavit BIROLI mss:

❀ 33. *C. Medium* = L. virid: Cliff: p. 16. = Spr: syst: I. 733. A. DC. p. 224. = Garid: Aix p. 75. t. 18. Ic: taur: vol. 2. t. 58. (*Eur*: med: *Pedem*: in aridis collibus *Montisferr*: et *Liguriæ*, in sylvis apricis et locis humidis agri *Nicæens*: ALL: n. 416. et auct: p. 8. Provinc: *Novariens*: inter *Pombia* et *Varapombia*

rara occurrit BIROLI fl: acon: I. p. 71. E collibus *Albensib*: retulit BERTERUS). Bienn: Simplex hispida, folia ovato-lanceolata inæqualiter dentata, racemi foliosi, flores erecti barbati stigmatibus 5-fidis.

34. *C. alpina* = Jacq: h. Vindeb: 210. et fl: austr: II. t. 118. A. DC. p. 248. (Alpib: *Noric*:, *Rhætic*:). Perenn: Pumila pilosa, pedunculi axillares longi 1-flori nutantes.

❄ 35. *C. sibirica* = Gmel: sib: III. p. 154. t. 29. = Spr: syst: I. 733. A. DC. p. 244. = Jacq: austr: t. 200. Ic: taur: vol. 24. t. 98. (*Eur*: bor: et med: *Pedem:* in declivibus apricis prope *S. Rafaele* et inter *Gassino* et *Cassione* loco dicto *Rigoira*; in valle *Segusii* inter *Bussolinum* et *Segusium*; in montibus *di Borgomasino* ALL: n. 419. A *Segusio* usque ad *Alpinianum* passim ad calidas rupes ad meridiem positas speciatim *di Mompantero* RE fl: segus: p. 20. Supra *l'Idraulica* prope *la ficca della Dora* RE fl: tor: I. p. 132. ubi nunc ob mutationes alvei amplius non invenitur). Bienn: Sub-simplex pubescens, folia lanceolata undulata obtusa, flores paniculati oblongi parvi, pedunculi sæpius 3-flori. In agro *Ripulensi* crescit var: primo detecta ab Ign: MOLINERI, quæ caules refert cæspitosos, folia radicalia lata caulina brevissima omnia acuta, pedunculos 1-floros, flores minores; an sp: distincta? Tunc Detectori dicenda, et definienda ut sequitur.

❄? *C. Molineri* « Caulibus cæspitosis erectis sca-
» briusculis; foliis acutis integerrimis hispidis, in-
» ferioribus late lanceolatis, superioribus linearibus

» brevioribus; racemis simplicibus; pedunculis 1-floris » erectis. » Nob: (In agro *Ripulensi*).

37. *C. divergens* = W. en: 212. ex Waldst: et Kit: A. DC. p. 243. (*Hungar:*, *Transylv:*). Bienn: Erecta pubescens superne divergenti-ramosissima, folia late lanceolata, flores racemoso-paniculati sub-nutantes. = 38. *C. lamiifolia* = M. B. fl: taur: cauc: I. p. 154. *C. alliariæfolia* W. sec: A. DC. p. 241. (*Caucaso*). Perenn: Elata tomentosa, folia inferiora longe petiolata cordata superiora sessilia ovato-lanceolata, racemi elongati spicati, calyces basi albo-lanati, flores ochroleuci speciosi. Specim: optimum ex Huguenin e planta culta. = 39. *C. gummifera* = Spr: syst: I. 734. ex W. hb: *C. sarmatica* Ker: sec: A. DC. p. 240. et Fisch: pl: cauc: p. 84. (*Caucaso*). Ex specim: meis communicatis a Biroli sub nomine *C. betonicæfoliæ* M. B. Vix differt a priori foliis superioribus in petiolum sinuatum decurrentibus. = 40. *C. lanuginosa* = W. en: 213. (Patria? ex W., *Græcia* ex Spr:). Bienn: Tomentosa elata, folia inferiora lyrata superiora plus minus ovato-oblonga serrata, flores racemosi cernui (an semper?): sæpe confusa cum *C. tomentosa* Lam: quæ pertinet ad I. sect: Specim: mea ex hb: Biroli flores habent *erectos* nec *cernuos*; forsan vera *C. rupestris* Sibth: auctoritate Spr: ac monente etiam A. DC. p. 218.?

γ *Floribus sessilibus.*

41. *C. lingulata* = Waldst: et Kit: pl: rar: hung: I. p. 65. t. 64. A. DC. p. 250. (*Hungar:* austr:, *Ma-*

cedon:). Bienn: Simplex hispida, folia lineari-lanceolata sessilia, flores capitati involucrati tubulosi violacei.

❀ 42. *C. spicata* = L. mant: 337. = Spr: syst: I. 735. A. DC. p. 261. = All: fl: ped: n. 414. t. 46. f. 2. et t. 47. f. 1. Ic: taur: vol. 5. t. 63. (*German*:, *Gallia*, *Helvet*: *Pedem*: frequens in aridis apricis saxosis montanis et subalpinis, inter *Pinerolium* et *la Perosa* et in universa valle *Fenestrellarum* frequentissima; in comit: *Nicæens*: var: t. 47. f. 1. ALL: l. c. c. descr: In *M. Cenisio* prope *la Posta*, circa *Segusium* in rupibus *di Mompantero* et *della Coà* supra *Foresto*, et in pratis *del Collet* versus *Fenestrelles* RE fl: segus: p. 20. In sylvis *della Mandria* et in *M. Musiné* RE fl: tor: I. p. 131. In alpibus *Siccidis* et *Ossulæ* frequens BIROLI fl: acon: I. p. 71.). Bienn: Crassa pilis albis hispida, folia lineari-lanceolata, spica terminalis longissima foliosa. Cl: BIROLI in mss: dubitat, plantam pictam in ALL: t. 47. f. 1. ad aliam speciem pertinere, quam tamen haud determinavit; cl: A. DC. eam habet pro var: γ *spica interrupta*.

Sect: III.

Florkeæ.

(*Nectar*: cylindricum pistillum ambiens; *styl*: elongatus; *cal*: basi æqualis; *capsula* poris dehiscens).

❀? 43. *C. lilifolia* = L. h. Ups: 41. = Spr: syst: I. 735. = Gmel: sib: III. t. 26. Sub *Adenophora*

A. DC. p. 359. t. 1. f. B. (*Sibir:*, *Hungar:*, *Transylvan:*, *Galic*: *Pedem*: in circumdariis *di Varallo* ex Carestia sec: Biroli fl: acon: I. p. 70.). Perenn: Glabriuscula, folia plus minus ovato-lanceolata dentata, flores racemoso-paniculati sub-nutantes. An potius *liliflora* quam *lilifolia* appellanda? Cons: R. et S. syst: V. p. 110. Cl: Biroli in mss: hanc plantam omittit; illam memorat quidem tamquam sibiricam in cat: ined:, sed non adnotat *Pedem*: indigenam esse; forsan cognovit, ex Carestia aliam stirpem sub hoc nomine habuisse. Variat foliis subtus sub-hirsutis (*C. suaveolens* W. suppl: et Hortul:).

44. *C. stylosa* = Lam: dict: I. p. 581. n. 16. Sub *Adenophora* A. DC. p. 360. Affinis priori, sed differt radice perenni, foliis latioribus, panicula majori diffusa, floribus minoribus, stylo longiore.

Sect: IV.

Codonia, *Campanopses* R. Brovn.

(*Capsula* valvis apice dehiscens. *Cor*: campanulata).

45. *C. grandiflora* = L. suppl: 140. *Platycodon grandiflorum* A. DC. p. 125. (*Sibir:*). Perenn: Glaberrima gracilis parce ramosa, folia elliptica subtus glauca argute serrata, rami 1-flori, flores amplissimi cærulei. = 46. *C. capensis* = L. sp: 240. Sub *Vahlembergia* A. DC. p. 136. t. 18. (*C. B. S.*). Ann: Hispidula (in specim: meo *glabra* excepta capsula), folia lineari-lanceolata, pedunculi longissimi 1-flori,

flores parvi sub-cernui. = 47. *C. lobelioides* = L. suppl: 140. Sub *Vahlembergia* A. DC. p. 157. t. 17. (*Madera*). Ann: Differt a priori præsertim caule superne paniculato, corollis infundibuliformibus erectis 3-4-fidis albo-purpurascentibus; habitus *Lobeliæ*. = 48. *C. obliqua* = Jacq: h. Schoëmbr: III. p. 47. t. 336. *C. americana* sec: A. DC. p. 314. (Patria?). Bienn: Erecta pubescens, folia oblonga serrata, flores racemosi, corollæ sub-rotatæ laciniis oblique flexis. Sæpius ab Auctoribus commutatur cum *C. americana* n. 18., quæ pertinet ad I. sect: = 49. *C. graminifolia* = L. syst: 174. Sub *Vahlembergia* A. DC. p. 130. (*Ital*: infer:, *Carniol:*, *Hungar:*). Perenn: Pumila cæspitosa, folia graminea subulata ciliata, flores in capitulum fasciculati bracteati.

Sect: V.

Erini.

(*Caps*: valvis apice dehiscens. *Cor*: inæqualis).

❀ 50. *C. Erinus* = L. syst: veg: 176. = Spr: syst: I. 736. A. DC. p. 295. = Moris: hist: II. s. 5. t. 3. f. 25. Ic: taur: vol. 27. t. 94. (*Eur*: austr: Agro *Nicæens*: All: n. 423. In *Sardin*: arenosis Moris st: sard: I. p. 30.). Ann: Pumila pubescens ramificatione opposita, folia ovata profunde dentata, flores axillares et terminales parvuli pallide cærulei vel albidi.

❀ 51. *C. Elatines* = L. sp: 240. = Spr: syst: I. 736. A. DC. p. 300. = All: fl: ped: 422. t. 7. f. 2. Ic: taur: vol. 10. t. 85. Vern: *Giolat* (Alpib: *Cott*: et

Grai: *Pedem*: abunde ad rupes primorum montium ad radices alpium *Valdensium* uti etiam *di Lanzo* et *di Viù* locis umbrosis nec sole percussis All: l. c. c. descr: Frequens in rupibus alpestribus *Mocchiarum* in regione dicta *di Barmoscel* et in montib: *Javenensibus* Re fl: segus: p. 20. In valle *di Vegezzo* prope *S. Maria* unice collegit Biroli fl: acon: I. p. 72.). Perenn: Prostrata sub-simplex, folia sub-rotundo-cordata serrata, pedunculi filiformes sæpe 3-flori. Variat glabra vel villosa. Figura Allionii nimis magna, forsan ex planta culta.

52. *C. gracilis* = Forst: prodr: n. 84. Sub *Vahlembergia* A. DC. p. 142. (*N. Holl*:, *N. Zeel*:, *Japon*:, *Ind*: orient:, ins: *Juan-Fernandez* ex Bertero). Planta polymorpha, cujus 4. varr: describit cl: A. DC. ex R. Brown; ad hasce referri non potest stirps missa a Bertero: caulis est manifeste pilosus, folia superne glabra subtus pilosiuscula margine valde revoluta, pedunculi in typo et varr: valde elongati sunt in nostra vix 3-lin: longi; in ceteris satis quadrat ne novam stirpem proponere ausim.

Sect: VI.

Prismatocarpi.

(*Caps*: prismatica. *Corolla* sub-rotata).

✻ 53. *C. Speculum* = L. h. Ups: 41. = Spr: syst: I. 737. = Bulliard: t. 504. Ic: taur: vol. 2. t. 71. Sub *Prismatocarpo* DC. ex L'Herit: Sub *Specularia* A. DC. p. 346. Vern: *Pensé servaj* (*Eur*: med: *Pedem*: abunde

inter segetes ALL: n. 420. RE fl: segus: p. 20. et fl: tor: I. p. 132. BIROLI fl: acon: I. p. 71. Inter segetes *Sardin*: MORIS st: sard: I. p. 30.). Ann: Ramosissima diffusa, folia oblongo-ovata denticulata, pedunculi solitarii. Variat glabra vel pubescens, floribus purpurascentibus vel albis. Huc pertinere videtur *C. hirta* R. et S. syst: V. p. 153. (*Prismatocarpus hirsutus* TENOR:) a SPR: admissa, quæ hirsutie tantum differt a typo; sic censuit etiam cl: RE in app: alt: p. 193. et nuper A. DC. p. 347.; illam invenit BERTERUS inter segetes *Albensis* provinciæ.

* 54. *C. hybrida* = L. sp: 239. = Spr: syst: I. 737. = Moris: hist: II. p. 457. s. 5. t. 2. f. 22. Ic: taur: vol. 20. t. 9. Sub *Prismatocarpo* DC. Sub *Specularia* A. DC. p. 548. (*Eur*: med:, *Tauria*. *Pedem*: circa *Segusium* inter segetes ALL: n. 421. RE fl: segus: p. 20. *Sardin*: in pascuis et ad margines sylvarum MORIS st: sard: I. p. 30.). Priori valde affinis, sed differt caule vix ramoso stricto, floribus sessilibus, laciniis calycinis corolla longioribus. Ex *C. Speculo* orta dicitur.

55. *C. falcata* = R. et S. syst: V. p. 154. Sub *Prismatocarpo* Tenor: Sub *Specularia* A. DC. p. 345. (*Neapol*:, *Sicil*:, *Corsic*:). Vix differt a *C. hybrida* caule prorsus simplici, foliis angustioribus, laciniis calycinis falcatis. = 56. *C. pentagona* = Desf: ann: mus: h. Paris: 143. t. 18. *Prismatocarpus pentagonus* L'Herit: Sub *Specularia* A. DC. p. 344. (*Thracia*, *Græcia*). Media videtur inter *C. Speculum* et *hybridam*; magis accedit priori habitu, alteræ calycis longitudine. = 57. *C. perfoliata* = L. h. Ups: p. 40.

Sub *Specularia* A. DC. p. 351. (*Amer:* bor:). Folia in hac cordata amplexicaulia, flores axillares sessiles sub-aggregati parvi.

Campanulæ dubiæ vel novæ.

* 58. *C. Bertolæ* = Nob: *C. linifolia* var: Bertola app: ad fl: taurin: p. 3. non Haënk:, nec Scop:, nec DC. (In nemoribus *di S. Egidio*, *la Caccia*, *Givoletto* BERTOLA l. c.). Perenn: Species hæc videtur diversa a *C. rotundifolia* n. 9. ejusque varr:, folia enim sunt *linearia* nec radicalia plus minus *rotundata*; neque quadrat cum ic: ALL: de *C. rotundifolia.* Differt quoque a *C. Scheuchzeri* (*C. linifolia* HAENK: ex SCOP:) foliis reapse *linearibus* non *lanceolato-linearibus*, floribusque paniculatis. Cl: BERTOLA postquam in app: l. c. dubitavit, hanc plantam ad *C. rotundifoliæ* var: pertinere, eandemque esse ac *C. linifolia* RE fl: tor: p. 27., sequentem observationem humaniter mihi communicavit: « *C. linifoliam* meram esse var: *C. rotundifoliæ* propriis observationibus ductus, posui in » app: ad fl: taur: Id quidem intelligendum de stirpe » cujus folia sunt *lineari-lanceolata*, uti proffert phrasis DC., RE etc., et quæ sat frequenter occurrit. » Verum distinctam speciem inveni in nemoribus et » in pascuis *di S. Egidio, la Caccia, Givoletto*, cujus » folia *constantissime* sunt omnino *linearia* non vero » *lineari-lanceolata*, quæque idcirco habenda est pro » vera *C. linifolia*, mutata tamen phrasi quoad foliorum formam; huic præterea aptantur characteres » quos in adnotatione addit cl: RE relate ad stirpis

» formam et consistentiam. Statura præterea major » et folia conferta. » Hisce probationibus ductus, ac specim: meis diligenter inspectis et comparatis cum descriptionibus varr: *C. linifoliæ* a cl: A. DC. p. 279. 280. diligentissime exaratis, plantam hanc tamquam novam speciem propono, quam Inventori dico et ita definio:

» *C.* elata glaberrima sub-simplex; foliis omnibus » linearibus rigidiusculis confertiusculis; floribus sub- » paniculatis, laciniis calycinis setaceis rectis corolla » dimidio brevioribus. » Nob:

✻ 59. *C. Re* = Nob: *C. lanceolata* var: *velutina* Re ined: *C. rotundifolia* var: Re app: I. p. 13. ex DC. suppl: ad fl: gall: vol. VI. p. 432. (*Pedem*: in monte *Bombas* prope *Lanzo* Re l. c.). Ludit inter *C. rotundifoliam* L., *C. Bertolæ* nostram, et *C. lanceolatam* Lapeyr: ; differt a prima et tertia foliis omnibus *linearibus*; a *C. Bertolæ*, cui facie magis accedit, villis confertissimis quibus est undique consita, statura minori, foliis magis confertis, aliisque notis de quibus in sequenti phrasi.

» *C.* sub-cæspitosa undique velutina; foliis omnibus » linearibus erectis confertis integerrimis; floribus ra- » cemosis, calycis ovati laciniis lineari-lanceolatis re- » ctis corollam sub-æquantibus. » Nob:

60. *C. nutabunda* = Guss: pl: rar: p. 94. t. 18. Sub *Vahlembergia* A. DC. p. 151. (*Cambria* merid:, *Reggio*. *Sardin*: in arvis *Carbonara*, *Tortoli* Moris st: sard: I. p. 30.). Ann: *C. lobelioideæ* n. 47. affinis, sed differt calycibus corollisque semper 5 - partitis, floribus albis laciniis acutis, capsula sub-globosa 3-

loculari (Guss: l. c. in obs:). = 61. *C. neglecta* = R. et S. syst: V. p. 104. (Patria?). Simillima *C. patulæ*, sed foliis et calyce denticulato - deflexis diversa; omissa a Spr:; *C. neglecta* Bess: pertinet ad *C. neranicam* Spr: nov: prov:, quam idem Auctor in syst: I. 730. retulit inde ad *C. trachelioideam* M. B. Cons: tamen R. et S. l. c. p. 121. et A. DC. p. 268. 269. sub *C. rapunculoidea.*

62. *C. elata* = Nob: (Patria?). « Caule erecto » elato villosiusculo superne paniculato; foliis omni- » bus lineari-lanceolatis acutis hirsutis integris den- » tatisve; pedunculis 1-floris sub-nutantibus, laciniis » calycinis late lanceolatis acutis ciliatis corolla cam- » panulata patula dimidio brevioribus. »

Obs: Pulcherrima stirps enata in H. B. T. anno 1815. e seminibus missis sine nomine specifico; accedit ad *C. pyramidalem* n. 16., sed characteribus allatis et præsertim hirsutie ac pedunculis 1-floris valde diversa; corolla cærulea ampla 5-fida laciniis rotundatis.

63. *C. Larraini* = Berter: ined: (Ins: *Juan-Fernandez*). « Caule sub-lignoso erecto striato glaber- » rimo, superne paniculato, ramis divaricatis; foliis » sparsis ternisve omnibus sessilibus ovato-lanceola- » tis acutis dentatis glaberrimis; floribus terminali- » bus paniculatis, laciniis calycinis lineari-lanceolatis » acutis basi dilatatis integerrimis corolla campanu- » lata semi-5-fida triplo brevioribus, stylo incluso. » Colla pl: rar: chil: fasc: III. t. XXXV. ined:

Obs: Lecta a Bertero ann: 1830. in pascuis sylvaticis et ad rupes collium et montium memoratæ in-

sulæ, et missa sub allato nomine sine alia indicatione, mihi videtur accedere ad *C. gracilem* Forst: n. 52., sed characteribus notatis abunde diversa. Magis proxima certe *Vahlembergiæ fernandezianæ* A. DC. p. 160. et forsan eadem si in descript: cl: Auctoris folia non dicerentur *alterna*, quæ in nostris specim: vel *sparsa* vel sæpius *terna* adparent; accedit etiam ad *Vahlembergiam foliosam* ab eodem Auctore descriptam p. 161. et pictam t. 14., sed folia in hac dimidio angustiora; ceterum omnes simillimæ.

IV. Trachelium Lin: gen: ed: Schreb: n. 239. = Spr: syst: n. 789. = Lam: ill: t. 126.

» *Cal:* 5-dentatus. *Cor*: infundibuliformis tubo lon-
» go, limbo 5-fido. *Stam*: 5. filamentis basi æquali-
» bus. *Stigm:* sub-3-lobum. *Caps*: 3-locularis basi
» poris dehiscens. »

Obs: Genus constans 3-4. stirpibus plerumque africanis, herbaceis, foliis alternis, floribus corymbosis vel paniculatis. Colitur in hortis ornamenti gratia *Tr*: *cæruleum* L. sp: 143. (In calidioribus et rupestribus region: maris *Mediterr*:). Bienn: vel perenn: Folia ovata inæqualiter serrata, corymbi amplissimi, flores parvi azurei bracteis angustissimis. Sub dio locis siccis soli expositis hyeme penes nos servatur.

V. Phyteuma Lin: gen: ed: Schreb: n. 292. = Spr: syst: n. 787. = Lam: ill: t. 124.

» *Cal*: 5-fidus. *Cor*: rotata, tubo brevissimo, laci-
» niis 5. elongatis apice cohærentibus. *Stam*: 5. fila-

» mentis basi dilatatis. *Stigm:* 2-3-fidum. *Caps:* 2-
» 3-locularis, poris latere dehiscens. »

Obs: Genus constans 25. circiter stirpibus (35. ex A. DC., quarum nonnullæ dubiæ), habitu proprio, fere omnibus europæis, paucis asiaticis, herbaceis, floribus capitatis spicatis vel sparsis.

α Floribus capitatis.

❋ 1. *Ph: pauciflorum* = L. syst: veg: 176. = Spr: syst: I. 723. A. DC. p. 183. = Reich: ic: bot: cent: IV. p. 48. t. 364. (Alpib: *German:* austr: *Pedem:* in summis extremis Alpibus quæ montibus *le Vallon* et *Cenisio* intercipiuntur frequens, in alpibus *Viucensibus* All: n. 424. Re fl: segus: p. 20. In summis alpib: *Novariensib:* fere ubique, sed in *Siccidis* magis abundat Biroli fl: acon: I. p. 72.). Perenn: Pumilum 2-3-pollicare glabriusculum, folia lineari-lanceolata caule breviora, capitulum pauciflorum bracteatum bracteis ovatis acutis. Huc pertinere videtur *Ph: Carestiæ* Biroli in act: Ac: Taur: 1815., admissum ab A. DC. p. 185., quod differt bracteis linearibus; ni malis mediam speciem constituere inter *pauciflorum* et *globularifolium*, quæ tamen vix differunt inter se. Possideo sub nomine *Ph: humilis* Schleich: plantulam *paucifloro* omnino similem, sed humiliorem et vix pollicarem; enumeratur a Steud:, omittitur a R. et S. et Spr:, sed admittitur ab A. DC. p. 186.

❋ 2. *Ph: globulariæfolium* = Sternb: et Hopp: Denks: II. p. 100. = Spr: syst: I. 723. = Reich: ic: bot: cent: IV. p. 49. t. 365. (Cum priori, nec non

in alpib: *Monregalensib*: sec: Re app: IV. ined:). Præcedenti simillimum, si excipias folia radicalia *obovata* caulem æquantia, ac bracteas *cordatas obtusas*. Variant tamen adeo ut difficillime quid statui possit. » Hæ species promiscue crescunt in alpib: *Novarien-* » *sib*: et non facile distinguendæ quod adest species » intermedia forsan hybrida cui folia radicalia sunt » obovata, caulina vero lanceolata et fere graminea; » observavi individua cum foliis numerosis caulinis » *Ph*: *hemisphæricum* simulantia; nonnulla habeo » foliis omnibus et bracteis acutissime dentatis ci- » liatisque accedentia *Ph*: *Carestiæ*. » Biroli mss: Cons: insuper R. et S. syst: V. p. 76. qui auctoritate Sternb: l. c. ad *Ph*: *pauciflorum* All: referunt *Ph*: *globulariæfolium*, nec non A. DC. p. 182. qui hanc speciem admittit.

❋ 3. *Ph*: *hemisphæricum* = Haënk: in Jacq: coll: II. p. 61. = Spr: syst: I 723. A. DC. p. 184. = Jacq: ic: rar: I. 333. Ic: taur: vol. 7. t. 78. f. 4. 5. 6. (*Eur*: med: *Pedem*: abunde in editis gramineis pascuis Alpium All: n. 425. Biroli fl: acon: I. p. 72.). Differt a præcedentibus caule *elatiori*, foliis *filiformibus*, bracteis *ovato-lanceolatis* brevissimis.

❋ 4. *Ph*: *Scheuchzeri* = All: fl: ped: n. 428. = Spr: syst: I. 723. A. DC. p. 190. = All: l. c. t. 39. f. 2. Ic: taur: vol. 15. t. 103. f. 2. (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: abunde circa Sanctuarium *d'Oropa* atque ad rupes umbrosas circa *Eporediam* et *Giaveno* All: l. c. Re fl: segus: p. 20. In pascuis alpinis *Novariens*: commune, nec deest in collibus *di Romagnano*, *Prato* etc. Biroli fl: acon: I. p. 72.). Valde a præcedentibus

diversum præsertim statura fere *pedali*, foliis lineari-lanceolatis longe petiolatis flaccidis denticulatis, capitulo multifloro, bracteis linearibus patentissimis.

❋ 5. *Ph*: *orbiculare* = L. sp: 242. = Spr: syst: I. 723. A. DC. p. 187. = Jacq: fl: austr: t. 437. Ic: taur: vol. 2. t. 73. et vol. 7. t. 78. f. 1. 2. 3. (*Eur*: med: *Pedem*: copiose in pratis alpinis; eadem stirps in *M. Cenisio* vix digitalis aliam plantam exhibet foliis et capitulis amplioribus donatam ALL: n. 426. RE fl: segus: p. 21. BIROLI fl: acon: I. p. 73.). Proximum priori, sed foliis ovato-oblongis *brevioribus*, bracteis ovato-oblongis *abbreviatis* satis distinctum. Variat sæpius statura ac foliorum et bractearum forma modis indicatis a R. et S. syst: V. p. 79. Insuper a cll: SPR: et A. DC. tamquam ejusdem stirpis varr: considerantur etiam *Ph*: *ellipticum* et *cordifolium* VILL: non LAPEYR: Hoc lectum fuit a CUMINO in valle *Pisii* (BALB: misc: alt: p. 10.) et speciem novam constituit quam cl: A. DC. p. 200. *Ph*: *Balbisii* appellavit. Vide tamen infra n. 19.

❋ 6. *Ph*: *Charmelii* = Vill: delph: II. p. 516. = Spr: syst: I. 724. A. DC. p. 189. = Vill: l. c. t. 11. f. 3. A (*Delphinat*:, *Gallo-prov*: *Pedem*: prope *Entrague* in regione dicta *la Lansa* ALL: auct: p. 8. n. 428. In alpib: *di Vogna* et *Grassoney* collegit CARESTIA sec: BIROLI mss:). Vix ab *orbiculari*, cujus var: habetur a W. sp: I. 922. δ, diversum foliis radicalibus cordato-ovatis *dentatis* et præsertim bracteis *linearibus elongatis*. Huc certe (nec ad *Ph. Scheuchzeri* uti censuit A. DC. p. 191.) referendum *Ph*: *charmelioides*, de quo descriptionem et iconem præbuit

cl: Biroli in act: Acad: sc: Taur: vol. XXIV. p. 577., lectum descendendo a Sanctuario *B. M. V. di Varese*, nam differt tantum foliis omnibus evidentius serratis, et congruit cum var: picta in citata ic: Vill: sub littera C.

❋ 7. *Ph*: *comosum* = L. sp: 242. = Spr: syst: I. 724. A. DC. p. 181. = Jacq: austr: app: t. 50. (*Carniola*, *Ital*: *Pedem*: in alpib: *di Alagna* versus *S. Giuseppe* et ad alpes *di Rima* Biroli fl: acon: I. p. 72.). Perenn: Vix spithamæum, folia radicalia sub-rotundo-cordata caulina oblonga omnia sinuata, flores fasciculati terminales sessiles.

β Floribus spicatis.

❋ 8. *Ph*: *spicatum* = L. sp: 242. = Spr: syst: I. 724. A. DC. p. 197. = Fl: dan: t. 362. Ic: taur: vol. 2. t. 72. (*Eur*: passim. *Pedem*: in sylvis umbrosis collium *Taurinens*: non infrequens, in pascuis alpinis et subalpinis vulgatissimum All: n. 429. Re fl: segus: p. 21. et fl: tor: I. p. 132. Biroli fl: acon: I. p. 73.). Perenn: Erectum sesquipedale et ultra, folia radicalia cordato-ovata duplicato-dentata caulina lineari-lanceolata sub-integerrima, spica oblonga elongata, stylis pilosiusculis 3-fidis, bracteæ lineares florem excedentes. Variat summopere præsertim foliis plus minus longe petiolatis vel sessilibus, glabris vel pilosiusculis quandoque maculatis, floribus albis, cæruleis vel ochroleucis. Cons: Lapeyr: arb: pyren: p. 110.

❋ 9. *Ph: Halleri* = All: fl: ped: n. 430. = W. sp: I. 923. sub *Ph*: *ovato*. A. DC. p. 198. = Ic:? Vern: *Ravanet*, *Borei fumela* (*Eur*: passim. *Pedem*:

in pratis *l'Echallier* supra montem *Fraissen*, circa thermas *Valderii* et *Vinadii* in pratis umbrosis similibusque locis in alpib: *Monregalensib*: et *Valdensib*: uti etiam in *M. Cenisio* All: n. 430. Re fl: segus: p. 21. In *M. Musiné* et interdum quoque secus *Sturam* Re fl: tor: I. p. 133. sub *Ph*: *ovato*. In pratis pinguibus *di Baveno*, *Vogogna* etc. Biroli fl: acon: I. p. 73. Ad montem *Sempronii* et in alpibus *di Alagna* legit Carestia sec: Biroli mss:). Valde priori affine, cum quo junctum a Spr: syst: I. 724., sed satis videtur diversum spica *ovata*, stylis *hirsutis emarginato-2-fidis*, stigmate *rubro*; folia etiam generatim latiora ac longius petiolata, sed character fallax quum in *Ph*: *spicato* ipsa valde polymorpha evadant.

❀ 10. *Ph*: *betonicæfolium* = Vill: delph: II. p. 518. = Spr: syst: I. 724. A. DC. p. 194. = Vill: l. c. t. 12. f. 3. Vern: *Borei masc* (*Delphinat*:, *Pyren*: *Pedem*: abunde in *M. Cenisio* Balb: misc: p. 15. In montibus prope *Musiné* Re fl: tor: I. p. 133. In subalpinis circa *Varallo*, *Borgosesia* etc. frequens Biroli fl: acon: I. p. 72.). Differt a duobus præcedentibus foliis radicalibus angustioribus simpliciter crenatis caulinis sub-integerrimis, floribus minoribus, spica minore et obtusiore, bracteis brevioribus; stylus pubescens 3-fidus.

❀ 11. *Ph*: *scorzoneræfolium* = Vill: delph: II. p. 519. = Spr: syst: I. 724. A. DC. p. 192. = Vill: l. c. t. 12. f. 2. (*Delphinat*:, *Helvet*: *Pedem*: in herbidis et umbrosis *di Cannaro* et *Cannobio* ex Biroli; in valle *Siccida* ex Carestia. In *M. Musiné* ex Re sec: Biroli mss: In montib: *Ligusticis* sec: A. DC. l. c.).

Stirps admodum obscura modo ad *Ph: Scheuchzeri* n. 4. accedens floribus capitatis, modo et sæpius ad *betonicæfolium* floribus spicatis ac habitu præsertim; spica tamen semper obtusa, stylus villosus 3 - fidus laciniis fortiter revolutis, bracteæ lineares breves.

❀ 12. *Ph: Michelii* = All: fl: ped: n. 427. = Spr: syst: I. 724. A. DC. p. 193. = All: l. c. t. 7. f. 3. Ic: taur: vol. 15. t. 103. f. 3. (Alpib: *Etruriæ*, *Pyren*: *Pedem*: abunde in pratis *M. Cenisii* loco dicto *la Manceta* All: l. c. c. descr: Re fl: segus: p. 21.). Vix differt a priori, cum quo forsan rite conjunctum a cl: Bertol: am: ital: p. 19., foliis angustioribus rigidiusculis, spica ovata, bracteis brevioribus.

γ *Floribus sparsis* (fere omnia asiatica).

13. *Ph: lanceolatum* = W. sp: I. 914. A. DC. p. 204. (*Armenia*). Flores gemini sessiles. = 14. *Ph: canescens* = Waldst: et Kit: pl: rar: hung: I. p. 12. t. 14. (*Hungar:*, *Galic:*, *Transylv:*). Flores axillares fasciculati sub-sessiles.

Phyteumata dubia vel nova.

❀ 15. *Ph: foliosum* = Bellard: hb: « Foliis ovato-» lanceolatis dentatis petiolatis, spicis sub-rotundis » foliosis sessilibus insidentibus. Lectum a Cumino » in montibus vallis *Pisii.* » Ita in scheda ex Bellard: Utrum hæc planta eadem sit ac *Ph: Balbisii* A. DC. (V. supr: n. 5. in f.) valde dubito, nam in planta Bellardi folia omnia *lanceolata* nec radicalia *cordata*

omnia dentata, insuper et præcipue bracteæ seu foliola (uti Bellardi appellavit) in sua planta sunt amplissima capitulum valde excedentia et a foliis non differunt nisi petioli defectu. Ceterum planta hæc tamquam nova stirps admittenda vel sub nomine *Ph*: *foliosi* a Bellardi ei imposito, vel sub altero *Ph*: *Balbisii* a DC.; et tunc duæ distinctæ varr: ex bracteis statuendæ.

* 16. *Ph*: *linearifolium* = Nob: *Ph*: n. sp: Birol: hb: « Capitulo multifloro bracteato, foliis omnibus » linearibus integerrimis glabris, bracteis linearibus » patentissimis capitulo duplo longioribus. » Nob: (*Pedem*: *Val d'Obbia* e rupium fissuris detectum a D. Riva an: 1816.). Plurima specim: hujus plantæ habeo ex hb: Biroli sine nomine specifico et cum sola indicatione loci supra memorati. Accedit ad *Ph*: *Scheuchzeri* n. 4., sed differt, præter characteres allatos, statura duplo triplove minori 3-pollicari circiter; habitu similius *Ph*: *hemisphærico*, at capitulo *multifloro*; nec non longitudine et forma constanti bractearum valde recedit.

VI. Jasione Lin: gen: ed: Schreb: n. 1362. = Spr: syst: n. 908. = Lam: ill: t. 724. (*Syngen*: *monogam*: L.).

» *Flores* aggregati in capitulum involucro poly- » phyllo cinctum. *Cal*: 5-fidus. *Cor*: rotata, tubo » sub-nullo, laciniis 5. longis lanceolatis. *Stam*: 5. » antheris cohærentibus. *Caps*: 2-locularis apice de- » hiscens. »

Obs: Genus hinc *Campanulaceis* ob corollam regularem, inde *Lobeliaceis* ob antherarum connexio-

nem proximum, habitu melius ad primas accedens, facie *Scabiosæ*, constans 2-3. stirpibus europæis et asiaticis, herbaceis, foliis integerrimis oblongis, floribus pedicellatis vel sessilibus.

* 1. *J. montana* = L. sp: 1317. = Spr: syst: I. 809. = Fl: dan: t. 319. Ic: taur: vol. 2. t. 74. (*Eur*: passim, *Asia* min: *Pedem*: in locis siccis ad vias in collinis et secus arva et semitas in subalpinis All: n. 431. Frequens in locis siccis ad meridiem vergentibus tum prope *Segusium*, tum in pascuis aridis *di Condove* in regione dicta *la Roccea* Re fl: segus: p. 73. Vulgatissima in pascuis *della Mandria* et *della Molinetta* Re fl: tor: I. p. 126. In pascuis et pratis siccis *Novar*: ubi variat etiam fl: candido Biroli fl: acon: I. p. 68. In *Sardin*: pascuis aridis Moris st: sard: I. p. 30.). Ann: vel perenn: Hispida vel glabriuscula, folia plus minus angusta, flores pedicellati. Ex varr: hujusce plantæ plures species fuerunt constitutæ, sc: *J. perennis* Lam: (radice perenni, foliis linearibus), crescens etiam in *Pedem*: prope pagum *di Borgosesia* et in agro *Monregalensi* sec: Re app: III. p. 7., qui rationibus ibi allatis distinctam speciem admittit; *J. corymbosa* Poir: (ramis simplicibus corymbosis) *Hispan*: et *Marocc*: indigena; *J. prolifera* Bellard: ined: (floribus longe et inæqualiter pedunculatis), reperta circa lacum *Mationi* in ericetis; *J. humilis* DC. (caule humillimo) etc. Cons: R. et S. syst: V. p. 473. 474. et A. DC. p. 101. et seqq:

VII. CERVICINA Delil: fl: d'Egypt: p. 7. t. 5. f. 2. = Spr: syst: n. 145. = *Wahlembergiæ* spec: A. DC. p. 156. (*Tetrandr*: *monog*: Spr:).

» *Cal*: 3-5-dentatus. *Cor*: campanulata 3-5-fida. » *Stam*: 3-5. *Stigm*: 3. *Caps*: 3-locularis. »

Obs: Genus a DELIL: statutum pro plantula ægyptiaca (*C. campanuloides*) herbacea hispidula, foliis alternis lanceolatis serratis, floribus racemosis pedunculatis minimis. Specim: optima ex SAVI.

Obs: geographica circa *Campanulaceas*.

Campanulaceæ per orbem sparsæ sistunt ex Alph: DC. 334

Campanulaceæ pedemontanæ.

Campanula	33
Phyteuma	14
Jasione	1
	48

Et sic sextam fere partem constituunt.

Ordo CIV.

LOBELIACEÆ

(Juss: ann: du mus: XVIII. p. 1. = R. Brown Pr: N. Holl: = Lindl: syn: of the brit: flor: p. 137. excl: *Jasione* = Bartl: ord: nat: p. 150. = *Campanulaceæ* sect: II. Juss: gen: = J. S. Hil: fam: I. p. 365. t. 57. pro sect: II.).

Char: essentialis.

» *Cal*: 1-sepalus 5-fidus. *Cor*: irregularis 2-labiata » 5-loba sæpius dorso longitudinaliter fissa. *Stam*: 5. » filamentis sub-liberis, antheris sæpius in tubum » connatis basi barbatis polline simplici nunc com- » posito in *Goodenovieis*, ovoideo elongato sulcato » glabro in *Lobelieis*. *Stigm*: 2-lobum sæpius pilis » basi circumdatum. *Caps*: 2-locularis apice 2-valvis » 2-dehiscens. Cetera ut in *Campanulaceis*. »

Obs: Ordo vix a *Campanulaceis* distinctus characteribus indicatis, constans 10. generibus circiter inclusis *Goodenovieis* Juss: fere omnibus exoticis. Cons: A. DC. monogr: p. 36-41.

I. Lobelia Lin: gen: ed: Schreb: n. 1363. excl: perpaucis stirpib: = Spr: syst: I. n. 779. = Lam: ill: t. 724. (*Syngen: monogam*: L.).

» *Cal*: 5-dentatus. *Antheræ* barbatæ. *Indusium* ci- » liatum sub stigmate. *Caps*: 2-locularis dissepimento » utrinque placentifero. »

Obs: Genus numerosissimum, constans ex Spr: stirpibus 150. circiter indeque extricatu difficillimum. Arbores suffrutices vel sæpius herbæ lactescentes venenatæ, quarum major pars *Americam* vel *N. Holland*: vel *C. B. S.*, paucæ *Ind*: orient:, perpaucæ *Europam* inhabitant; nonnullæ flores speciosos gerunt, et ornamenti gratia in hortis nostris coluntur.

1. *L. Tupa* = L. sp: 1318. (*Chili*). Frutic: Erecta elata puberula, folia late lanceolata sub-integerrima, racemi terminales recti, flores amplissimi sanguineo-rubri. Specim: perfecta ex Bertero lecta in ins: *Juan-Fernandez*. = 2. *L. coronopifolia* = L. sp: 1322. (*C. B. S.*). Perenn: Procumbens pilosa, folia lineari-lanceolata irregulariter profunde dentata seu pinnatifida, flores parvi cærulei. = 3. *L. triquetra* = L. mant: 120. (*C. B. S.*). Perenn: Elata glabra, folia lanceolata stricta dentata fere ut in priori, racemi terminales aphylli pedunculis obsolete triquetris, flores cærulei vel albidi majores quam in præcedenti. = 4. *L. cardinalis* = L. h. Cliff: 426. (*Amer*: bor:). Perenn: Erecta glabra, folia lanceolata, flores racemosi sub-secundi bracteati coccinei; ubique culta sub dio. = 5. *L. fulgens* = W. h. berol: II. p. 85. t. 85. (*Mexico*). Differt a priori foliis pubescentibus margine revolutis, racemo minus denso bracteis duplo longioribus; sub dio hyeme penes nos perit. = 6. *L. splendens* = W. l. c. p. 86. t. 86. (*Mexico*). Vix a priori, cujus forsan var:, diversa caule purpurascente, foliis glabris planis, calyce fuscescente. = 7. *L. longiflora* = Jacq: amer: 219. ed: pict: p. 107. t. 200. (*Jamaica*, *S. Domingo*). Perenn: Erecta puberula,

folia lanceolata dentata fere runcinata, pedunculi axillares solitarii, corollæ albæ tubus longissimus filiformis, limbus sub-æqualis brevis. Ob corollam regularem nonne distrahenda a genere? = 8. *L. stricta* = Sw: prodr: 117. (*Antill:*). Perenn: Basi suffruticosa erecta simplex glabra rigida, folia radicalia late ovata caulina lineari-lanceolata valde minora, spica terminalis foliosa. Optimum specim: a Bertero *Guadalupa* lectum. = 9. *L. syphilitica* = L. h. Cliff: 426. (*Amer: bor:*). Perenn: Elata scabriuscula, folia omnia late lanceolata denticulata, racemi terminales foliolosi, flores brevissime pedunculati cærulei, laciniæ calycinæ basi appendiculatæ sinubus reflexis ovarium tegentibus. = 10. *L. erinoides* = L. mant: 291. (*C. B. S.*). Ann: Humilis adscendens glabriuscula, folia alterna remota lineari-lanceolata, pedunculi axillares solitarii foliis sub-breviores, flores cærulei minimi. = 11. *L. pubescens* = Ait: h. Kew: III. p. 498. (*C. B. S.*). Perenn: Prostrata pubescens, folia late lanceolata crenata, pedunculi axillares sub-racemosi folio longiores, flores cærulei parvuli. = 12. *L. bicolor* = Curt: bot: mag: t. 514. (*C. B. S.*). Perenn: Procumbens filiformis, folia inferiora ovata petiolata superiora lineari-lanceolata, pedunculi 1-flori folio longiores, corolla parvula dilute cærulea macula in medio alba. = 13. *L. urens* = L. sp: 1321. (*Anglia, Hispan:*, *Gallia* occid:). Ann: Erecta simplex, caulis anguli calyx et corolla scabri, folia oblonga dentata glabra, racemus terminalis strictus floribus secundis remotis bracteatis cæruleis palato maculis 2. pallidis. = 14. *L. inflata* = L. h. Ups: 276. (*Amer: bor:*).

Ann: Sub-ramosa inferne hirsuta, folia ovata subtus hirsuta, pedunculi axillares 2-3-flori folio sub-breviores terminales spicati: capsula valde inflata statim dignoscitur. = 15. *L. Cliffortiana* = L. h. Cliff: 426. t. 26. (*Amer*: bor:, *Antillis*). Ann: Erecta glabra, folia sub-cordata, racemi terminales simplices pedicellis elongatis bracteatis, corollæ labium inferius valde reflexum. = 16. *L. Erinus* = L. sp: 1321. (*C. B. S.*). Ann: Humilis patula filiformis, folia lanceolata sub-dentata, pedunculi axillares 1-flori folio valde longiores, flores tenus cærulei. = 17. *L. Laurentia* = Gouan: mons: p. 466. (*Ital*: merid:, *Corsic*:, *Sicil*:, *Maroc*: *Sardin*: in fossis et juxta rivulos *Cola d'Ostia*, *Flumini-major* Moris st: sard: I. p. 30.). Ann: Humillima prostrata glabra, folia ovato-lanceolata sub-spathulata, pedunculi vel scapi elongati filiformes 1-flori circa medium setaceo-bracteati; huc conjungit cl: Spr: *L. tenellam* Biv: non L. seu *L. minutam* DC., quæ non differt nisi foliis omnibus radicalibus, flore macula alba notato; hanc quoque possideo lectam a cl: Morisio in *Sardin*: humidis umbrosis *Perdas de Fogu* (Moris st: sard: I p. 30.). = 18. *L. Senecionis* = Spr: c. p. p. 75. *Isotoma axillaris* Lindl: in bot: reg: 964. (*N. Holl*:). Perenn: Puberula, folia omnia lanceolata profunde inæqualiter dentata ac fere runcinata, pedunculi axillares folio longiores 1-flori, corolla ampla violacea tubo integro laciniis patulis subæqualibus; pulcherrima stirps quam habeo cultam ex cl: Huguenin.

Species nova.

19. *L. rupincola* = Berter: ined: « *L.* herbacea, » glaberrima; caule cæspitoso basi radicante adscen- » dente ramoso, ramis alatis; foliis omnibus alternis » ovato-lanceolatis sub-sinuato-denticulatis, inferio- » ribus petiolatis, superioribus sessilibus basi sub- » decurrentibus; pedunculis axillaribus solitariis bre- » vissimis 1-floris; capsulis turbinatis lævibus. » Colla pl: rar: chil: fasc: III. ined:

Obs: Planta semipedalis et ultra valde cæspitosa lecta a Bertero aprili 1830. ad rupes maritimas locis humidiusculis ins: *Juan-Fernandez* (*English-bay*).

II. Goodenia Sm: act: soc: Linn: lond: II. p. 346. = Spr: syst: n. 782. = Cav: ic: VI. p. 4. t. 506. pro *G. ovata* (Inter *Goodenovieas* Juss: ann: du mus:).

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: 1-2-labiata laciniis alatis. » *Antheræ* distinctæ imberbes. *Indusium* sub-ciliatum » sub stigmate. *Caps*: 2-locularis dissepimento pa- » ralello. »

Obs: Genus habitu *Lobeliæ*, constans 35. stirpibus circiter *N. Holl*: incolis, suffruticosis vel herbaceis, floribus plerumque 2-labiatis flavis vel purpureis, quandoque 1-labiatis, pedunculis modo bracteatis modo ebracteatis terminalibus vel axillaribus, ex quibus faciliores eruuntur divisiones.

1. *G. ovata* = Sm: l. c. p. 347. Suffrut: Ramis alternis tetragonis junioribus albo-pulverulentis, folia

ovata aspera subtus albida petiolo triplo longiora, pedunculi axillares bracteati 1-3-flori, flores flavi 2-labiati. = 2. *G. grandiflora* = Sims bot: mag: 890. Perenn: sec: Auctores, in frigidario meo suffrutic: Sulcata glanduloso-pubescens ramosa, folia ovata sub-petiolata sub-lyrata, pedunculi axillares bracteati plerumque 1-flori, flores ut in priori sed duplo triplove majores stylo villoso, corolla macula cærulea notata.

Obs: geographica circa *Lobeliaceas*.

Lobeliaceæ per orbem sparsæ 250. circiter, quarum nullæ pedemontanæ.

Ordo CV.

STYLIDIEÆ

(Poir: dict: suppl: p. 484. et Lecoq: dict: p. 587. ex R. Brown = Juss: ann: du mus: XVIII. = Bartl: ord: nat: p. 148. = *Campanulaceæ*, *Lobeliaceæ*, vel *Orchideæ* quorumdam, *Gynandr*: *diandr*: Spr:).

Char: *essentialis*.

» *Cal*: 1 - sepalus 2 - labiatus quandoque duplex » (in *Forstera*), inferus 2 - 3., superus 3 - 6 - sepa- » lus. *Cor*: irregularis 5 - raro - 6 - fida, sæpius la- » cinia 5. dissimili. *Stam*: 2. filamentis cum stylo in » columnam modo reclinatam (*Stylidium*), modo ere- » ctam (*Leewenhoekia*) coalitis. *Antheræ* 2 - lobæ » polline globoso simplici quandoque angulato. *Stigm*: » 2-lobum. *Caps*: 2-locularis (in *Stylidio*), 1-locu- » laris (in *Leewenhoekia* et *Forstera*), loculis po- » lyspermis. »

Obs: Ordo fructificatione ab *Orchideis* vix distinctus, sed ex plantis *Exogenis*, quibus componitur, longe distans, mediumque tenens inter *Lobeliaceas* et *Gesnerieas*, constans 3. tantum supra citatis generibus australasicis plerumque herbaceis scapigeris raro fruticulosis caulescentibus.

I. Stylidium Swartz: nov: act: soc: nat: scrut: Berol: vol. V. c. ic: = Spr: syst: n. 3045.

» *Cal*: simplex 2 - labiatus. *Cor*: 5 - fida lacinia
» quinta labellum referente. *Staminum* columna re-
» clinata duplici flexu. *Caps*: 2-locularis 2-valvis po-
» lysperma. »

Obs: Genus constans stirpibus 43. australasicis, 2. ex *Ind*: orient: admodum raris in calidariis europæis, cultura difficillimis, divisis ex capsula *ventricosa* vel *lineari*, labello *appendiculato* vel *nudo*, ac inflorescentia.

1. *St*: *adnatum* = R. Br: N. Holl: I. p. 586. (*N. Holl*: austr:). Caulescens, folia sparsa sub-conferta lineari-spathulata, spica terminalis sub-sessilis, capsulæ basi adnatæ lineares loculo superiore abortiente. Specim: optimum ex Huguenin, facie *Euphorbiæ Cyparissias*.

Obs: geographica circa *Stylideas*.

Stylideæ per orbem sparsæ 50. circiter, quarum nullæ europææ.

Ordo CVI.

GESNERIEÆ

(Rich: et Juss: ann: mus: V. p. 428. = DC. théor: élém: p. 216. n. 70. = Bartl: ord: nat: p. 174. = *Campanulaceæ* et *Scrophularieis* affines Juss: gen: = *Didyn*: *angiosp*: L.).

Char: *essentialis*.

» *Cal*: ovario semi-adnatus 1-sepalus 5-partitus.
» *Cor*: irregularis limbo sæpius 5-fido 2-labiato.
» *Stam*: 4. distincta didynama. *Styl*: 1. *Stigm*: 2-
» lobum. *Fructus* capsularis vel baccatus 1- vel ra-
» rius 2-locularis valvis polyspermis. »

Obs: Ordo satis naturalis a *Lobeliaceis* recedens staminibus didynamis, et ex hoc ad *Personatas* seu *Scrophularieas* potius accedens, constans 6-7. generibus exoticis herbaceis vel fruticosis, foliis alternis vel oppositis ternis aut quaternis integris, pedunculis axillaribus 1- vel multi-floris, aut floribus spicatis terminalibus plerumque speciosis. Cons: Nees *Generum Gesneriacearum expositio* in ann: sc: nat: 1825. novemb: p. 290.

I. Gesnera Lin: gen: ed: Schreb: n. 1006. = Spr: syst: n. 2237. = Lam: ill: t. 536. (Inter *Campanulaceas* sect: I. Juss: gen: n. 165.).

» *Cor*: tubuloso-campanulata tubo incurvo superne
» coarctato, limbo 2-labiato, labio superiore emar-

» ginato-2-lobo, inferiore 3-fido. *Cap*: 1-locularis 2-
» valvis, placentis parietalibus 2-lamellatis. »

Obs: Genus constans 27. stirpibus ex Spr: fruticosis vel herbaceis ex *Amer*: æquinoctiali.

1. *G. tomentosa* = L. sp: 851. (*Antill:*, *Amer*: merid:). Fruticosa, tomentoso - hirsuta viscida superne ramosissima, folia opposita oblonga acuta bullata, corymbi axillares longe pedunculati, flores amplexicaules erecti. Cult: in calid: h. Ripul:, floret fere toto anno. = 2. *G. ventricosa* = Sw: prodr: 90. (*Jamaica*, ins: *Carib*:). Differt a priori foliis ovatis lævibus acuminatis, pedunculis sub-3-floris folio brevioribus, floribus majoribus evidentius ventricosis subincurvis. Specim: optima ex Bertero.

II. Besleria Lin: gen: ed: Schreb: n. 1012. = Spr: syst: n. 2238. = Lam: ill: t. 524. (Inter *Scrophularieis* affines Juss: gen: p. 121.).

» *Bacca* 1-locularis. Cetera fere *Gesneræ*. »

Obs: Genus vix a *Gesnera* diversum fructu baccato, sistens ex Spr: 20. stirpes ex *Indiis* occidentalibus, divisas ex laciniis calycinis *serratis* vel *integerrimis*.

1. *B. cristata* = L. syst: veg: 468. (*Martinica*, *Gujana*). Fruticosa scandens hirsuta, folia ovata, pedunculi axillares 1 - flori folio longiores involucro 5 - phyllo terminati, calyx coccineus serratus. = 2. *B. serrulata* = Jacq: h. Schoëmbr: III. p. 21. t. 290. (*Ind*: occid:). Differt a priori foliis oblongis vix hispidiusculis subtus purpurascentibus, pedunculis brevioribus, involucri defectu, calyce viridi. Cult: in h. Ripul:

III. Gloxinia L'Herit: stirp: nov: I. p. 149. = Spr: syst: n. 2253. inter *Baccatas fructu infero.*

» *Cal*: 5-partitus (superus?). *Cor*: campanulata, » limbo obliquo. *Rudimentum* filamenti quinti. *Caps*: » 2-valvis. »

Obs: Genus statutum a L'Herit: l. c. pro sola *Martynia perenni* L., nunc constans 4-5. stirpibus americanis herbaceis aut rarius suffruticosis oppositis, sæpe discoloribus, nonnullis obscuris pro genere.

1. *Gl: maculata* = L'Herit: l. c. (*Amer*: austr:). Perenn: Glabra, radix moniliformis tuberosa, folia ampla cordata rotundato-dentata subtus purpurascentia, spica terminalis foliolosa, flores conspicui cærulei; difficillime et nimis sero floret in calid: nec fructus gerit. = 2. *Gl*: *speciosa* = Ker: bot: mag: 3206. (*Brasil*:). Differt a priori foliis minoribus nec cordatis utrinque pedunculisque molliter villosis, calyce acuto, corolla majori saturatius cærulea vel alba in var: = 3. *Gl*: *arborea* = Hortul: Culta pluribus ab hinc annis in h. Ripul: nondum floruit. Cons: Colla h. Ripul: p. 61. not: 1. An eadem ac *Gl*: *caulescens* Lindl: bot: reg: 1127.?

Obs: geographica circa *Gesnerieas.*

Gesnerieæ per orbem sparsæ sistunt n. 60. circiter, quarum nullæ europææ.

Ordo CVII.

ERICINEÆ

(Desv: journ: bot: 1813. p. 28. = *Rhododendra* et *Ericæ* Juss: gen: p. 158. 159. = J. S. Hill: fam: I. p. 352. t. 55. pro *Rhodoraceis*, p. 357. t. 56. pro *Ericeis* = *Vaccinieæ* et *Ericineæ* DC. th: élém: p. 216. 217. = *Vaccinieæ*, *Ericeæ*, *Epacrideæ* Bartl:).

Char: essentialis.

» *Cal:* monosepalus varie divisus, superus vel rarius » inferus (in *Vaccinieis*) persistens. *Cor*: monopetala » plus minus profunde divisa summo aut sæpius imo » calyci aut glandulæ calycinæ inserta frequentius » marcescens et persistens. *Stam*: libera definita co- » rollæ laciniis numero dupla sc: sæpius 8. quando- » que 5-10. rarissime 4. (in *Blairia* et *Sympieza*), » vel 12. (in *Befaria*), uti corolla inserta, rarissime » ex ima corolla enata, antheris introrsis 2-locula- » ribus sæpius basi 2-cornibus (in *Ericeis*), vel 1- » locularibus simplicibus (in *Epacrideis*). *Ovar*: li- » berum, vel calyci plus minus adhærens (in *Vac-* » *cinieis*) multi-ovulatum. *Styl*: 1. *Stigm:* in tot lo- » bulis divisum quot ovarii loculi. *Fructus* rarius » baccatus (in *Vaccinieis* nonnullis) sæpius capsularis » multi-locularis multi-valvis, valvis utroque margine » introflexo singulis loculum constituentibus (in *Rho-*

» *doraceis*), vel medio septiferis (in *Ericeis*), semper » axi centrali adfixis. *Sem*: plurima plerumque mi- » nuta albuminosa. *Embr:* rectus. *Cotyl*: semi-cylin- » dricæ. *Radic*: sæpius infera. »

Obs: Ordo naturalissimus jampridem a cl: Juss: in 2. (*Rhododendra* et *Ericæ*), postmodum nimis levibus characteribus in 4. (*Vaccinieæ*, *Ericineæ*, *Epacrideæ*, et *Rhodoraceæ*) divisus, melius, habitu inspecto, in 1. retinendus et totidem sectiones quot novi ordines statuendæ. Constat autem 40. circiter generibus satis apte determinatis, quorum altera, *Erica* præsertim, numerosissimas sistunt stirpes elegantissima arbuscula constituentes.

Trib: I.

Vaccinieæ.

Fructus inferus aut semi-inferus sæpius baccatus. (*Ericæ* sect: II. Juss: = *Vaccinieæ* ord: propr: Bartl: p. 153. Genera 5-6.).

I. VACCINIUM Lin: gen: ed: Schreb: n. 658. = Spr: syst: n. 1421. = Lam: ill: t. 286. (*Octand: monog*: L.).

» *Cal*: 4-5-dentatus rarius integerrimus. *Cor*: ur- » ceolata vel campanulata, limbo 4-5-fido reflexo. » *Stam*: 8-10. antheris 2-cornibus dorso 2-aristatis » vel muticis. *Bacca* infera (*Acrosarcum* DESV:) 4- » 5-locularis. »

Obs: Genus constans 50. circiter stirpibus, quarum magna pars *Amer*: bor:, nonnullæ *Amer*: austr:,

perpaucæ *Asiam* vel *Europam* incolentes; arbusculæ foliis alternis indivisis deciduis vel sempervirentibus, corolla campanulata urceolata vel sub-rotata, floribus racemosis aut solitariis, unde divisiones artificiales ex Auctoribus.

1. *Foliis deciduis.*

1. *V. frondosum* = L. sp: 499. (*Amer*: bor:). Glabrum, folia ovato-oblonga integerrima mucronulata, racemi infra folia bracteati, pedicelli bracteis longiores bracteolati, corolla ovato-campanulata laciniis acutis. = 2. *V. amœnum* = Ait: h. Kew: II. p. 12. (*Amer*: bor:). Glabrum, folia elliptica sub-serrulata venis subtus villosiusculis, racemi conferti bracteati, pedicelli ebracteati, corolla sub-cylindrica. = 3. *V. virgatum* = Ait: h. Kew: II. p. 12. (*Amer*: bor:). Differt a priori foliis minoribus venis glabris, ramis floriferis aphyllis elongatis, racemis sessilibus ebracteatis brevibus.

❈ 4. *V. Myrtillus* = L. fl: lapp: 143. = Spr: syst: II. 211. = Duham: arb: II. t. 107. Ic: taur: vol. 8. t. 10. f. 1. Vern: *Osterie* planta, *Ambrunc*, *Ambruale*, *Loffie* fructus (*Eur*: fere tota. *Pedem*: nihil frequentius locis montanis et alpinis All: n. 490. Re fl: segus: p. 33. In *M. Musiné* et a *Superga* eundo versus *S. Mauro* Re fl: tor: I. p. 216. In sylvis montanis *Novariens*: ubique, vulgo *Lorione* Biroli fl: acon: I. p. 130.). Glaberrimum patenti-ramosissimum, folia sub-rotundo-ovata sub-coriacea serrata, pedunculi sub-solitarii 1-flori, corolla urceolata; bacca nigra usum tinctorium præbet et ab Alpicolis comeditur.

✻ 5. *V. uliginosum* = L. fl: suec: 312. 337. = Spr: syst: II. 211. = Oed: fl: dan: t. 231. Ic: taur: vol. 8. t. 10. f. 3. Vern: *Pielle sęrvaje* (*Eur*: et *Amer*: bor: *Pedem*: locis alpinis frigidis et sub-humidis, abunde in *M. Cenisio* et *Pralugnan* All: n. 491. Re fl: segus: p. 33. In summitatibus Alpium *M. Rosa*, *Moro* et *al Sempione* Biroli fl: acon: I. p. 130.). Differt a priori caule tereti nec angulato, foliis integerrimis glaucescentibus sub-pubescentibus, pedunculis aggregatis; var: possideo in *Dahuria* lectam a cl: Fisch: foliis duplo minoribus.

2. *Foliis sempervirentibus.*

✻ 6. *V. Vitis idœa* = L. fl: lapp: 145. = Spr: syst: II. 211. = Oed: fl: dan: t. 40. Ic: taur: vol. 8. t. 10. f. 2. et vol. 15. t. 61. f. 2. Vern: *Mourella* (*Eur*: et *Amer*: bor: *Pedem:* montana potius quam alpina loca inhabitat All: n. 492. Ubertim in alpibus *Mocchiarum* in regione dicta *di Pianfei* Re fl: segus: p. 33. In montibus *di Fiano* et retro *Supergam* in locis umbrosis Re fl: tor: I. p. 217. In nemoribus montanis, specialim circa *Varallo*, *Vogogna* etc. Biroli fl: acon: I. p. 130.). Ramosum subrepens glabrum, folia ovata emarginata revoluta coriacea lucida subtus pallida ferrugineo-punctata, racemi terminales nutantes, corolla campanulata, bacca rubra edulis.

7. *V. buxifolium* = Curt: bot: mag: 928. sec: Donn: h. Cantabr: p. 119. Andr: sec: Spr: syst: II. 212. (*Amer*: bor:). Vix differre videtur a priori foliis angustioribus obtusis nec emarginatis, floribus fascicu-

latis congestis, corolla urceolata. = 8. *V. Oxycoccus* = L. fl: lapp: 145. (*Eur*: et *Amer*: bor: paludibus). Humillimum prostratum filiforme, folia parva ovato-oblonga, pedunculi longissimi, corolla sub-rotata revoluta. = 9. *V. macrocarpon* = Ait: h. Kew: II. p. 13. t. 7. (*Amer*: bor:). Priori affine, sed statura undique majori, foliis obtusiusculis, corollæ laciniis acuminatis diversum.

II. Bæobotrys Forst: prod: n. 97. = Spr: syst: n. 820. = Lam: ill: t. 111. = *Mæsa* Forsk: descr: p. 66. = Juss: gen: n. 161. = *Siburatia* Pet: Thou: (*Pent*: *monog*: L.).

» *Cal*: 5-dentatus bracteolis 2. persistentibus cin-
» ctus. *Cor*: campanulata 5-fida. *Stam*: 5. corollæ
» inserta. *Styl*: brevissimus persistens. *Bacca* semi-
» infera 1-locularis. »

Obs: Genus constans 6-7. stirpibus ex regionibus calidioribus, fruticosis, foliis ovatis plus minus angustatis indivisis, floribus racemosis.

1. *B. lanceolata* = Vahl: symb: I. p. 19. t. 6. (*Arabia*). Frutex erectus ramosus glaber, folia lanceolato-elliptica serrulata acuminata, racemi axillares supra-decompositi folio breviores.

Trib: II.

Ericeæ.

Fructus superus plerumque capsularis valvis medio septiferis. (*Ericæ* sect: I. Juss: = *Ericeæ* ord: propr: Bartl: p. 154. Genera 20. circiter).

III. Erica Lin: gen: ed: Schreb: n. 659. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 1408. = Lam: ill: t. 287. 288. (*Octand: monog*: L.).

» *Cal:* profunde 4-partitus sæpe bracteatus. *Cor:* » 4-fida. *Stam*: 8. receptaculo inserta, antheris ari- » statis aut nudis, exsertis aut inclusis. *Caps*: 4- » locularis 4-valvis calyce cincta. »

Obs: Genus naturalissimum et inter omnia forsan pro stirpium numero (nunc 320. circa) extricatu difficillimum. Arbusculæ fere omnes *Afr*: australem, præsertim promomptorium *B. S.*, paucis europæis exceptis, colentes, sempervirentes, habitu simillimo, foliis angustis alternis oppositis sparsis vel sæpius varie verticillatis, plerumque speciosissimos, semper numerosissimos flores colore vario ac varie dispositos gerentes, plurimæ ornamenti gratia cultæ in frigidariis europæis, sed Hortulanorum diligentiam sæpius respuentes. Ob earum divisionem consideratur præcipue 1.° corollæ forma equidem constanter monopetala 4-fida, sed vel tubulosa apice dilatata (*Tubifloræ*), vel tubo apice constricto (*Conifloræ*), vel oblonga fauce constricta limbo patente (*Ampullaceæ*), vel basi ventricosa ovato-sub-globosa ore contracto limbo pa-

tulo (*Urceolatæ*), vel sensim in limbum dilatata (*Campanulatæ*), vel calyce brevior aut sub-æquans (*Calycinæ*); 2.° antherarum structura, quæ alias simplices sunt (*Muticæ* TH:, *Nudæ* SPR:), alias appendiculatæ sc: setis lævibus subulatis (*Aristatæ*) aut dentato-serratis (*Cristatæ*) inferne adauctæ, quandoque *inclusæ*, sæpe *exsertæ*; 3.° demum foliorum situs, eorum forma, aliæque notæ, præsertim pubes, inflorescentia etc. optimos præbent characteres secundarios. Cons: inter alios THB: dissert: de *Erica* Upsal 1785.; ANDR: *Eric*: icon:; SALISB: in act: soc: Lin: Lond: vol. VI.; WENDL: de *Erica* fasc: etc. etc.; et circa culturam COLLA Antol: bot: vol. VI. p. 172.

Sect: I. (*Tubifloræ*).

α Antheris appendiculatis.

❀ *Foliis ternis.*

1. *E. cruenta* = Ait: h. Kew: II. p. 16. Ic: h. Kew: t. 13. *E. melliflua* Salisb: (*C. B. S.*). Glabra, folia lineari-subulata patentia, flores axillares vel terminales sub-aggregati brevi-pedunculati, antheræ inclusæ brunneæ, stylus exsertus rubicundus, corolla intense punicea uncialis.

❀ ❀ *Foliis quaternis.*

2. *E. ambigua* = Spr: syst: II. 178. ex Wendl: *E. cylindrica* Andr: non Th:? (*C. B. S.*). Hirsutiuscula, folia linearia patula verticillis approximatis, flores terminales sub-solitarii sub-sessiles, genitalia

inclusa, corolla carnea uncialis; species mihi dubia. = 3. *E. Patersonia* = Andr: et Wendl: eric: p. 15. t. 5. (*C. B. S.*). Glabra, folia linearia confertissima elongata patula, flores terminales et axillares 2-3-congesti, 4-bracteolati, antheræ inclusæ, stylus sub-exsertus, corolla flava uncialis.

β Antheris nudis.

* *Foliis ternis.*

4. *E. dichras* = Spr: syst: II. 179. *E. bicolor* Andr: non Thb: (*C. B. S.*). Villosiuscula, folia linearia erecta, flores terminales erecti sub-terni sessiles, antheræ inclusæ, stylus exsertus, calyx coloratus, corolla rubicunda limbo viridescente. *E. bicolor* Thb: pertinet ad *Urceolatas* antheris appendiculatis. = 5. *E. perspicua* = Wendl: eric: p. 7. t. 1. *E. lituiflora* Salisb: (*C. B. S.*). Pubescens brevissime undique ramulosa, folia linearia sub-fasciculata minutissima, flores axillares solitarii terminalesve sub-terni sessiles, genitalia inclusa, calyx brevissimus viridis, corolla albido-diaphana villosa. = 6. *E. versicolor* = W. sp: II. 397. ex Andr: (*C. B. S.*). Glabra patulo-ramosa, folia linearia patentia, flores terminales pedunculati sub-terni erectiusculi, antheræ sub-inclusæ, stylus exsertus, calyx coloratus bracteatus, corolla uncialis et ultra tubo aurantiaco-sanguineo superne flavo, laciniis viridescentibus; stirps elegantissima.

* * *Foliis quaternis.*

7. *E. Linnæana* = Spr: syst: II. 180. ex Dryand:

(*C. B. S.*). Pilosiuscula, undique ramulis brevissimis approximatis conspersa, folia linearia brevissima patentiuscula verticillis valde approximatis; flores non vidi, sec: Spr: sub-sessiles horizontales villosi, calyces lanceolati foliacei, genitalia inclusa. = 8. *E. spuria* = Spr: syst: II. 180. ex Andr: *E. calcitræflora* Salisb: (*C. B. S.*). Villosa villis distantibus, folia linearia erecto-patula, flores terminales 3-4. sub-aggregati pedunculati erecti, antheræ inclusæ, stylus vix exsertus, calyx sub-coloratus brevissimus, corolla flava glabriuscula uncialis. = 9. *E. curviflora* = L. syst: veg: 305. Thb: diss: n. 30. *E. fastuosa* Salisb: (*C. B. S.*). Glabra ramosa ramis paniculato-ramulosis, folia linearia patentissima, flores ad apicem ramulorum solitarii sessiles, antheræ inclusæ, stylus exsertus, calyx brevissimus viridis, corolla curvato-clavata patens glabra sanguinea fere uncialis. = 10. *E. tubiflora* = L. sp: 505. Thb: diss: n. 31. (*C. B. S.*). Erecta cinerea superne tomentosa, folia lineari-3-gona erecta imbricata, flores terminales sub-solitarii sessiles, calyx brevissimus foliaceus ciliatus, antheræ inclusæ, stylus vix exsertus, corolla sub-incurva pollicaris villosiuscula sanguinea. = 11. *E. ignescens* = Spr: syst: II. 180. ex Andr: Wendl: eric: fasc: 8. p. 3. ic:? (*C. B. S.*). Villosiuscula ramosa ramis strictis, folia linearia patentia, flores terminales sub-solitarii cernui ex Spr:, sub-erecti in specim: meis, antheræ sub-exsertæ, stylus longe exsertus, corolla cylindrica rubra basi atro-sanguinea. = 12. *E. sordida* = Spr: syst: II. 180. ex Andr: *E. floccosa* Salisb: (*C. B. S.*). Undique lanata, folia linearia obtusa

patula, flores terminales solitarii sessiles, genitalia longe exserta, corolla villosiuscula cylindrica carnea ultra uncialis. = 13. *E. conspicua* = Ait: h. Kew: II. p. 22. Ic: h. Kew: t. 12. (*C. B. S.*). Caulis pubescens, folia glabra lineari-triquetra acutiuscula patentia, flores in ramulorum apice solitarii vel terni brevissime pedunculati, antheræ sub-exsertæ, stylus longissimus, calyx brevis obtusus, corolla villosa sub-clavata flava ultra uncialis limbo patenti-reflexo. = 14. *E. concinna* = Ait: h. Kew: II. p. 23. *E. abietina* Andr: *E. paludosa* Salisb: sec: Spr: (*C. B. S.*). Glabra, folia acerosa erecta petiolata, flores terminales sub-umbellati brevi-pedunculati, calyx brevis subulatus ciliatus bracteatus, genitalia inclusa, corolla villosiuscula carnea vel purpurea vix uncialis.

Sect: II. (*Coniflorœ*).

α Antheris appendiculatis.

❀ *Foliis ternis.*

❀ 15. *E. cinerea* = L. sp: 501. Thb: diss: n. 85. = Spr: syst: II. 183. = Oed: fl: dan: t. 38. (*Anglia, Norveg:*, *Eur:* austr: In montibus *Unelicæ* ex Molineri sec: All: n. 441. In montibus *d'Intra* et *Cannobbio* frequens Biroli fl: acon: I. p. 131. In *Sabaud*: *forêt de Mendon* legit Huguenin). Caulis cinereo-pubescens ramosissimus, folia linearia fasciculata glabra, flores axillares solitarii vel sub-aggregati erecti pedunculati, calyx lanceolatus tenuissime ciliatus, genitalia inclusa, corolla 2-lin: longa glabra violacea.

❋ ❋ *Foliis quaternis.*

16. *E. mammosa* = Th: diss: n. 69. (*C. B. S.*). Cinereo-fusca flexuosa, folia quandoque sena subulata curvata glabra, flores umbellati versus apicem ramulorum pedunculati, calyx coloratus bracteatus, genitalia inclusa, corolla fere pollicaris glabra incarnata.

β Antheris nudis.

❋ *Foliis sub-quaternis, antheris decurrentibus.*

17. *E. follicularis* = Salisb: sec: Spr: syst: II. 184. *E. Petiveriana* Andr: non *Petiverii* L. (*C. B. S.*). Cinarescens, folia quaterna subulata striata valde approximata, flores sec: Spr: terminales sub-solitarii sessiles penduli, calyces imbricati, genitalia longe exserta. Specim: sub nomine *E. Melastomæ* s. fl: = 18. *E. Sebana* = Ait: ic: h. Kew: t. 10. (*C. B. S.*). Glabra, folia linearia squarrosa, flores terminales terni sub-sessiles, calyx scariosus colorato-bracteatus, genitalia exserta, corolla 2-lin: longa purpurea.

❋ ❋ *Foliis sub-quaternis, antheris discretis.*

19. *E. ciliaris* = L. syst: 304. Thb: diss: n. 19. (*Luisiana*, *Gallia* occid: ex DC.). Decumbenti-erecta villosa, folia terna ovata ciliata patentia, flores sub-racemosi sub-sessiles cernui, calyx foliis similis, antheræ inclusæ, stylus exsertus, corolla 3-4-lin: longa glabra albo-rosea.

Sect: III. (*Ampullaceæ*).

α Antheris appendiculatis.

* *Foliis oppositis.*

20. *E. lutea* = Th: diss: n. 49. (*C. B. S.*). Glabra, ramis virgatis filiformibus, folia lineari-3-gona adpressa fere imbricata, flores in ultimis ramulis solitarii vel sub-fasciculati, calyx flavescens ebracteatus, genitalia inclusa, corolla 2-3-lin: longa varians ex luteo alba.

* * *Foliis quaternis.*

21. *E. ramulosa* = Viv: an: bot: I., fl: ital: fragm: IV. t. 7., fl: cors: p. 5. *E. stricta* Andr: non Don:? *E. corsica* DC. (*Ital:*, *Corsic*: *Sardin:* juxta rivulos in montibus Moris st: sard: I. p. 31.). Glabra, ramulis cinarescentibus, folia linearia obtusa patentissima, flores terminales sub-umbellati brevi-pedunculati, calyx brevissimus coloratus, antheræ inclusæ, stylus exsertus, corolla 1-lin: longa laciniis obsoletis rubra. *E. stricta* Don: valde diversa ex descr: W. sp: II. 366., nec a Spr: videtur relata, nam ex patria, synon: et diagn: *E. stricta* a Spr: enumerata pertinet certe ad *E. corsicam*; melius igitur nomen a Viv: ei impositum retinendum ad vitandam confusionem. = 22. *E. ventricosa* = Th: diss: n. 36. t. 1. f. 1. (*C. B. S.*). Caulis glaber parce ramosus, folia lineari-3-gona ciliata patentia unguicularia et ultra, flores terminales umbellati pedunculati erecti, calyx angustus adpres-

sus, genitalia inclusa, corolla semi-pollicaris valde ventricosa glabra albo-purpurascens sub-pellucida.

β Antheris nudis.

❀ *Foliis quaternis.*

23. *E. princeps* = Spr: syst: II. 187. ex Andr: (*C. B. S.*). Caulis glaber, folia linearia hirsuto-ciliata sub-recurva, flores ex Spr: terminales aggregati, calyces foliacei bracteati hirti, genitalia inclusa; specim: s. fl: = 24. *E. fastigiata* = L. syst: veg: 305. Thb: diss: n. 37. (*C. B. S.*). Caules breves fastigiati vix palmares glabri, folia linearia erecta sub-imbricata, flores terminales sessiles capitati erecti, calyx foliosus, genitalia inclusa, corolla 2-lin: longa glabra extus pallide sanguinea intus alba. = 25. *E. ampullacea* = Curt: bot: mag: 303. (*C. B. S.*). Undique ciliata, folia lineari-lanceolata brevia reflexa, flores terminales sub-quaterni pedunculati erecti, calyx bracteatus acutus coloratus, antheræ inclusæ, stylus vix exsertus, corolla pollicaris et ultra pallide purpurea lineis saturatioribus striata. = 26. *E. comosa* = Th: diss: n. 38. (*C. B. S.*). Glaberrima gracilis, ramis filiformibus flexuosis, folia linearia breviuscula angustissima patula, flores pedunculati congesti in paniculam comosam, calyx bracteatus ciliatus coloratus, genitalia inclusa, corolla 1-lin: longa albida glabra. = 27. *E. mundula* = Spr: syst: II. 188. ex Andr: (*C. B. S.*). Glabriuscula, folia subulata patentissima, flores terminales capitato-sub-quaterni sessiles, calyx foliaceus, genitalia inclusa, co-

rolla elongata fere semi-pollicaris glabra extus rubra intus albida laciniis reflexis. = 28. *E. Muscari* = Andr: *E. fragrans* Salisb: (*C. B. S.*). Differt a priori, cui valde affinis, foliis majoribus sub-arcuatis, corollis magis inflatis 1/3. brevioribus laciniis brevissimis erectis.

Sect: IV. (*Urceolatæ*).

α Antheris appendiculatis.

✻ *Foliis ternis.*

29. *E. aggregata* = Spr: syst: II. 189. ex Wendl: (*C. B. S.*). Pubescens gracilis, folia subulata patentia, flores aggregato-racemosi sub-sessiles, calyx sub-coloratus, antheræ inclusæ, stylus vix exsertus, corolla 1-lin: longa puberula albida. = 30. *E. marifolia* = Ait: h. Kew: II. p. 15. et ic: h. Kew: t. 14. (*C. B. S.*). Pilosiuscula ramosa, folia ovata pubescentia subtus albida, flores sec: Auctores umbellati in ramorum apice, calyx foliaceus, antheræ inclusæ, stylus exsertus; specim: s. fl: = 31. *E. urceolaris* = Ait: h. Kew: III. p. 15. et ic: h. Kew: t. 16. non Salisb: *E. caffra* L. sec: Spr: (*C. B. S.*). Flexuoso-erecta cinereo-villosa, folia lineari-lanceolata revoluta erecto-patentia, flores sub-racemoso-umbellati sub-sessiles, calyx foliaceus, genitalia inclusa, corolla 1-lin: longa hirta incarnata. Cl: W. *E. caffram* L. ab *urceolari* distinguit præsertim stylo exserto; hisce valde etiam affinis *E. hirta* Thb:, *urceolaris* Salisb: et vix ex sicco distinguendæ. = 32. *E. regerminans*

= L. mant: 232. Th: diss: n. 54. (*C. B. S.*). Habitus prioris, sed undique glabra, corolla angustior calyxque rufescens. = 33. *E. pubescens* = L. sp: 506. Th: diss: n. 61. (*C. B. S.*). Media videtur inter *E. caffram* et *regerminantem*; priori accedit pube, alteri floribus; valde varians modis indicatis a Thb: l. c. p. 39.

❉ ❉ *Foliis quaternis.*

34. *E. gracilis* = Wendl: obs: 47. (*C. B. S.*). Humilis gracillima glaberrima, folia minutissima adpressa sub-imbricata, flores terminales sub-umbellati sessiles, calyx coloratus, genitalia inclusa, corolla 1/2-lin: longa albo-rosea. Stylum exsertum dicit Wendl:, in specim: meis atque ex diagnosi Spr: inclusus. = 35. *E. Tetralix* = L. h. Cliff: 148. Thb: diss: n. 66. (*Eur*: bor: paludibus). Cinereo-tomentosa, folia oblonga revoluta ciliata remotiuscula; flores terminales umbellati brevi-pedunculati sub-cernui, calyx foliaceus, antheræ inclusæ, stylus exsertus, corolla 1-2-lin: longa albo-rubescens. = 36. *E. rubens* = Th: diss: n. 83. (*C. B. S.*). Glabra purpurascens flexuoso-erecta gracilis, folia quandoque terna linearia adpressa erecta sub-imbricata, flores terminales pedunculati aggregati, bracteæ in medio pedunculi; calyx adpressus viridi-purpurascens, genitalia inclusa, corolla 1-lin: longa sanguinea. = 37. *E. ramentacea* = L. mant: 65. Thb: diss: n. 87. (*C. B. S.*). Vix a priori diversa colore viridi-fusco nec purpurascente, foliis patulis, calyce breviori foliaceo, corollis minoribus purpureo-violaceis. = 38. *E. margaritacea* =

Ait: h. Kew: II. p. 20. (*C. B. S.*). Glaberrima ramosissima ramulis gracillimis pendulis, folia lineari-3-gona erecta minutissima sub-imbricata, flores per ramulos sparsi terminalesque filiformi - pedunculati, calyx brevissimus adpressus coloratus, antheræ inclusæ, stylus vix exsertus, corolla 1/2 - lin: longa candida sub-diaphana.

Sect: V. (*Campanulatæ*).

α Antheris appendiculatis.

* *Foliis oppositis.*

* 39. *E. vulgaris* = L. h. Cliff: 146. Thb: diss: n. 74. = Spr: syst: II. 193. = Fl: dan: t. 627. *Caluna vulgaris* W. en: *Caluna Erica* DC. Vern: *Bru, Brac* (*Eur*: fere tota. In sterilibus sylvarum apricis ubique All: n. 440. Re fl: segus: p. 33. In pascuis *della Praglia di Pianezza* et *della Mandria* copiosissima, atque abunde quoque in sylvis et in pascuis collium Re fl: tor: I. p. 217. Nimis abundans in ericetis, varians fl: albo et carneo Biroli fl: acon: I. p. 131.). Glabra flexuoso-erecta ramosissima ramis virgatis, folia brevissima 3 - gona 4 - fariam imbricata, flores racemosi sub-secundi pedunculati cernui, calyx duplex foliosus brevis, antheræ inclusæ, stylus exsertus, corolla 1 - lin: longa glabra nitens varians ab albo ad rubrum sæpius carnea, dissepimenta non e valvarum margine sed receptaculo centrali adfixa, ex quo solum a cl: W. dirempta ab *Ericis* et novum *Calunæ* genus statutum (W. en: 415.); sed nota hæc

nimis levis, præsertim si plantæ habitum inspicias a ceteris *Ericis* haud dissimilem, ut typum ex copiosissimo genere et familia divellas. Rustici utuntur ad bombices fulciendas. Variat in hortis flore pleno.

❋ ❋ *Foliis quaternis.*

40. *E. australis* = L. syst: 303. Thb: diss: n. 86. *E. pistillaris* Salisb: (*Eur*: austr:, *Hispan*:). Cinerea rigida, folia linearia margine scabra patentia, flores terminales 2-4. sub-sessiles, calyx bracteatus hirsutiusculus sub-coloratus, antheræ inclusæ, stylus vix exsertus, corolla 1-lin: excedens glabra carnea. = 41. *E. persoluta* = L. mant: 230. Thb: diss: n. 62. (*C. B. S.*). Cinerea gracilis flexuosa ramis filiformibus, folia tenuia subulata sub-imbricata tenuissime ciliata, flores sub-umbellatim dispersi in summis ramulis subsessiles, calyx minutissimus, genitalia inclusa, corolla vix 1-lin: longa incarnata, laciniarum sinu pertuso.

❋ 42. *E. arborea* = L. syst: 302. Thb: diss: n. 80. sub *E. scoparia* = Spr: syst: II. 195. = Lobel: ic: 214. f. 1. (*Eur*: austr: In collibus maritimis *Liguriæ* et circa *Tasia* All: n. 443. In collibus et sylvis totius *Liguriæ* ubi vulgo *Stipa*, *Brugo* appellatur Bertol: am: ital: p. 147. In *Sardin*: sylvis Moris st: sard: I. p. 31.). Cinerea erecta elata rigidiuscula ramosissima ramulis lanuginosis, folia sub-quaterna linearia glabriuscula patentia semi-unguicularia et ultra, flores secus ramos racemosi sub-terni pedunculati, calyx coloratus ovatus brevis, antheræ sub-inclusæ, stylus longe exsertus, stigma capitatum, corolla 1-lin: longa glabra albida.

✽ 43. *E. scoparia* = L. syst: 302. non Thb: nec Spr: = DC. fl: fr: n. 678. = Lobel: ic: t. 215. f. 2. (*Eur*: austr:, *Gallia*, *Hispan*: Circa *Albenga*, in montibus *di Castion* comit: *Nicæens*: All: n. 442. *Liguria* speciatim in oppido *Nasino* ubi vern: *Scove* appellatur teste cl: Re in mss: In collibus *Sardin*: frequens Moris st: sard: I. p. 31.). Stirps obscura ex synon:; cl: Spr: *E. scopariam* L. cum *fucata* Thb: confundit et incolam dicit *C. B. S.*; *E.* autem *arboream* synon: dicit *E. scopariæ* Thb:; quid igitur *E. arborea* n. 63. ejusdem Auctoris? Quid *E. scoparia* L. *Europæ* incola? Ceterum *E. scoparia* nostra statim distinguitur a priori ramis gracilioribus, foliis angustioribus ac præsertim floribus duplo minoribus numerosioribus sub-spicatis viridescentibus, stigmate tantum non stylo vix exserto.

44. *E. cubica* = L. syst: 305. Thb: diss: n. 46. (*C. B. S.*). Glabra ramosa ramis erectis sub-fastigiatis, folia 3-gono-subulata patentia brevia, flores versus apicem ramulorum sub-umbellati pedunculati, calyx serrulatus coloratus, antheræ inclusæ, stylus vix exsertus, corolla 1-lin: longa glabra purpurea.

β Antheris nudis.

✽ *Foliis quaternis.*

✽ 45. *E. herbacea* = L. syst: 306. Thb: diss: n. 43. = Spr: syst: II. 197. = Jacq: austr: t. 32. var: *carnea*. Ic: taur: vol. 16. t. 88. (*Eur*: austr:, *German*: austr: *Pedem*: in subalpinis sterilibus supra

Tenda et in valle *Macræ*; in *Sabaud*: montanis abunde ALL: n. 444 In rupibus *di Scopa*, *Piè di Mulera* et *alla Grotta-Cusana d'Intra* potius rara BIROLI fl: acon: I. p. 131. In montibus prope oppidum *di Crevacuore* eundo versus *Trivero* unice et frequentissimam observavit Tecoph: BILLOTTI. Abunde in orientali plaga *Liguriæ* a montibus *del Bracco* usque *al Borghetto* BERTOL: am: ital: p. 148. sub *E. carnea* c. descr:). Pusilla glabra prostrata ramosissima, folia linearia acuta erecto - patentia, flores racemosi sub - secundi cernui pedunculati, calyx bracteatus coloratus corollam sub - æquans, genitalia exserta, corolla 1 - lin: longa et ultra autumno albo-virens inaperta, veniente vere plus minus saturate rubra aperta, unde male varr: et a quibusdam distinctæ species statutæ inter *E. herbaceam* et *carneam*.

❀? 46. *E. vagans* = L. syst: 306. Thb: diss: n. 45. = Spr: syst: I. 197. = Ic:? (*Cornubia*, *Gallia* austr:, *Afr*: bor: In collibus *Nicæensib*: sec: DC. fl: fr: suppl: p. 330.). Differt a priori caule erecto elato, foliis obtusiusculis, floribus sparsis, calyce breviore; ceterum valde similis.

47. *E. multiflora* = L. syst: 307. Thb: diss: n. 42. (*Eur*: austr:). Nimis præcedenti affinis, a qua vix differt caule humiliori basi decumbente dein erecto, pedunculis longioribus, floribus aggregatis versus apicem ramorum qui comæ ad instar progrediuntur. = 48. *E. sicula* = Spr: syst: II. 197. ex Gusson: (*Sicil*:). A duabus præcedentibus statim distinguitur foliis majoribus crassiusculis patentioribus canescentibus, floribus terminalibus sub-quaternis erectis, antheris in-

clusis. = 49. *E. pyramidalis* = Ait: h. Kew: III. p. 491. (*C. B. S.*). Elata erecta pubescens ramosissima, folia linearia triquetra tenuia, flores secus ramulos sub-terni numerosissimi cum ipsis insignem pyramidem constituentes, calyx brevis coloratus apice viridis, antheræ inclusæ, stylus exsertus, corolla 1-lin: longa villosiuscula albida.

Sect: VI. (*Calycinæ*).

α Antheris appendiculatis.

* *Foliis ternis.*

50. *E. triflora* = L. syst: 303. Thb: diss: n. 79. t. 5. f. 2. *E. pyrolæflora* Salisb: (*C. B. S.*). Erecta pubescens ramosa ramulis filiformibus, folia subulata glabriuscula erectiuscula sub-incurva, flores ad apicem ramulorum plerumque terni brevissime pedunculati, calyx coloratus, genitalia inclusa, corolla 1-lin: longa alba. = 51. *E. andromedæflora* = Spr: syst: II. 199. ex Andr: (*C. B. S.*). Ciliata rigida, folia linearia pubescentia acuta, flores axillares brevipedunculati, calyx coloratus ovatus, genitalia inclusa, corolla 2-3-lin: longa glabra ex sicco aurantiaca.

* * *Foliis quaternis.*

52. *E. baccans* = L. mant: 233. Thb: diss: n. 88. (*C. B. S.*). Glabra erecta, folia linearia obtusiuscula scabriuscula erecta imbricata, flores ad apicem ramulorum sub-umbellati pedunculati, calyx bracteatus

carinatus acutus coloratus, genitalia inclusa, corolla sanguinea glabra globosa magnitudine pisi.

β Antheris nudis.

* *Foliis ternis.*

53. *E. bruniades* = L. sp: 504. *E. capitata* Thb: diss: n. 15. sec: W. non sec: Spr: (*C. B. S.*). Decumbens pilosiuscula, ramis ramulisque filiformibus flexuosis villosis, folia lineari-oblonga abbreviata villosissima sub-erecta, flores terminales sub-umbellati cernui, calyx villosissimus corollam sub-campanulatam pubescentem 1-lin: longam sub-æquans, genitalia inclusa. Cl: Spr: syst: II. 200. *E. capitatam* Thb: refert ad *E. vellerifloram* Salisb:, *bruniadem* Andr: non L., quæ tamen ex diagnosi vix ac ne vix quidem videtur differre. = 54. *E. taxifolia* = Ait: h. Kew: t. 19. (*C. B. S.*). Glabra erecta parce ramosa, folia linearia 3-gona elongata cartilagineo-marginata mucronulata, flores terminales aggregati erecti pedunculati, calyx bracteatus coloratus corollam ampullaceam carneam sub-æquans, genitalia inclusa.

Species mihi non satis notæ.

55. *E. stylosa* = Salisb: sec: Steud: Omissa a W. et Spr: uti seqq: Erecta cinarescens, folia sub-quaterna linearia obtusiuscula glabra patentissima, flores versus apicem ramulorum aggregati, pedunculis filiformibus elongatis, calyx coloratus ovatus obtusus co-

rolla campanulata glabra pallide rubra 1-lin: lata triplo brevior, antheræ nudæ parum exsertæ, stylus paullo longior stigmate capitato. = 56. *E. rosmarinifolia?* = Missa a D. Burdin sub hoc nomine, quod non invenio penes Auctores. Erecta undique albido-puberula ramosissima, folia terna linearia elongata acuta revoluta patentia in ramulis non floriferis erecta sub-imbricata, flores racemosi pedunculati, calyx foliaceus laciniis linearibus acutis patulis corolla dimidio brevior, corolla ampullacea 2-lin: longa villosissima ex sicco carnea, antheræ appendiculatæ fundo inclusæ, stylus parum inclusus stigmate crassiusculo. = 57. *E. polytrichifolia* = Salisb: sec: Steud: et Pers: Cinerea adscendens ramosissima ramis ramulisque flexuosis, folia sub-quaterna lineari-filiformia acuta glabriuscula, flores axillares terminalesque sub-terni pedunculati nutantes, calyx ovatus coloratus brevissimus, corolla ovato-campanulata 1-lin: longa albida limbo erecto, genitalia inclusa. = 58. *E. longipedunculata?* = Erecta rigidiuscula glanduloso-hispidula ramosa, folia opposita ovato-oblonga plana obtusiuscula, flores axillares sub-solitarii pedunculati (non *longe* ut ex nomine), calyx foliaceus patens brevissimus, corolla tubulosa apice constricta glabra 2-3-lin: longa ex sicco rosea, antheræ nudæ exsertæ, stylus paullo longior sub-capitatus; stirps speciosissima. = 59. *E. hybrida* = H. Cels: sec: Steud: Ab *E. spuria* n. 8. vix videtur differre floribus solitariis (an constanter?), ac stylo incluso. = 60. *E. arbutiflora* = H. Cantabr: p. 123. Erecta glabra ramosa rigidiuscula, folia sub-quaterna sub-acerosa patentissima, flores 3-4. in

capitulum terminale pedunculati, calyx coloratus ovatus adpressus, corolla globosa diam: 1-lin: glabra carnea paullo longior, genitalia inclusa. = 61. *E. assurgens* = R. Cantabr: p. 120. Undique albo-tomentosa, caulis adscendens, rami graciles flexuosi, folia quaterna linearia plana acutiuscula patentissima approximata, flores racemoso-capitati sub-sessiles, calyx sub-coloratus laciniis linearibus ciliatis corolla campanulata 1-lin: longa glabra albida dimidio brevior, genitalia inclusa.

IV. MENZIESIA Sm: ic: ined: 56. t. 56. = Spr: syst: n. 1410. = Lam: ill: t. 285. = *Ericæ*, *Andromedæ* et *Vaccinii* species quorumdam.

» *Cal*: 4 - dentatus. *Caps*: 4 - locularis marginibus » valvarum inflexis dissepimenta sistentibus. Cetera » *Ericæ*. »

Obs: Genus ludens inter *Ericam* et *Andromedam*, floribus quandoque decandris, constans 8. circiter stirpibus fruticosis, fere omnibus *Eur*: et *Amer*: bor: incolis.

1. *M. cærulea* = Spr: syst: II. 202. ex Wahl: Sub *Andromeda* L. Sub *Erica* W. (*Lappon*:, *Groënl*:, *Sibir*:, *Amer*: bor:). Tortuosa glabra ramosissima, folia terna vel sparsa confertiuscula linearia cartilagineo-denticulata patentia, flores decandri terminales sub-aggregati longe pedunculati nutantes, calyx acutus, genitalia inclusa, corolla ovata 3 - lin: longa. = 2. *M. polifolia* = Juss: ann: mus: p. 55. *Erica Daboecia* L., W., Thb: (*Hibernia*). Erecta divaricato-ramosa, folia alterna foliolis intermixtis ovato-oblonga

superne glabra subtus albo-tomentosa, flores octandri sub-racemosi brevi-pedicellati sub-nutantes, calyx subulatus coloratus brevissimus, genitalia longitudine corollæ, corolla cylindrico-ovalis 2-lin: longa cærulea.

V. ANDROMEDA Lin: gen: ed: Schreb: n. 747. excl: paucis stirpibus = Spr: syst: n. 1546. = Lam: ill: t. 365. (*Decandr*: *monog*: L.).

» *Cal*: 5 - partitus. *Cor*: sub - campanulata 5 - fida » limbo reflexo. *Stam*: 10. antheris sæpius aristatis. » *Caps*: 5 - locularis 5 - valvis, marginibus valvarum » nudis, columna centrali 5-loba. »

Obs: Genus numero partium floralium, et forma valvarum vix a duobus præcedentibus distinctum, constans 40. circiter stirpibus, præsertim ex regionibus borealibus, paucis ex æquinoctialibus; arbores, frutices vel sæpius suffrutices, foliis oblongis plerumque sparsis sub-coriaceis, floribus solitariis vel racemosis; nonnullæ in hortis nostris cultæ ad ornamentum.

1. *A. hypnoides* = L. sp: 563. (In regionibus arcticis *Eur*:, *Asiæ* et *Amer*:). Pumila prostrata glabra, folia tenuissima subulata imbricata, pedunculi axillares solitarii 1 - flori elongati, corolla 2 - lin: longa, antheræ aristatæ; facies *Hypni*. = 2. *S. prostrata* = Cav: ic: rar: VI. p. 43. t. 562. (*Peruv*:). Prostrata glaberrima, folia sparsa ovato - oblonga denticulata subtus ferruginea, pedunculi axillares solitarii folio duplo breviores; flores ut in priori. = 3. *A. calyculata* = L. fl: suec: II. n. 357. (*Boruss*: orient:,

Russia, *Sibir:*, *Amer:* bor:). Erecta glabriuscula, folia alterna vel sparsa ovato - lanceolata obtusa utrinque lepidota subtus sub - ferruginea, flores racemosi secundi, pedunculi brevissimi, calycibus 2-bracteatis, antheris nudis; variat foliis latioribus et corolla plus minus oblonga (Ait: h. Kew: ed: 2. vol. III. p. 55.). = 4. *A. polifolia* = L. fl: lapp: 173. t. 1. f. 3. (*Eur:*, *Asia* et *Amer:* bor:). Adscendens glabra, folia alterna vel sparsa lineari - lanceolata acuta margine revoluta subtus glauca; flores uti in præcedenti pariter variantes (Ait: l. c. p. 53.), sed pedunculi corolla valde longiores, calycibus nudis, antheris aristatis constanter diversi. = 5. *A. rosmarinifolia* = Spr: syst: II. 298. ex Pursh: (*Amer:* bor:). Vix differt a priori, cujus forsan var:, foliis angustioribus, floribus aggregatis. = 6. *A. mariana* = L. sp: 564. (*Amer:* bor:). Elata erecta glabra, folia ovata plus minus oblonga integerrima decidua, pedunculi ramei aggregati sub-nutantes corollam ovato-cylindricam 2-3-lin: longam superantes, antheris nudis. = 7. *A. speciosa* = Michx: fl: bor: am: I. p. 256. *A. cassinæfolia* Vent: h. Cels: p. 60. t. 60. (*Amer:* bor:). Differt a priori foliis sempervirentibus denticulatis, corollis campanulatis duplo minoribus, pedunculis brevioribus; var: foliis subtus niveo pulvere conspersis (*A. pulverulenta* Bartr:). = 8. *A. acuminata* = Ait: h. Kew: II. p. 70. (*Amer:* bor:). Elata glabra, folia ovato - lanceolata acuminata serrata, racemi axillares simplices nudi folio breviores, flores brevi - pedicellati 1 - lin: longi nutantes odori, antheris nudis. = 9. *A. axillaris* = Ait: h. Kew: II. p. 69. (*Amer:* bor:). Vix distinguitur

a præcedenti foliis acutis non reapse acuminatis, petiolis glanduloso-pilosis. Tam hæc quam duæ præcedentes variant multimode præsertim cultura, unde ortæ quamplurimæ Hortulanorum species diversis nominibus insignitæ; inter has unam possideo a cl: Huguenin communicatam sub nomine *A. corymbosæ*, quæ pubescentia aliisque levioribus notis a ceteris distinguitur, ac sic definiri potest:

10. *A. corymbosa* « Fruticosa erecta, caule ra-
» misque pubescentibus, foliis alternis brevissime pe-
» tiolatis ovato-oblongis obtusis integerrimis superne
» nitidis inferne pubescentibus, racemis sub-corym-
» bosis, pedunculis nutantibus calycibusque glandu-
» loso-pilosis corollæ campanulatæ longitudine, stylo
» sub-exserto. » Nob: (Patria?).

VI. Arbutus Lin: gen: ed: Schreb: n. 750. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 1541. = Lam: ill: t. 366. f. 1. (*Decand: monog*: L.).

» *Cal*: minimus 5-partitus. *Cor*: urceolata, limbo
» reflexo 5-dentato. *Stam*: 10. basi villosa, antheris
» aristatis apice 2-perforatis. *Fructus* baccatus 6-lo-
» cularis, placentis laminas polyspermas sistentibus. »

Obs: Genus a præcedentibus distinctum præsertim fructus structura, nunc constans 15. stirpibus circiter fere omnibus americanis, 2. tantum europæis, una ex ins: *Canariis*; frutices vel suffrutices, foliis alternis oblongis integerrimis vel dentatis, floribus sæpius racemoso-paniculatis rarius solitariis.

❀ 1. *A. Unedo* = L. suppl: 238. = Spr: syst: II. 286. = Mill: ic: t. 48. f. 1. 2. Ic: taur: vol. 16. t. 79.

Vern: *Frole d' marina*, *Frole d' Natal* (*Eur*: austr:, *Hibernia*. In agro *Nicæens*: abunde All: n. 494. In sylvis *Sardin*: vulgatissima Moris st: sard: I. p. 31.). Arborea glaberrima, folia ovato-oblonga serrata coriacea superne lucida, paniculæ terminales læves pendulæ, fructus rubri cerasi magnitudine *Fragariam* æmulantes edules. Culta sub dio in h. Ripul: loco soli exposito hyeme servatur, luxuriose floret, sed fructus ad maturitatem non perveniunt; variat flore albo, rubro et pleno.

2. *A. Andrachne* = L. syst: III. p. 576. (*Græcia*, *Tauria*, *Asia* min:). Differt a priori foliis latioribus obtusioribus ac sub-integerrimis, paniculis viscido-pubescentibus erectiusculis.

Species nova.

3. *A. rigida* = Berter: ined: (In fruticetis apricis collium et montium ins: *Juan-Fernandez*). « Arborea » glaberrima, foliis sub-sessilibus ovatis coriaceis ri- » gidissimis serratis acutis margine sub-revolutis, » racemis terminalibus foliosis, pedunculis elongatis » solitariis sub-nutantibus demum erectis (flores albo- » rosei, bacca rubra duplo minor quam in *A. Unedo*). » Colla pl: rar: chil: fasc: III. t. XXXVI. ined:

VII. Arctostaphylos Spr: syst: n. 1542. ex Adans: = *Arbuti* spec: L.

» *Stam*: glabra antheris apice non perforatis (DC). » *Fructus* drupaceus 5-locularis, seminibus 5. axi » centrali adfixis. Cetera *Arbuti*. »

Obs: Genus vix ab *Arbuto* distinctum notis allatis, ac constans ex SPR: 5. stirpibus, quarum 2. europææ, ceteræ mexicanæ. Antheras non perforatas dicit DC. syn: fl: gall: p. 249., contrarium observat KUNTH syn: pl: æquin: II. p. 326. circa species mexicanas. Character igitur verus sistit in fructus structura.

❀ 1. *A. Uva ursi* = Spr: syst: II. 287. = L. fl: lapp: 162. t. 6. f. 3. sub *Arbuto* = Fl: dan: t. 33. Vern: *Uva dl' Ours* (*Eur*: et *Amer*: bor: *Pedem:* non infrequens in lapidosis apricis pascuis alpinis; ad montes quoque subalpinos descendit; in montibus *Segusio* proximis et supra montem *S. Michaëlis*, sicuti etiam in valle *Exillaram* copiosissime nascitur ALL: n. 496. In alpinis *Javenensibus* RE fl: segus: p. 35. In sylvis alpium *Novariens*:, nec deest in subalpinis circa *Varallo*, *Piè di Mulera* etc. BIROLI fl: acon: I. p. 138.). Fruticulus procumbens glaberrimus, folia ovato-oblonga integerrima coriacea nitida persistentia, flores terminales fasciculati, drupa rubronigrescens orbicularis magnitudine cerasi. Planta adstringens.

❀ 2. *A. alpina* = Spr: syst: II. 287. = L. fl: lapp: 161. sub *Arbuto* = Fl: dan: t. 83. (Alpib: *Helvetic*:, *Pyren*:, regionibus arcticis *Eur*:, *Asiæ* et *Amer:* In *M. Cenisio* et alpibus *Grassoney*, *Pralugnan*, *Courmajour*, et supra *Mirabone* in edito jugo *Col de la Croix* ALL: n. 495. RE fl: segus: p. 35. Ad montem *Turlum* et præsertim in alpibus *di Carcoforo*, *Vanzone* etc. BIROLI fl: acon: I. p. 138.). Differt a priori foliis serratis reticulato-rugosis subtus albidiusculis, floribus racemosis, drupis nigris duplo minoribus.

VIII. Gaultheria Lin: gen: ed: Schreb: n. 749. = Spr: syst: n. 1544. = Lam: ill: t. 367. (*Decand: monog:* L.).

» *Cal*: 5-fidus 2-bracteatus. *Cor*: urceolata ovata.
» *Stam*: 10. antheris apice 2-cornibus. *Caps*: 5-lo-
» cularis calyce demum baccato vestita. »

Obs: Genus vix ab *Andromeda* distinctum præsertim calyculi seu bractearum et calycis substantia, nunc constans 20. circiter stirpibus, fruticosis ex *America*, inter quas generatim colitur in hortis europæis *G. procumbens* L. am: acad: III. p. 14. *Canada* incola; fruticulus decumbens glaberrimus, foliis alternis ovato-oblongis sub-coriaceis nitidis dentatis mucronulatis, floribus axillaribus solitariis brevi-pedunculatis nutantibus.

IX. Lyonia Spr: syst: n. 1547. ex Nutt: = *Andromedæ* spec: alior:

» *Antheræ* nudæ. *Caps*: marginibus ope valvarum
» accessoriarum clausis. »

Obs: Genus a Nutt: statutum pro 3-4. *Andromedæ* stirpibus vix allatis notis distinctis, *Amer:* bor: colentibus. Possideo *L. paniculatam* (sub *Andromeda* L. sp: 564.); suffrutex tortuosus glaber, foliis alternis ovato-lanceolatis integerrimis, floribus racemoso-paniculatis quandoque solitariis, corollis sub-rotundis.

X. Clethra Lin: gen: ed: Schreb: n. 751. = Spr: syst: n. 1572. = Lam: ill: t. 369. (*Decand*: *monog*: L.).

» *Cal*: profunde 5-partitus. *Cor*: plejopetala laci-

» niis 5. basi latis. *Stam*: 10. *Stigm*: 3-lobum. *Caps*: » 3-locularis placentis liberis in quovis loculo. »

Obs: Genus a præcedentibus satis distinctum præsertim calyce et corolla ita profunde partita ut 5-petala adpareat, constans 12. circiter stirpibus fruticosis *Amer*: incolis, una tantum excepta ex *Madera*.

1. *Cl*: *arborea* = Ait: h. Kew: II. 73. (*Madera*). Fruticulus speciosus, foliis alternis ovato-oblongis argute serratis coriaceis glabris, floribus racemoso-paniculatis, rachide pedicelli et calyce albido-puberulis. Ubique in frigidariis europæis culta. = 2. *Cl*: *tomentosa* = Spr: syst: II. 315. ex Lam: *Cl*: *alnifolia* var: *β* W. sp: *Cl*: *pubescens* W. en: (*Amer*: bor:). Differt a priori foliis superne tantum serratis molliusculis subtus albo-tomentosis, racemis simplicibus.

XI. Pyrola Lin: gen: ed: Schreb: n. 572. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 1574. = Lam: ill: t. 367. (*Decand*: *monog*: L.).

» *Cal*: 5-fidus. *Cor*: plejopetala laciniis 5. conni- » ventibus rotundatis. *Stam*: 10. filamentis ascenden- » tibus, antheris 2-cornibus. *Stigm*: 5-lobum. *Caps*: » 5-locularis angulis dehiscens. »

Obs: Genus habitu proprio a præcedentibus valde diverso, nunc constans 18. circiter stirpibus herbaceis ex *Eur*: vel *Amer*: bor: caulescentibus vel scapigeris, foliis indivisis plus minus rotundatis, floribus racemosis rarius solitariis, stylo nunc erecto nunc declinato. Cons: monogr: Dav: Don: in bull: univ: 1824. n. 9. p. 38.

❉ 1. *P. uniflora* = L. fl: lapp: 167. = Spr: syst: II. 316. = Fl: dan: t. 8. (*Eur*:, *Amer*: bor: *Sabaud*: in umbrosis et frigidis locis prope *Chamony* et *Lanslebourg*, *Pedem*: in *M. Cenisio* et alpibus *di Locana*, in editioribus supra *Courmajour* All: n. 1613. Etiam visa est supra *Tenda* All: auct: p. 29. Ad montem *Morum* et ad *Turlum* versus *Macugnaga* potius rara Biroli fl: acon: I. p. 138.). Perenn: Scapigera pumila glabra, folia sub-orbiculata serrata, scapus 1-florus, stylus erectus.

❉ 2. *P. secunda* = L. fl: suec: 332. 362. = Spr: syst: II. 316. = Fl: dan: t. 402. (*Eur*:, *Amer*: bor: *Pedem*: abunde in *M. Cenisio*, valle *di Locana*, alpibus *Valdensium* et *di Ussey* All: n. 1612. Re fl: segus: p. 35. In sylvis vallis *d'Antrona* supra *D. Petrum* ad *M. Rosam* et *Morum* abundans Biroli fl: acon: I. p. 138. In *Montblanc* legit Berterus). Perenn: Caulescens tortuosa, folia ovato-rotundata serrata, flores racemosi secundi, stylus erectus.

❉ 3. *P. minor* = L. fl: suec: 331. 361. = Spr: syst: II. 316. = Fl: dan: t. 55. (*Eur*:, *Sibir*:, *Amer*: bor: *Pedem*: in valle *Ulciensi*, in umbrosis montanis circa *Lucerame*, supra Sanctuarium *dell'Oropa*, atque in alpibus *Chamony* et *Pralugnan* All: n. 1611. Copiose in *M. Gottro Liguriæ* orientalis Bertol: am: ital: p. 357.). Differt a priori præsertim foliorum dentibus rotundatis, floribus in racemo sparsis nec secundis, corollis campanulatis.

❉ 4. *P. rotundifolia* = L. fl: suec: 330. 360. = Spr: syst: II. 316. = Fl: dan: t. 110. Ic: taur: vol. 7. t. 107. f. 2. (*Eur*:, *Amer*: bor: *Pedem*: in dumetis

saxosis et umbrosis Alpium All: n. 1610. Biroli fl: acon: I. p. 138. In *M. Cenisio* Re fl: segus: p. 35.). Statim distinguitur a duabus præcedentibus foliis magis rotundatis sub-crenatis nec dentatis, floribus majoribus, stylo declinato elongato recurvo. *P. media* Sw: a DC. admissa videtur simplex *rotundifoliæ* var: stylo declinato breviori recto.

XII. Chimaphila Pursh: fl: amer: I. p. 300. = Spr: syst: n. 1575. = Bot: mag: t. 778. = *Pyrolæ* spec: L.

» *Filamenta* medio in discum dilatata. *Caps*: apice » dehiscens. Cetera *Pyrolæ*. »

Obs: Genus a *Pyrola* divulsum levibus notis allatis, constans 3. stirpibus ex regionibus borealibus, foliis lanceolatis nec rotundatis.

1. *Ch: umbellata* = Spr: syst: II. 317. ex Nutt: Caulescens tortuosa glaberrima, folia spathulato-lanceolata coriacea superne serrata, flores umbellati.

XIII. Cyrilla Lin: mant: 50. = Spr: syst: n. 865. = *Iteæ* spec: L. gen: ed: Schreb: n. 381. non Spr: = Lam: ill: t. 147. (*Pent: monog:* L.).

» *Cal*: 5-fidus. *Cor*: plejopetala, laciniis 5. paten- » tibus. *Stam*: 5. *Stigm*: 2-lobum. *Caps*: baccata 2- » valvis sub-2-sperma. »

Obs: Genus hoc plures subiit mutationes. Primum statutum a L. pro unica specie (*C. racemiflora*), hinc ab Herit: conjunctum cum *Itea* ejusdem L., fuit ab ipso Herit: translatum ad aliam plantam longe diversam (*C. pulchella*), quæ modo *Treviranæ* genus constituit. Demum a cll: R. et S. et Spr: recepta fue-

runt tamquam distincta genera *Cyrilla* et *Itea*, præsertim ex fructus structura. Prima constat 2. stirpibus americanis, fruticosis, foliis lanceolatis, floribus racemosis. *Itea* pertinet ad *Saxifragaceas*. Vid: supr: vol. II. p. 528.

1. *C. caroliniana* = Michx: fl: bor: am: I. p. 158. *C. racemiflora* L. (*Carolin:*). Frutex orgialis erectus glaber, folia alterna ovato-lanceolata integerrima, racemi laterales sub-aggregati simplices folio longiores penduli, flores albi. Stirps pulcherrima cult: in h. Ripul:; sub dio facile perit.

Trib: III.

Epacrideæ.

Ordo proprius ex R. Br: pr: I. p. 535.
et Bartl: ord: nat: p. 157.

(*Anther*: pentandræ 1-loculares simplices. Genera 8. Frutices omnes australasici habitum proprium referentes).

XIV. Epacris Lin: gen: ed: Schreb: n. 279. = Spr: syst: n. 672. = Lam: ill: t. 111. (*Pent: monog:* L.).

» *Cal:* coloratus 5-partitus bracteatus. *Cor*: tubu-
» losa limbo 5-fido imberbi. *Stam*: 5. epipetala. *Squa-*
» *mulæ* 5. nectariferæ hypogynæ. *Caps:* 5-locularis
» placentis columnæ centrali adnatis demum liberis. »

Obs: Genus constans 25. stirpibus circiter pulcherrimis sempervirentibus, uti *Ericæ* cultura in frigidariis europæis difficillimis.

1. *E. grandiflora* = Smith exot: bot: 75. t. 39. Erecta ramosa glabriuscula, folia fere sessilia basi sub-cordata plana patentia sub-spinoso-acuminata, flores axillares brevissime pedunculati, corolla calyce multoties longior punicea limbo luteolo. = 2. *E. pulchella* = Cav: ic: IV. p. 26. t. 345. Statura valde minor, folia sessilia ovata parva concava mucronata, flores fere sub-spicati in apice ramorum, corollæ tubus calycem acuminatum sub-æquans, limbo patentiusculo. = 3. *E. purpurascens* = R. Brown prodr: I. p. 550. *E. pungens* Sims non Cav: Folia oblongiora parva imbricata cucullata recurvo-cuspidata pungentia, flores axillares solitarii, corollæ ut in priori purpurascentes. = 4. *E. impressa* = Labill: Nov: Holl: I. p. 43. t. 58. Folia alterna lanceolata acuminata planiuscula patentissima, flores axillares brevissime pedunculati, corolla flava extus ad basim foveolis 5. impressis tubo calyce duplo longiore. = 5. *E. lanuginosa* = Labill: N. Holl: I. p. 42. t. 57. Folia alterna parva lineari-lanceolata adpressa margine scabra in ramulis fasciculata tomentosa, flores solitarii axillares fere in capitulum congesti, corolla albida tubo calycem acutissimum lanuginosum sub-æquante.

XV. LYSINEMA R. Brown prodr: I. p. 552. = Spr: syst: n. 673. = *Epacridis* spec: Cav: ic: IV. p. 26. t. 346.

» *Cor*: hypocrateriformis ad basim sæpius partita.
» *Stam*: hypogyna. Cetera *Epacridis*. »

Obs: Genus habitu omnino *Epacridis*, constans 5-6. stirpibus.

1. *L. pungens* = R. Br: l. c. Sub *Epacride* Cav:

l. c. Glabrum ramosum, folia sparsa ovata acuminato-pungentia, flores axillares solitarii sub-sessiles, tubus corollæ rubescens integer calycem sub-æquans, limbus parvus albus.

XVI. ANDERSONIA R. Br: prodr: I. p. 553. = Spr: syst: n. 674.

» *Cor*: limbo basi barbato. *Stam*: hypogyna an-
» theris infra medium adfixis. *Squamulæ* nectariferæ
» connatæ. Cetera *Epacridis*. »

Obs: Genus habitu præcedentium, constans 6. stirpibus.

1. *A. Sprengelioides* = R. Br: l. c. p. 554. Cinerea ramosa, folia approximata sub-imbricata ovato-lanceolata basi recurva acumine plana, flores ad apicem ramorum capitati rubicundi, calyce tubo corollæ breviore.

Trib: IV.

Rhoderaceæ.

Rhododendra Juss: gen: p. 158. = J. S. Hill: fam: I. p. 352. t. 55. (*Caps*: supera multilocularis multivalvis, valvis utroque margine introflexo singulis loculum polyspermum constituentibus. Genera 7-8.).

XVII. RHODODENDRON Lin: gen: ed: Schreb: n. 746. = Spr: syst: n. 1548. = Lam: ill: t. 364. (*Decand: monog*: L.).

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: sub-infundibuliformis limbo

» patente 5-lobo. *Stam:* 10. declinata. *Caps:* 5 - raro » 10-locularis. *Sem:* membrana involuta. »

Obs: Genus conspicuum constans 20. circiter stirpibus arboreis vel fruticosis ex regionibus præsertim borealibus, foliis alternis vel sparsis indivisis sæpius persistentibus coriaceis, floribus plerumque corymbosis vel umbellatis.

1. *Rh: maximum* = L. sp: 563. (*Amer:* bor:). Arboreum glabrum, folia ovato - oblonga acuta subtus pallidiora reticulato-venosa, umbellæ terminales maximæ, flores longe pedicellati magni, corolla campanulata rosea, laciniis rotundatis infima maculata; cultum cum seqq: in h. Ripul: = 2. *Rh: catawbiense* = Michx: fl: bor: Amer: I. p. 258. (*Carolin:* septent: ad scaturiginem *Catawbæ*). Priori simillimum, differens tantum foliis latioribus nec acutis, calycis laciniis longioribus acutioribus. = 3. *Rh: ponticum* = L. sp: 562. (*Asia* min: ad *Pontum*). Differt a præcedentibus, quibus valde affine, foliis parum angustioribus utrinque concoloribus, floribus corymbosis potius quam umbellatis, calycis dentibus brevioribus, corollis fere duplo minoribus laciniis lanceolatis. = 4. *Rh: punctatum* = W. sp: II. p. 607. ex Donn: (*Amer:* bor:). A *Rh: pontico* vix diversum foliis subtus sub - ferrugineis resinoso - punctatis, corollis infundibuliformibus laciniis obtusis sub - undulatis. Possideo specim: sub nomine *Rh: hybridi* H. Cels: quod a *punctato* non differt nisi statura undique minori. = 5. *Rh: arboreum* = Smith exot: bot: I. p. 9. t. 6. (*Ind:* orient:). Omnium maximum et formosissimum, folia oblongo - lanceolata superne nitida inferne ar-

genteo-pubescentia, corymbi terminales, calycis dentes brevissimi obtusi 2. latiores, corolla infundibuliformis purpurea laciniis amplis leviter emarginatis 2. majoribus, capsula 10-locularis. = 6. *Rh*: *azaleoides* = Spr: syst: II. 292. ex Desf: (Patria?). Non videtur a *Rh*: *pontico* n. 2. differre, nisi foliis parum pubescentibus, corolla infundibuliformi laciniis sub-inæqualibus. = 7. *Rh: davuricum* = L. sp: 562. (*Sibir*:, *Dahur*:). Frutescens glabrum, folia oblonga subtus ferrugineo-punctata, flores terminales sub-aggregati, corolla rotata violacea.

* 8. *Rh*: *ferrugineum* = L. sp: 563. = Spr: syst: II. 292. = Jacq: obs: I. p. 26. t. 16. Ic: taur: vol. 8. t. 13. et vol. 10. t. 41. Vern: *Brussei*, *Rate* (Alpib: *Eur*: et *Asiæ* med: *Pedem*: nil frequentius in montibus et alpibus All: n. 445. Re fl: segus: p. 34. Retro *Supergam* eundo versus *Cherium* in sylvis umbrosis apricis, et supra *M. Musinè* Re fl: tor: I. p. 227. In sylvis alpinis *Novariensib*: Biroli fl: acon: I. p. 137.). Frutescens nanum pro genere valde tortuosum, folia oblonga supra nitida subtus leproso-ferruginea margine sub-revoluta, umbella terminalis magna, calycis dentes ciliati, corolla infundibuliformis declinata rosea vel albida. Gallis quas præbet in oleo fusis utuntur Alpicolæ ad vulnera consolidanda.

* 9. *Rh*: *hirsutum* = Mill: dict: n. I. = Spr: syst: II. 292. = Jacq: austr: t. 98. (Alpib: *Eur*: med: speciatim *Helveticis*. In alpib: *di Varzo*, in valle *di Vedro*, *alle Casere superiori*, valle *Formazza* et *al Campello*, valle *di Strona* observavit Biroli fl: acon:

I. p. 157.). Minus tortuosum quam prius, folia fere ovata crenulata ciliata subtus non ferruginea sed tantum resinoso-punctata, calycis dentes fimbriato-barbati, corolla campanulata fere duplo minor erecta.

10. *Rh: caucasicum* = Pall: ross: I. p. 46. t. 31. (In alpib: *Caucasi* occid: et in *Karbek* Fisch: pl: cauc: p. 116.). Fruticosus erectus ramosissimus glaber, folia elliptica punctata subtus pallidiora, umbellæ paucifloræ, corolla rotata albida vel rosea laciniis rotundatis. Folia subtus ex Auctoribus *ferrugineo-tomentosa*; in plantis cultis in h. Ripul: *glabra* et simpliciter punctis tenuissimis adspersa; fricata suavem odorem emittunt. = 11. *Rh: Chamæcistus* = L. syst: p. 405. n. 5. (Alpib: *Rhætic:*, *Noric:*, *Carn:*, *Dinar:*). Omnium minimum facie *Cisti*, folia parva elliptica ciliata, flores sub-solitarii, calyx glanduloso-pilosus, corolla rotata purpurea.

XVIII. Kalmia Lin: gen: ed: Schreb: n. 743. = Spr: syst: n. 1549. = Lam: ill: t. 363. (*Decand: monog:* L.).

» *Cal:* 5-partitus. *Cor:* hypocrateriformis intus fo-
» veolis 10. instructa, limbo 5-fido. *Stam:* 10. fila-
» mentis recurvis, antheris in foveas corollæ im-
» mersis. *Caps:* 5-locularis. »

Obs: Genus singularissimum ob structuram corollæ intus foveolatæ; foveolæ extus desinunt in tuberculum a corolla sæpius discolorem. Arbusculæ speciosæ ex *Amer:* bor: 5-6. stirpes constituentes, foliis oblongis integerrimis persistentibus, floribus sæpius corymbosis rarius solitariis.

1. *K. latifolia* = L. am: acad: III. p. 13. Glaberrima elata, folia petiolata ovato-lanceolata sub-terna, corymbi terminales multiflori viscido-pubescentes, flores purpurei majores quam in ceteris stirpibus. Culta in h. Ripul: cum seqq: = 2. *K. glauca* = Ait: h. Kew: II. p. 64. t. 8. Priori duplo minor, folia sub-sessilia lanceolata subtus glauca margine revoluta, corymbi glaberrimi. = 3. *K. angustifolia* = L. am: acad: III. p. 14. Differt a priori foliis petiolatis majoribus subtus sub-ferrugineis planis, corymbis lateralibus glanduloso-pubescentibus, floribus fere duplo minoribus. Huc pertinet *K. oleæfolia* Hortul: statura minori, foliis glaucescentibus.

XIX. Azalea Lin: gen: ed: Schreb: n. 277. = Spr: syst: n. 671. = Lam: ill: t. 110. (*Pentand*: *monog*: L.).

» *Cal*: 5-fidus sub-inæqualis. *Cor*: infundibulifor-
» mis limbo 5-fido inæquali. *Stam*: 5. receptaculo
» vel rarius basi corollæ inserta. *Caps*: 2-5-locularis.
» *Sem*: nuda. »

Obs: Genus habitu magis ad *Rhododendrum* quam ad *Kalmiam* accedens, sed numero staminum et seminibus nudis satis distinctum, constans 12. circiter veris stirpibus, quarum nonnullæ innumeras pulcherrimasque præbent varr: in hortis cultas. Frutices vel suffrutices plerique ex *Amer*: bor:, nonnulli ex *Asia*, unus tantum europæus, foliis alternis vel rarius oppositis, floribus sæpius corymbosis conspicuis.

✻ 1. *A. procumbens* = L. fl: lapp: 90. t. 6. f. 2. = Spr: syst: II. 627. = Fl: dan: t. 9. (Alpib: *Eur*: et *Amer*: bor: *Pedem*: abunde in saxosis pascuis ste-

rilibus summarum Alpium All: n. 432. In frigidis *M. Cenisii* et in montibus *di Giaveno* Re fl: segus: p. 19. In pascuis alpium præsertim *di Scopa* et *Rimæ* vulgaris Biroli fl: acon: I. p. 68.). Pumila suffrut: procumbens glabra, folia parva opposita ovata revoluta, pedunculi rubri terminales plerumque gemini 1-flori, flores parvi saturate rosei. Calyx in hac sola specie æqualis, corolla sub-campanulata, stamina basi corollæ inserta, antheræ in longum nec poris 2. dehiscentes, ex quibus et ex habitu diverso rite forsan cl: Desv: (Journ: de bot: ann: II. p. 35.) novum *Loisleuriæ* genus de illa constituit.

2. *A. indica* = L. sp: 214. (*Ind*: orient:, *Japon*:). Undique rubescenti-villosa, folia alterna uti in seqq: ovato-lanceolata ad apicem ramulorum rosulata, flores terminales sub-sessiles, corolla sub-campanulata magna elegantissima coccinea in typo, summopere varians. = 3. *A. pontica* = L. sp: app: p. 1669. *A. arborea* L. sp: I. p. 150. (*Asia* min:, *Caucaso* occid: Fisch: pl: cauc: p. 116.). Glabra, folia oblonga sub-undulata nitida ciliata, corymbi terminales ampli, calyx hirsutus, corollæ tubus glanduloso-pilosus limbum sub-æquans. Species adhuc dubia sec: R. et S. syst: IV. p. 374. in obs: = 4. *A. nudiflora* = L. h. Cliff: 69. (*Amer*: bor:). Valde priori affinis, sed multimode varians colore, magnitudine, nec non structura florum, constanter tamen hi sunt extus pilosi et adparent ante folia vel sub ipsa vernatione, unde nomen specificum. = 5. *A. speciosa* = W. en: suppl: p. 10. *A. calendulacea* Pursh: fl: amer: syst: I. p. 151. (*Amer*: bor:). Folia angustiora quam in duabus præ-

cedentibus, et constanter utrinque pubescentia, flores solitarii et aggregati ampli non viscosi fragrantes flammeo-calendulacei vel crocei. = 6. *A. viscosa* = L. syst: ed: 15. p. 205. (*Amer*: bor:). Distinguitur præsertim corolla extus piloso-viscosa, filamentis non exsertis, ceterum valde varians uti *A. nudiflora.* = 7. *A. glauca* = Lam: ill: p. 493. t. 110. f. 2. (*Amer*: bor:). Vix a priori distincta foliis subtus glaucis, staminibus exsertis, corolla alba (an constanter?).

XX. Ledum Lin: gen: ed: Schreb: n. 744. = Spr: syst: n. 1570. = Lam: ill: t. 363. f. 1. (*Decand*: *monog*: L.).

» *Cal*: 5-dentatus. *Cor*: plejopetala laciniis 5. æqua-
» libus. *Stam*: 10. recta æqualia. *Stigm*: 5-lobum.
» *Caps*: 5-locularis basi dehiscens. *Sem*: membrana
» reticulata obvoluta. »

Obs: Genus constans 2. stirpibus ex regionibus uliginosis borealibus *Eur*:, *Asiæ* et *Amer*:, fruticulosis, foliis oppositis integerrimis subtus ferrugineo-tomentosis margine revolutis persistentibus, floribus spicato-corymbosis terminalibus albido-roseis quandoque sub-pentandris.

1. *L. palustre* = L. fl: lapp: 160. Folia linearia, flores 10-andri. = 2. *L. latifolium* = Ait: h. Kew: II. p. 65. Folia elliptico-oblonga utrinque rotundata, flores sub-pentandri.

XXI. Lejophyllum Spr: syst: n. 1571. ex Pers: = *Ledi* spec: alior: = Lam: ill: t. 363. f. 2.

» *Cal*: 5-partitus. *Caps*: apice dehiscens. Cetera *Ledi.* »

Obs: Genus constans unica stirpe (*L. buxifolium* Berg:, *thymifolium* Pers:) a *Ledo* divulsa ob diversum dehiscendi locum in capsula, ceterum præcedentibus simillimum; fruticulus ex *Amer*: bor: foliis ellipticis parvis; utrinque glaberrimum dicunt Auctores, in specim: meis ex loco natali et in plantis cultis subtus ferrugineus uti in *Ledis*.

Trib: V.

Genus Ericineis affine.

XXII. Empetrum Lin: gen: ed: Schreb: n. 1496. = Spr: syst: n. 3167. = Lam: ill: t. 803. (*Dioêc*: *triand*: L., *Empetraceæ* Spr:).

» *Flores* sæpe dioici. *Cal*: 3 - partitus persistens. » *Cor*: 3-petala. Masc: *Stam*: 3-9. antheris 2-partitis. » Foem: *Styl*: sub-nullus. *Stigm*: stellatum depressum » 3-9-lobum. *Bacca* supera orbiculata 3-9-sperma. »

Obs: Genus habitu equidem *Ericearum*, sed fructificatione ex allatis valde distinctum, hinc forsan recte a cl: Spr: ad ordinem proprium amandatum, constans 3. stirpibus fruticulosis vix inter se distinctis, foliis angustissimis sub - ternis, floribus axillaribus sessilibus solitariis.

❄ 1. *E. nigrum* = L. h. Cliff: 470. = Spr: syst: III. 901. = Lobel: ic: 621. (*Eur*:, *Asia* med: et bor: *Pedem*: in summis frigidis alpibus *M. Cenisii*, *Vesuli*, *Rosa*, *S. Bernardi* et *di Faussigny* All: n. 866. Re fl: segus: p. 81. Inter *Rimella* et *Campanello* ad rupes Biroli fl: acon: II. p. 133.). Procumbens tor-

tuosum glabrum, folia oblonga obtusa approximata terna vel quaterna, bacca nigra 9-sperma. Occurrit rarissime floribus hermaphroditis sec: Jacq: et W.

Obs: geographica circa *Ericineas*.

Ericineæ per orbem sparsæ sistunt num: . . 636

Ericineæ pedemontanæ.

Vaccinium	3
Erica	6
Arbutus	1
Arctostaphylos	2
Pyrola	4
Rhododendron	2
Azalea	1
Empetrum	1
	20

Et sic vix 31.am partem constituunt.

Ordo CVIII.

MONOTROPEÆ

Lecoq: dict: p. 412. = Spr: syst: n. 1576. = Seringe Cours de Bot: = Inter plantas *inc*: *sed*: Juss: gen: p. 430. = DC. syn: fl: gall: p. 422. = Bartl: in obs: ad *Ericeas* p. 156. (*Decand*: *monog*: L.).

Char: essentialis.

» *Cal*: 4-5-sepalus coloratus. *Pet*: 4-5. hypogyna » foliolis calycinis alterna et concolora cum ipsis in » cylindrum conniventia et simul decidua basi pro- » ductiore 2-appendiculata. *Stam:* 8-10. hypogyna. » *Ovar*: superum. *Styl*: 1. stigmate sub-peltato. *Caps*: » 4-5-locularis 4-5-valvis polysperma, valvis medio » semi-septiferis, receptaculo centrali 4-5-gono valvu- » larum septis angulatim applicito. *Sem*: numerosis- » sima receptaculo adfixa. *Embr:?* »

Obs: Ordo ex allatis omnino proprius, uno tantum genere modo constans habitu etiam proprio ad *Orobanchem* accedente. Herbæ parasiticæ radicibus arborum innascentes sæpius simplices alterne squamosæ ceterum aphyllæ, floribus terminalibus solitariis vel spicatis, spicis multi- vel pauci-floris, petalis villosis vel glabris integerrimis aut fimbriato-laceris.

I. MONOTROPA Lin: gen: ed: Schreb: n. 737. = Spr: syst: n. 1576. = Lam: ill: t. 362. (*Decand: monog:* L.).

» *Char*: ordinis. Species 5. ex *Eur*:, *Asia* et *Amer*: » bor: »

✻ 1. *M. Hypopitys* = L. fl: suec: 329. 351. = Spr: syst: II. 317. = Fl: dan: t. 232. (*Eur*: passim, *Asia* et *Amer:* bor: *Pedem*: in fagetis vallis *Loana* frequens ALL: n. 1022. In sylvis *S. Martini* collium *Taurinens*: RE fl: tor: I. p. 226. Ex sylvis *Albensib*: retulit BERTERUS). Perenn: Simplicissima, squamæ oblongæ obtusæ sparsæ, spicæ multifloræ, flores flavescentes odorati sub-cernui inferiores octandri, supremus 10-andrus. Variat caule 1-floro erecto.

Obs: geographica circa *Monotropeas*.

Monotropeæ per orbem sparsæ 5
Monotropeæ pedemontanæ 1

Subclassis III.

Corolliforæ (*DC. syst: I.* 124.).

Char: essentialis.

» *Cal:* monosepalus. *Cor:* monopetala. *Stam:* corollæ
» inserta. »

Ordo CIX.

MYRSINEÆ

(R. Br: prodr: 532. et DC. th: élém: p. 217. = *Ophiospermæ* Vent: h. Cels: p. 86. = *Ardisiaceæ* Juss: ann: mus: XV. p. 350. = Bartl: ord: nat: p. 163. = *Sapotearum* nonnulla gen: Juss: gen: 151.).

Char: essentialis.

» *Flores* hermaphroditi vel polygami. *Cal:* 4 - 5 -
» fidus persistens. *Cor:* 4-5-fida. *Stam:* 4-5. corollæ
» laciniis opposita earumque basi inserta, fertilia aut
» sterilia petaliformia. *Antheræ* 2 - loculares loculis
» longitudinaliter dehiscentibus. *Ovar:* superum 1-lo-
» culare multi-ovulatum. *Styl:* 1. brevis stigmate sub-
» simplici. *Fructus* baccatus aut drupaceus 1-locula-
» ris, loculis (abortu?) sæpius monospermis. *Semen*
» fundo loculi infixum hylo inferiori. *Album:* corneum.
» *Embr:* centralis linearis rectus vel tortuosus. »

Obs: Ordo satis naturalis a *Sapoteis* evulsus ex diversa staminum insertione, seminum unitate, ac embryonis forma et dispositione, nunc constans 12. circiter generibus exoticis, arboreis vel fruticosis, foliis alternis, floribus axillaribus vel terminalibus plerumque racemosis vel fasciculatis.

I. Myrsine Lin: gen: ed: Schreb: n. 369. = Spr: syst: n. 718. = Lam: ill: t. 122. (*Pent*: *monog*: L.).

» *Flores* polygami. *Cal*: sub-5-fidus. *Cor*: semi-4-» 5-fida connivens. *Stygm:* sub-lobatum. Bacca pisi-» formis. »

Obs: Genus adhuc obscurum ob maximam cum affinibus proximitatem, nunc constans 30. stirpibus circiter, inclusis nonnullis jam ad alia spectantibus (*Maylilla*, *Badula*, *Samara*, *Rapanea*, *Scleroxylon*, *Roëmeria* etc.). Arbores vel frutices plerique ex *Amer*: merid:, nonnulli *Africam* australem vel *N. Holl*: colentes.

1. *M. africana* = L. h. Cliff: p. 72. (*Afr*: austr:). Frutic: Sempervirens, facie *Buxi*, folia ovato-elliptica versus apicem denticulata subtus sub-ferruginea, pedunculi axillares breves plerumque terni, corolla pallida punctuata sub-clausa, genitalia exserta, bacca cærulea. = 2. *M. retusa* = Ait: h. Kew: I. p. 271. (Ins: *Azor*:). Vix a priori diversa foliis apice retusis, filamentis corolla brevioribus antheris tantum exsertis, stylo incluso. = 3. *M. melanophleos* = R. Br: et Spr: syst: I. 663. *Sideroxylon* L. (*C. B. S.*). Frutex glaberrimus rigidus, folia ovato-lanceolata ob-

tusa integerrima coriacea saturato-viridia persistentia, pedunculi axillares aggregati, flores minimi carnei.

Species dubia.

4. *M. brasiliensis* = Nob: *M*....? Mart: ined: « Fo-
» liis ovato-oblongis basi attenuatis apice acutiusculis
» rotundatis obtusisve integerrimis coriaceis revolutis
» superne nitidis subtus rufescentibus, floribus axil-
» laribus fasciculatis sessilibus. » Nob:

Obs: Missa a cl: Martio ex *Brasilia* ad villam *Valha* sine nomine specifico, affinis videtur *M. Rapaneæ* R. Br: (*Rapanea gujanensis* Aubl: Gujan: I. p. 121. t. 46., Lam: ill: t. 122. f. 1.) tum ex descriptione, cum ex citatis iconibus; differt tamen foliis *coriaceis* non *utrinque mollibus* sec: Aubl: (observandum tamen *coriacea* dicere Spr: syst: I. 663.), ac præsertim margine *revolutis*, subtus *rufescentibus*.

II. Ardisia Sw: prodr: p. 48. = Spr: syst: n. 717. = *Icacoreæ* et *Anguillariæ* sp: Auctor: = Lam: ill: t. 136. sub *Icacorea* (*Pent*: *monog*: L.).

» *Flores* hermaphroditi. *Cal*: sub-5-partitus. *Cor*:
» sub-5-partita laciniis revolutis. *Stam*: basi corollæ
» inserta. *Stigm*: sub-simplex antheris magnis conni-
» ventibus. *Bacca* exsucca. »

Obs: Genus uti prius adhuc obscurum, nunc constans 35. circiter stirpibus fere omnibus ex *Amer*: regionibus calidioribus.

1. *A. coriacea* = Sw: l. c. *Collæa Laureola* Berter: ined: (*Antillis*). Frutex glaberrimus, folia ovato-ob-

longa magna integerrima coriacea avenia, panicula terminalis ampla ramosissima, corolla sub-rotata, antheræ apice perforatæ, stylus inclinatus, stigma simplex. Specim: optimum ex Bertero sub nomine *Collææ Laureolæ;* notæ tamen, quibus a congeneribus distinguitur, non videntur satis aptæ ad novum genus constituendum. Ceterum jam antiquiora *Collææ* genera exsistunt ex DC. et Spr: = 2. *A. crenulata* = Vent: choix p. 5. t. 5. (*Antillis*). Suffrutex glaber, folia ovato-lanceolata acute serrata punctata reticulato-venosa, panicula terminalis mediocris, flores sub-umbellati. Cult: in h. Ripul: = 3. *A. parasitica* = Sw: prodr: p. 48. (In truncis arborum ins: *Dominicæ*, *Brasil*: *Rio d'oro* ex Martio). Suffrut: Glaber gracilis ramosissimus, folia lanceolato-ovata acuminata sub-serrulata subtus pallidiora venis nigricantibus, racemi axillares folio breviores. Specim: ex Martio.

Obs: geographica circa *Myrsineas.*

Myrsineæ per orbem sparsæ circiter . . 70
Myrsineæ pedemontanæ 0

Ordo CX.

SAPOTEÆ

(Juss: gen: 151. excl: II. sect: = J. S. Hill: fam: p. 341. t. 53. = Bartl: ord: nat: p. 161.).

Char: essentialis.

» *Flores* hermaphroditi. *Cal*: varie divisus persi-
» stens. *Cor*: limbus in tot lacinias quot calycis di-
» visiones vel numero duplo. *Stam*: corollæ laciniis
» opposita numero æquali, aut duplo per appendices
» antheriferas (*nectarium* quorumd:) tubo inserta.
» *Styl*: 1. stigmate sub-simplici. *Fructus* baccatus vel
» drupaceus 1 - vel multi - locularis loculis sæpius
» monospermis. *Sem*: ossea hylo laterali sæpius albu-
» minosa. *Album*: carnosum. *Embr*: rectus. *Radic*:
» infera. »

Obs: Ordo jam continens *Myrsineas*, nunc ab ipsis allatis characteribus divisus, habitu fere identico, constans 10-12. generibus pariter exoticis, fruticosis plerumque lactescentibus.

I. Bumelia Sw: prodr: 49. = Spr: syst: n. 720. = Duham: arb: II. p. 260. t. 68. pro *B. lycioidea* sub *Sideroxylon* (*Pent*: *monog*:).

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: tubulosa squamis ad basim
» cujusque laciniæ. *Stam*: 5. squamis totidem mem-
» branaceis alternis. *Bacca* 1-sperma. »

Obs: Genus haud satis determinatum attenta proximitate cum duobus sequentibus, cum quibus sæpe confusum ab Auctoribus. Cons: Poir: dict: suppl: I. p. 444. Spec: ex Spr: 16.; arbores fruticesve spinosi vel inermes, foliis alternis vel sparsis sub-integerrimis, floribus solitariis vel confertis.

1. *B. lycioides* = W. en: 249. *Sideroxylon* L. (*Carolin:*, *Louisian:*). Frutex spinosus glaberrimus, folia alterna lato-lanceolata decidua, flores axillares pedunculati aggregati. = 2. *B. tenax* = W. sp: I. 1085. *Sideroxylon* L. (*Carolin:*). Differt a priori præsertim foliis obovatis sub-retusis subtus sericeis persistentibus. = 3. *B. nigra* = Sw: prodr: 49. (*Jamaica*). Arbor inermis atro-virens, folia approximata ad apicem ramorum ovato-lanceolata glaberrima margine undulata persistentia, flores fasciculati inter folia. = 4. *B. salicifolia* = Sw: prodr: 50. *Achras* L. (*Ind: occid:*). Vix differt a priori cortice albescente, foliis angustioribus sub-acuminatis planis nec undulatis, pedunculis paullo longioribus. = 5. *B. cuneata* = Sw: fl: ind: occid: I. p. 496. (*Ind*: occid:). Pariter inermis glabra, folia brevius petiolata obovata apice subinde emarginata, pedunculi ut in præcedenti.

II. Sideroxylon Lin: gen: ed: Schreb: n. 357. excl: nonnullis stirpib: = Spr: syst: n. 721. = Lam: ill: t. 120. f. 1. (*Pent: monog*: L.).

» *Cal*: 5-fidus. *Cor*: rotata squamis lacinias alter-
» nantibus. *Bacca* 1-5-sperma. »

Obs: Genus facie et habitu prioris ac ab eo vix distinctum characteribus allatis, et speciatim squa-

marum situ, constans ex Spr: 10. stirpibus.

1. *S. inerme* = L. h. Cliff: 69. *S. atrovirens* Lam: (*C. B. S.*). Frutex cinarescens glaber inermis uti seqq:, folia sparsa ovato-oblonga obtusissima quandoque emarginata crassa, pedunculi axillares sparsi aggregati vel solitarii. = 2. *S. pallidum* = Spr: syst: I. 666. *Bumelia* Sw: (*Jamaica*). Differt foliis approximatis ad apicem ramorum uti in *Bumelia nigra*, sed majoribus et pallidis; pedunculi laterales conferti. = 3. *S. sericeum* = Ait: h. Kew: I. p. 262. (*N. Holl:*). Rami, folia subtus, pedunculi et calyces sericei, folia ovato-oblonga obtusa, pedunculi ut in priori sed longiores.

II. Chrysophyllum Lin: gen: ed: Schreb: n. 355. = Spr: syst: n. 722. = Lam: ill: t. 120. (*Pent: monog*: L.).

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: 5-loba sine squamis. *Stam*: » 5. sine squamis. *Stigm*: sub-sessile peltatum 10-» lobum. *Bacca* 1-10-locularis loculis 1-spermis » (*pomum* Sibt:). »

Obs: Absentia squamarum in flore distinguitur præsertim hoc genus a præcedentibus, quibus ceterum maxime affine. Constat nunc ex Spr: stirpibus 15. ex *Americæ* regionibus calidioribus. Arbores foliis alternis integerrimis, floribus axillaribus pedunculatis umbellatis confertis.

1. *Chr: Cainio* = L. syst: veg: 193. (*Ind*: occid:). Arbor procera cortice rufescente, folia elliptica breviter petiolata acuta vel obtusiuscula superne nitida subtus aureo-tomentosa, varians forma, magnitudine et colore fructus; pedunculos sparsos dicit Spr: syst:

I. 666.; in specim: meis varr: etiam sistentibus ex Bertero constanter ipsos vidi in umbellas axillares dispositos. = 2. *Chr: argenteum* = Jacq: amer: p. 53. t. 38. f. 1. (Ins: *Martinic:*). Vix a priori diversum foliis sub-falcatis acuminatis supra *opacis* nec *nitidis* subtus *argenteo* - non *aureo* - tomentosis. Cult: in h. Ripul:; fructus non vidi. = 3. *Chr: glabrum* = Jacq: l. c. f. 2. (*Ind:* occid:). Differt a præcedentibus foliis utrinque glabris; fructus cærulei læves elliptici. Specim: perfectum ex Bertero.

IV. Lucuma Juss: gen: p. 152. = Spr: syst: n. 723. = *Achras* L. (*Pent: monog:* L.).

» *Cal:* 5-partitus. *Cor:* 5-fida. *Stam:* 5. cum filamentis totidem sterilibus alterna. *Bacca* 1 - 10 - sperma seminum exalbuminosorum area umbilicali maxima (char: ex Spr:). »

Obs: Genus valde obscurum, semine *exalbuminoso* præcipue ab affinibus diversum, ex quo difficile determinandum in plantis omnibus exoticis atque in collectionibus europæis rarissimis; 8. species enumerat Spr:; unam tantum possideo ab eodem omissam quam habeo a Bertero sub nomine *L. valparadiseæ* Molin:, quæ vix differre videtur a *L. obovata* Kunth (pl: æquin: III. p. 241.) eadem ac *Achras Lucuma* R. et P., nisi foliis apice parum *emarginatis*, fructibus *ovatis* nec globosis. Crescit in *Chili* sylvaticis maritimis loco dicto *la Quadraba de los Lucumos*.

V. Jacquinia Lin: gen: ed: Schreb: n. 346. = Spr: syst: n. 724. = Lam: ill: t. 121.

» *Cal*: 5 - partitus. *Cor*: sub - campanulata limbo » 10 - lobo, lobis alternis minoribus. *Stam*: 5. ex » sinu basi tubi sine squamis, antheris posticis. *Stigm*: » obtusum. *Bacca* 1-6-sperma. »

Obs: Genus ludens inter *Myrsineas* et *Sapoteas* numero seminum, sed staminum insertione ad ultimas potius pertinens, ac constans 6-7. stirpibus americanis. Arbusculæ aut frutices (non lactescentes), foliis sparsis oppositis aut verticillatis, floribus terminalibus axillaribusve plerumque racemosis.

1. *J. arborea* = Vahl eclog: I. p. 26. (*Ind*: occid:, *Amer*: austr:). Frutex elatus glaberrimus, folia subquaterna cuneiformia in petiolum brevissimum attenuata integerrima apice sub-emarginata coriacea, racemi terminales circiter 15 - flori; flores parvi albi jasmini-odori. Specim: ex Bertero s. fructu.

VI. Bonellia Berter: in Colla h. Ripul: p. 21. not. 2. = *Jacquiniæ* spec: Cav: ic: V. p. 55. t. 483. (*Pent*: *monog*:).

» *Stigm*: capitatum. *Bacca* corticosa. *Sem*: 10-14. » receptaculo pulposo semi - immersa. Cetera *Jac-* » *quiniæ*. »

Obs: Genus a Bertero creatum pro *Jacquinia macrocarpa* Cav: ob diversam fructus structuram et seminum numerum, uti liquet ex ejus descriptione in h. Ripul: l. c., constans unica stirpe (*B. Cavanillesii* Berter:, *Jacquinia aurantiaca* Ait:, *J. caracasana*

Kht: ?) ex *Amer*: calidiore; fruticulus ramosus glaberrimus, folia sparsa sæpe quaterna brevissime petiolata lanceolata integerrima mucronato-pungentia, racemi axillares terminalesve, pedicelli elongati, corolla aurantiaca melliodora, limbo patentissimo.

VII. Achras Lin: gen: ed: Schreb: n. 593. pro una tantum stirpe = Spr: syst: n. 1316. = Lam: ill: t. 255. (*Hexand*: *monog*: L.).

» *Cal*: 6-partitus. *Cor*: ovata 6-fida. *Stam*: 6. ste-
» rilia cum totidem fertilibus alternantia. *Pomum*
» 12-spermum. »

Obs: Genus ob numerum partium floralium nunc unicam speciem satis determinatam referens (*A. Sapota* L. sp: 470.). Arbor mediocris glabra lactescens, folia sparsa petiolata ovato-lanceolata integerrima crassiuscula, pedunculi axillares solitarii 1-flori petiolum sub-æquantes; fructus putrescens sapidissimus. *A. australis* R. Br: videtur sola var:; *A. sessilifolia* Poir: nimis dubia, nam in specim: ab Auctore citato desunt corolla et fructus. Possideo specim: ex planta culta ab Huguenin sub nomine *A. grandifoliæ*, in quo folia sunt reapse duplo majora, sed desunt flores et fructus, quos ipse in litteris monuit nondum obtinuisse.

VIII. Mimusops Lin: gen: ed: Shreb: n. 644. = Spr: syst: n. 1419. = Lam: ill: t. 300. = *Mimusops* et *Imbricaria* (*Octand*: *monog*: L.).

» *Cal*: 6-8-partitus. *Cor*: laciniæ duplici vel mul-
» tiplici serie senæ vel octonæ. *Stam*: 6 - 8. fertilia

» cum sterilibus alterna (*appendices squamiformes* » Juss:, *nectar*: W.). *Bacca* oligosperma (*drupa* 1- » 2-sperma in *Mimusopside*, *pomum* 8-loculare 8- » spermum in *Imbricaria* Juss:). »

Obs: Genus haud satis certum, præsertim in determinatione partium floralium et fructus structura, constans 7-8. stirpibus fere omnibus ex *India* orient: regionibus æquinoctialibus, foliis sparsis integerrimis, pedunculis axillaribus solitariis geminis vel confertis. Possideo tantum specim: imperfectum sub nomine *M. macrophyllæ* quod a *M. Elengi* L. fl: zeyl: 138. non videtur differre.

Obs: geographica circa *Sapoteas*.

Sapoteæ per orbem sparsæ circiter . . .	75
Sapoteæ pedemontanæ	0

Ordo CXI.

EBENACEÆ

Bartl: ord: nat: p. 160. = Juss: gen: p. 155. sub *Guajacanæis* = J. S. Hill: fam: I. p. 346. t. 54. = DC. fl: gall: et th: élém: p. 217. = *Styraceæ* Rich:, Spr: sect: *Ebenacearum*.

Char: essentialis.

» *Cal*: 4-6-dentatus liber aut semi-superus. *Cor*: » imo aut summo calyci inserta lobata aut profunde » partita. *Stam*: nunc definita et corollæ lobis numero » æqualia aut dupla, nunc indefinita filamentis quan- » doque basi monadelphis aut polyadelphis. *Ovar*: » sæpius 4-loculare, loculis 2-4-ovulatis. *Styl*: 1. vel » 2. coaliti. *Stigm*: 4-lobum. *Fructus* capsularis vel » carnosus sæpius 4-locularis loculis (abortu?) mo- » nospermis, rarius 1-locularis 1-spermus. *Embr*: » rectus in albumine carnoso inclusus. *Radic:* infera » vel supera. »

Obs: Ordo satis naturalis pro nonnullis generibus *Diospyro* præsertim (*Ebenaceæ* veræ), parum pro ceteris (*Styracineæ* Rich:, Kht:) et in posterum dividendus, constans 10-12. generibus, quorum aliqua non satis determinata. Arbores vel frutices ligno durissimo, foliis alternis integerrimis sæpe coriaceis, floribus solitariis vel fasciculatis.

I. Diospyros Lin: gen: ed: Schreb: n. 1598. excluso *D. Ebeno* = Spr: syst: n. 1412. = Lam: ill: t. 858. (*Polyg*: *dioëc*: L., *Octandr*: *monog*: Spr:).

» *Flores* polygami. *Cal*: 4-6-fidus. *Cor*: urceolata » 4-6-fida. *Stam*: 8-12. basi corollæ inserta sub-2- » antherifera. *Styl*: 4-fidus. *Bacca* 8-12-locularis ca- » lyce patente demum reflexo suffulta. »

Obs: Genus habitu naturalissimum constans 30. circiter stirpibus, quarum una tantum europæa.

1. *D. virginiana* = L. sp: 1510. (*Amer*: bor:). Arbor excelsa glabra exceptis petiolis pubescentibus, folia ovata obtusiuscula utrinque concoloria, flores sub-solitarii. Cult: in h. Ripul: = 2. *D. Embryopteris* = Spr: syst: II. 203. ex Pers: *D. discolor* W. (*Ind*: orient:, ins: *Philippin*:). Undique glabra, folia oblongo-lanceolata semi-pedalia acuta coriacea superne nitida subtus glauca, flores masculi sub-corymbosi polyandri ex Spr: desunt in specim: meo. = 3. *D. Kaki* = L. suppl: 439. (*Japon*:). Tomentosa, folia ovato-elliptica acuminata molliter pubescentia, pedunculi solitarii 2-flori cernui.

❀? 4. *D. Lotus* = L. sp: 1510. = Spr: syst: II. 203. = Mill: ic: t. 116. Ic: taur: vol. 22. t. 33. (*Eur*: austr:, *Afr*: bor: *Pedem*: occurrit in sylvis collium *Taurinens*: All: n. 489.; dubito tamen illam ibi enasci data opera). Pubescens, folia oblonga acuminata margine sub-undulata subtus albido-pubescentia, gemmæ interne hirsutæ, pedunculi solitarii brevissimi 1-flori.

II. Royena Lin: gen: ed: Schreb: n. 759. = Spr: syst: n. 1686. = Lam: ill: t. 370. (*Decand: dig*: L.).

» *Cal*: urceolatus 5-fidus liber. *Cor*: urceolata 5-
» loba. *Stam*: 10. *Styl*: 2. coaliti. *Caps*: baccata 4-
» locularis sub-2-sperma. *Nuces* trigonæ arillo ob-
» volutæ. »

Obs: Genus constans 7-8. stirpibus ex Promomptorio *B. S.* fruticulosis, foliis plus minus oblongis integerrimis glabris vel pubescentibus, pedunculis axillaribus sæpius solitariis.

1. *R. lucida* = L. h. Cliff: 149. Folia ovata superne lucida margine et subtus venis albido-villosa. = 2. *R. hirsuta* = L. h. Cliff: 163. Folia oblongo-lanceolata utrinque hirsuta approximata ad apicem ramorum fasciculata.

Royenæ dubiæ.

3. *R. ambigua* = Vent: malm: III. t. et p. 17. Omissa a Spr:, non videtur differre a *R. polyandra* L. suppl: 240. Rami villosi, folia ovato-lanceolata in petiolum attenuata utrinque villosiuscula, flores polyandri polygami, corolla 6-8-fida; forsan ad aliud genus amandanda? sed habitus cum congeneribus identicus. = 4. *R. media* = Huguen: hb: Folia elliptica obtusa superne opaca atro-viridia villis tenuissimis lente tantum conspicuis conspersa subtus albido-tomentosa, flores ut in *R. lucida*, cujus forsan var:

III. Styrax Lin: gen: ed: Schreb: n. 753. = Spr: syst: n. 1539. = Lam: ill: t. 369. (*Decand*: *monog*: L.).

» *Cal*: 5-dentatus liber. *Cor*: infundibuliformis 5-
» partita. *Stam*: basi sub-coalita 10. quandoque pau-
» ciora aut plura. *Drupa* exsucca coriacea nucleis 1-2. »

Obs: Genus constans 8-9. stirpibus typum *Styracinearum* constituentibus. Arbores vel frutices, quorum unus tantum europæus; verum *Styrax* officinarum vulgo *Benzoin* extrahitur a *St*: *Benzoin* Dryandr: *Sumatræ* incola.

❉ 1. *St*: *officinalis* = L. sp: 635. = Spr: syst: II. 285. = Cav: diss: VI. p. 338. t. 188. f. 2. Ic: taur: vol. 9. t. 23. (*Syria*, *Judæa*, *Ital*:, *Gallo-prov*: In agro *Nicæens:* abunde rupibus maritimis prope *Zoet* All: n. 497.). Frutex ramosissimus ramis gracilibus, folia ovata superne nitida integerrima subtus albo - villosiuscula venis rufescentibus, racemi simplices 3 - 6 - flori, flores albi.

2. *St*: *lævigatus* = Ait: h. Kew: II. p. 75. (*Carolin*:). Differt a priori foliis latioribus denticulatis utrinque glabris, subtus in axillis tantum venarum barbatis, pedunculis axillaribus solitariis binisve, floribus minoribus.

IV. Halesia Lin: gen: ed: Schreb: n. 814. = Spr: syst: n. 2421. = Lam: ill: t. 404. (*Dodec*: *monog*: L., *Monad*: *dodec*: Spr:).

» *Cal*: 4 - dentatus ovario adhærens. *Cor*: campa-
» nulato-ventricosa 4-loba. *Stam*: 12-16. basi mona-

» delpha. *Drupa* infera exsucca 4-angulo-alata 4-lo-
» cularis 4-sperma, loculis 1-2. sæpe abortivis. »

Obs: Genus habitu priori valde affine, constans 3. stirpibus fruticulosis *Amer*: bor: incolis, inter se vix distinctis ex alis fructus æqualibus vel inæqualibus, et florum magnitudine. Colo *H. tetrapteram* L. sp: 636., foliis ovatis acuminatis denticulatis glabris, venis subtus pilosiusculis, floribus majusculis, alis fructus æqualibus.

V. SYMPLOCOS Lin: gen: ed: Schreb: n. 1223. = Spr: syst: n. 2626. = Lam: ill: t. 455. (*Polyadelph*: *polyand*: L.).

» *Cal*: 5-partitus ovario adhærens basi squamatus.
» *Cor*: 5- vel 10-partita duplici serie. *Stam*: poly-
» adelpha 3-4-plici serie. *Stigm*: 3-5-lobum. *Drupa*
» infera 3-5-locularis. »

Obs: Genus modo constans 20. circiter stirpibus, plerisque ex *Amer*: æquinoct:, nonnullis ex *Nepal*: vel *China* nuper detectis, ex pedunculis solitariis 1-floris vel multifloris, aut floribus sessilibus aggregatis præsertim distinguendis.

1. *S. martinicensis* = L. sp: 747. (Ins: *Antill*:). Frutex glaberrimus, folia ovato-lanceolata serrata nitida subtus pallidiora, pedunculi sub-racemosi, flores albi. = 2. *S. paniculata* = Wall: sec: Spr: syst: III. 340. (*Nepal*:). Specim: ex cl: MARTIO sub nomine *S. cratægoideæ* DON: quadrat cum diagnosi SPR:; panicula coarctata simplex, flores lutei.

Obs: geographica circa *Ebenaceas.*

Ebenaceæ per orbem sparsæ circiter . . 85

Ebenaceæ pedemontanæ.

Diospyros	1
Styrax	1
	2

Ordo CXII.

JASMINEÆ

(Juss: gen: p. 104. = J. S. Hill: I. p. 240. t. 42. = *Lilaceæ* et *Jasmineæ* Vent: = *Jasmineæ* et *Oleineæ* Hofm:, Link:, DC. th: élém: p. 217. et Bartl: ord: nat: p. 216. 217.).

Char: essentialis.

» *Cal:* liber tubulosus varie divisus. *Cor:* tubulosa » regularis rarissime o., limbi lobis plerumque tot » quot calycis divisiones. *Stam:* sæpius 2. *Ovar:* sim- » plex 2-ovulatum. *Styl:* 1. stigmate 2-lobo. *Fructus* » modo capsularis dehiscens vel indehiscens 1-2-lo- » cularis 1-2-spermus, modo baccatus 1-2-locularis. » *Sem:* quandoque arillata. *Embr:* rectus sæpius al- » bumine carnoso oleoginoso involutus. *Radic:* sæpius » supera. »

Obs: Ordo habitu naturalissimus, melius in tribus ex fructus structura quam in ordines diversos dividendus, constans 11-12. generibus. Frutices vel rarius arbores ramis foliisque plerumque oppositis simplicibus vel pinnatis, floribus paniculatis aut corymbosis terminalibus vel axillaribus sæpius oppositis; floribus plerumque suaveolentibus. Cons: Ach: Richard in Ann: sc: nat: 1826. mars p. 350.

Trib: I.

Fructus capsularis (*Lilaceæ* Vent:).

I. Nyctanthes Lin: gen: ed: Schreb: n. 21. = Spr: syst: I. n. 54. = Lam: ill: t. 6. (*Diand*: *monog*: L.).

» *Cal*: sub-integer. *Cor*: hypocrateriformis 5-loba, » lobis obliquis ob-cordatis. *Caps*: compressa obcor- » data 2-partibilis 2-locularis 1-sperma indehiscens. »

Obs: Genus constans unica specie (*N. Arbor tristis* L. fl: Zeyl: II.) ex *Indiis* orient: Arbor mediocris tetragona scabra, folia opposita oblonga acuminata scabra inferiora utrinque 2-3-dentata, pedunculi ramorum oppositi terni, flores involucrati.

II. Syringa Lin: gen: ed: Schreb: n. 29. = Spr: syst: I. n. 61. = Lam: ill: t. 7. (*Diand*: *monog*: L.).

» *Cal*: 4-dentatus. *Cor*: infundibuliformis 4-loba. » *Caps*: 2-locularis 2-valvis 2-sperma, valvis navi- » cularibus medio semi-septiferis. *Sem*: margine mem- » branaceo cincta. »

Obs: Genus constans 4-5-stirpibus, 1.ª tantum eu-

ropæa, ceteris asiaticis. Frutices præcoces, paniculis amplis terminalibus et opposite axillaribus, floribus suavissimis, undique in hortis culti ad ornamentum.

❀ 1. *S. vulgaris* = L. h. Cliff: 6. = Spr: syst: I. 36. = Lam: ill: t. 7. Vern: *Lilà*, *Sirenna*, *Silingria* (*Persia*, *Eur*: *Pedem*: copiose in sylvestribus montis *Crea* atque etiam in collibus *Taurinens*: et secus viam quæ ab *Eporedia* ducit ad vallem *Augustæ Prætoriæ* All: n. 307. sub *Lilac*. Ad montes *di Varallo* copiosa Biroli fl: acon: I. p. 3.). Glaberrima, folia ovato-cordata; variat floribus lilacinis, purpureis vel albis, quandoque etiam plenis. Dicitur a *Persia* in *Eur*: delata ubi spontanea evasit.

2. *S. chinensis* = W. arb: Berol: p. 378. (*China?*). Valde priori affinis, cujus forsan cum *S. persica* hybrida; folia minora ovato-lanceolata nec cordata. = 3. *S. persica* = L. h. Cliff: 6. (*Persia*). Folia in hac prorsus lanceolata integra vel in var: *β* laciniata, quod sæpe occurrit in eodem trunco; semina difficilius refert in hortis nostris quam *S. vulgaris*. *S. marylandica* H. Braid:, *media* H. Modoët:, et *vanina* Dumonc:, quas pariter possideo, nec a Botanicis enumerantur, videntur *S. persicæ* potius quam *vulgaris* varr:, omnes enim habent folia plus minus late lanceolata, numquam basi cordata.

III. Fontanesia Labill: ic: pl: syr: fasc: I. p. 9. t. 1. = Spr: syst: n. 63. = Lam: ill: t. 22. (*Diand*: *monog*: Spr:).

» *Cal*: 4-fidus. *Cor*: 2-partita laciniis 2-partitis.
» *Caps*: samaræformis 2-4-locularis, loculis 1-spermis
» indehiscentibus. »

Obs: Genus constans unica specie (*F. phyllireoides*) in *Syria* detecta a cl: Labill: et in *Sicilia* a cl: Gussonio (fl: sic: prodr: I. p. 7.). Frutex glaberrimus, ramis cinarescentibus, foliis sub-oppositis simplicibus ovato-lanceolatis, accedens foliis ad *Ligustrum*, inflorescentia ad *Phyllilream*, fructu ad *Fraxinum*; flores in racemos axillares dispositi parvi sordide albidi levissime suaveolentes. Cl: Bertolon: (fl: ital: I. p. 48.) calycem et corollam dixit 4-6-partitam, Spr: (l. c.) calycem 4-fidum, corollam 2-petalam; divisionem in 6. numquam vidi in specim: meis neque in plantis cultis; divisio in 4. respectu corollæ ex eo provenit quod ipsa est usque ad basim 2-partita, sed ibi laciniæ evidenter coalitæ adparent, unde male 2-petala; laciniæ autem ipsæ plus minus profunde 2-partiuntur, sed numquam usque ad basim; forsan nonnullæ quandoque 3-partitæ? Ceterum cons: concinnam Bertolonii descriptionem.

IV. Fraxinus Lin: gen: ed: Schreb: n. 1597. = Spr: syst: n. 128. = Lam: ill: t. 858. (*Polyg*: *dioëc*: L., *Diandr*: *mon*: Spr:).

» *Flores* polygami. *Cal*: 4-partitus vel o. *Cor*: 4-
» partita vel o. *Stam*: in hermaphroditis 2., in fœmi-
» neis o. *Styl*: brevis. *Caps*: samaræformis lanceolato-
» epiptera 2-locularis vel (abortu?) 1-locularis, lo-
» culis 1-spermis indehiscentibus. *Sem*: compressa. »

Obs: Genus a *Jasmineis* valde recedens habitu, floribus polygamis et quandoque defectu calycis ac corollæ; sed numero ac insertione staminum, unitate styli, præsentia albuminis, embryonis directione

rectius ad illas quam ad *Acerineas* (ex Schulz:) vel ad *Amentaceas* (ex Spr:) referendum; primæ enim *Thalamifloræ* 5-9-petalæ 7-12-andræ hypogynæ; alteræ *Monochlamideæ* amentum referentes, genitalibus indefinitis, seminibus exalbuminosis. Melius forsan ordo proprius? Constat autem 40. circiter stirpibus, quarum major pars *Amer*: borealis incolæ in sylvis et hortis nostris coluntur, nonnullæ crescunt in *Eur*: vel *Asia*. Arbores plerumque excelsæ, foliis deciduis impari-pinnatis subinde simplicibus intermixtis, floribus parvis racemoso-paniculatis corollatis calyculatis apetalis vel nudis, ex quo sectiones seqq: Cons: Bosc: mém: des sc: mathém: et phys: de l'Inst: de France an 1808.

Sect: I.

Floribus corollatis.

❀ 1. *Fr*: *Ornus* = L. sp: 1510. = Spr: syst: I. 95. = Sibth: et Smith fl: græc: I. p. 4. t. 4. Ic: taur: vol. 22. t. 28. Vern: *Noseta* (*Eur:* austr: *Pedem*: in sylvestribus et saxosis locis collium editiorum provinc: *Aquensis* All: n. 1632. In montanis inter *Cannobbio* et *Intra* rara Biroli fl: acon: II. p. 144. In sylvis *Genuensib*: supra *Marassi* et *Sarzanensib*: Bertol: fl: ital: I. p. 53. *Sardin:* in sylvis *Dorgali*, *Orosei*, *Monte-Santo*, *Terralba* Moris st: sard: I. p. 31.). Arbor mediocris, folia sæpius 3-juga rachide et subtus pubescentia, foliola petiolata oblonga cuspidata sub-inæqualiter serrata, gemmæ ci-

nereo-pulverulentæ, paniculæ brachiatæ, corollæ laciniæ lineares calycinis valde longiores, samaræ glabræ.

Sect: II.

Floribus calyculatis apetalis.

2. *Fr: americana* = L. sp: 1510. (*Amer*: bor:). Folia sub-3-juga, foliola ovato-oblonga acuminata subtus petiolisque glauco-villosa sub-denticulata, gemmæ auratæ, paniculæ coarctatæ, samaræ angusto-lanceolatæ brevi-mucronatæ. = 3. *Fr: acuminata* = Lam: dict: II. p. 542. (*Amer*: bor:). Vix a priori diversa, cujus var: a W. habetur, foliis nitidis sub-integerrimis, gemmis fulvis. = 4. *Fr: juglandifolia* = Lam: dict: II. p. 542. (*Amer*: bor:). Differt a duabus præcedentibus, quibus valde affinis, foliolis latioribus, petiolis glabris, gemmis fuscis, samaris linearibus. = 5. *Fr: caroliniana* = Lam: dict: II. p. 542. non Du-Roi (*Amer*: bor:). Undique glaberrima, folia sub-3-juga, foliola lanceolata acuminata serrulata supra nitida subtus albidiuscula opaca, gemmæ fuscæ, racemi laxi. = 6. *Fr: pubescens* = Walt: carol: 254. (*Amer*: bor:). Foliola elliptica subtus petiolis ramisque tomentosa, gemmæ fuscæ, racemi sub-compositi, stamina quandoque 3-4. = 7. *Fr: epiptera* = Michx: amer: II. p. 256. (*Virgin*:, *Carolin*:). Folia sub-4-juga, foliola elliptica majora quam in præcedenti glabra venis subtus rachideque pilosiusculis, gemmæ fuscæ, samaræ cuneatæ apice obtusæ emarginatæ inferne teretes. = 8. *Fr: viridis* = Bosc: l. c. (*Amer*: bor:). Folia sub-5-juga, foliola

(parva pro genere) ovata acuta argute serrata glabra supra nitida venis subtus vix pubescentibus, rami gemmæque virides; flores non vidi. = 9. *Fr: cinerea* = Bosc: l. c. (*Amer*: bor:). Undique cinereo - pilosiuscula speciatim in gemmis, folia 3-4-juga, foliola distantia late lanceolata; flores et fructus non vidi. = 10. *Fr: Richardi* = Bosc: in Dumonc: II. 581. n. 14. (*Amer*: bor:). Vix differt a priori foliolis angustioribus nec cinereis. = 11. *Fr: ovata* = Bosc: l. c. (*Amer*: bor:). Nigrescens glabra, folia 3-juga, foliola ampla longe petiolata ovata acuta profunde æqualiter dentata subtus pubescentia, gemmæ fulvæ.

Sect: III.

Floribus nudis seu calyce et corolla destitutis.

* 12. *Fr: excelsior* = L. sp: 1509. = Spr: syst: I. 97. = Fl: dan: t. 969. Ic: taur: vol. 22. t. 27. Vern: *Frasso*, *Nousmat*, *Frais* (*Eur*: passim, *Asia*. *Pedem*: ubique in montanis et subalpinis nec in collibus desideratur All: n. 1631. Re fl: segus: p. 83. In humidis sylvis *della Mandria* Re fl: tor: II. p. 159. Provinc: *Novariens:* montanis, ubi inter *Ameno* et *Masino* var: foliis apice tantum dentatis et basi attenuatis ad *Fr: angustifoliam* accedentem legit Biroli fl: acon: II. p. 144. *Sardin*: in sylvis *Macomer*, *Bouorva*, *Ozieri*, *Bono* frequens Moris st: sard: I. p. 31.). Arbor plus minus excelsa secundum loca, folia sub-6-juga glabra, foliola sub-sessilia lanceolata oblique acuminata basi cuneata serrata, gemmæ nigrescentes, racemi folio breviores simplices vel ramosi, samaræ

lanceolatæ basi angustatæ apice variantes. Circa var: hujusce utillimæ stirpis cons: Bosc: l. c. Huc pertinet etiam sec: Bertol: (fl: ital: I. p. 50.) *Fr: rostrata* Guss: pl: rar: p. 374. t. 63., quam habeo a cl: Morisio ex *Sardin*: ubi crescit in arvis et ad sepes *Siligna* (Moris st: sard: III. p. 9.).

13. *Fr: heterophylla* = Vahl enum: p. 53. *Fr: simplicifolia* W. sp: IV. 1098. (*Amer:* bor:). Priori affinis, sed folia modo simplicia modo composita pauci-juga ovata profundius inæqualiter serrata. Colitur ab Hortulanis sub nomine *Fr: diversifoliæ.* = 14. *Fr: parvifolia* = Bertol: fl: ital: I. p. 52. ex Lam: non W. nec Spr: ? (*Sicil:*, *Calabr:* Bertol: l. c.). Planta mihi dubia. Cl: Tenor: (syll: fl: neap: p. 11.) pro planta calabrica citat W. et excludit Lam: Cl: Bertol: citat Lam: nec W. nec Spr: ; hic autem ad Lam: se se refert. In specim: meis ex hb: Biroli deest fructificatio; ceterum quadrant cum descr: Bertolonii, quæ comprehendere quoque videtur *Fr: lentiscifoliam* Desf: (*parvifolia* Lam: sec: W. et Spr:); in hac tamen ex specim: meis foliola oblonga nec ovata. = 15. *Fr: sambucifolia* = Lam: dict: II. p. 543. (*Amer:* bor:). Viridescens nigro-punctata, folia 3 - 5 - juga, foliola sessilia ovato-oblonga sub-pubescentia serrulata, gemmæ fuscæ.

Species omnino dubiæ.

16. *Fr: salicifolia* = H. Belved: sec: Steud: (Patria?). Specim: ex hb: Biroli sine fructificatione undique glaberrimum adparet, folia sub-5-juga, foliola

lanceolata elongata in petiolum attenuata acuminata sub-sinuato-dentata subtus pallidiora, rachide petiolo nervis venisque rufescentibus, gemmæ nigrescentes. = 17. *Fr*: *orientalis* = H. Modoët: (Patria?). Specim: pariter sine fructificatione; folia sunt sub-6-juga, foliola sessilia ovato-lanceolata breviter cuspidata serrulata utrinque glabra concoloria, gemmæ fulvæ.

Trib: II.

Fructus baccatus vel drupaceus (*Jasmininæ*).

V. Jasminum Lin: gen: ed: Schreb: n. 22. = Spr: syst: n. 53. = Lam: ill: t. 6. pro *Mogorio* Juss: et t. 7. pro *Jasmino* (*Diandr*: *monog*: L.).

» *Cal*: 5-8-dentatus vel 5-8-fidus. *Cor*: hypocra-
» teriformis, limbo 5-8-partito. *Stam*: intra tubum.
» *Bacca* nuculosa 2-locularis loculis 1-spermis altero
» sæpius abortivo. »

Obs: Genus constans 50. circiter stirpibus fere omnibus ex *India* orient:, nonnullis ex regionibus australibus, 2. tantum europæis. Frutices elegantissimi, foliis simplicibus aut ternatis rarius pinnatis, floribus 8-partitis in *Mogorio* Juss:, 5-partitis in *Jasmino*, nunc in pedunculis ternis vel ternatim subdivisis, nunc sessilibus fasciculatis. Multæ cultæ in hortis europæis ornamenti gratia.

1. *Foliis simplicibus.*

1. *J. Sambac* = W. sp: I. 35. Sub *Nyctanthe* L. Sub *Mogorio* Juss:, Lam: (*Ind*: orient:). Sub-scandens

pubescens, folia opposita quandoque terna ovata sub-mucronata integerrima glabra exceptis petiolis pubescentibus, flores plerumque bini in axillis albi odoratissimi calyce profunde 8 - partito, corollæ limbo patulo 8 - partito. Cult: in calidariis europæis variat floribus simplicibus (vern: *Gemele*) aut multiplicatis (*Gemele doppie*), aut demum plenissimis amplissimisque (vern: *Goa* vel *Nyctanthes Goa*, vel *Giusmin dl' gran Duca*). = 2. *J. undulatum* = W. sp: I. 36. (*Malab*:, *China*). Rami elongati nec volubiles puberuli, folia opposita ovato-lanceolata acuminata nitida undulata, flores plerumque terni sub-sessiles albidiusculi vix odorati, calyce hirsutiusculo sub-8-partito laciniis rectis subulatis corollæ tubo dimidio brevioribus. = 3. *J. gracile* = Andr: reposit: t. 127. *J. volubile* Jacq: *J. geniculatum* Vent: (Ins: *Mar*: *austr*:, *Norfolk* præsertim). Volubile gracile glabrum, folia opposita ovato-elliptica nitida, flores terminales ternatim sub-divisi albidi calycibus 5-8-dentatis brevibus, corollæ laciniæ lanceolatæ.

2. *Foliis ternatis.*

4. *J. azoricum* = L. h. Cliff: 5. (Ins: *Azoricis*). Rami sub-volubiles vix puberuli, folia opposita, foliola ovata lateralia sub-sessilia media petiolata nitidissima sub-undulata, pedunculi axillares sub-3-fidi, calyx brevissimus 5 - dentatus, corollæ albæ limbus tubum sub-æquans.

❀ 5. *J. fruticans* = L. h. Cliff: 5. = Spr: syst: I. 39. = Curt: bot: mag: t. 461. (*Eur*: austr: Ad sepes in agro *Nicæens*: All: n. 447.). Cæspitosum undique

glaberrimum, folia alterna ternata simplicibus quandoque intermixtis, foliola obovata, pedunculi terminales sub-terni, flores lutei inodori, calyx brevissimus dentibus 5-linearibus.

*? 6. *J. humile* = L. h. Ups: 5. = Spr: syst: I. 39. = Besl: eyst: æstiv: t. 40. f. 2. sec: W. Vix a priori diversum statura undique minori, foliis quandoque pinnatis, dentibus calycinis brevioribus obtusiusculis. Patriam hujusce stirpis incertam dicunt Auctores; cl: Lam: (dict: III. p. 210. n. 6.) asserit in *Gallia* cultum esse sub nomine *Jasmin jaune d'Italie*, quod indicat forsan antiquius ab *Italia* translatum fuisse; at sollertissimus Bertolon: illud non memorat in fl: ital: ubi (tom. I. p. 36.) *J. fruticans* enumerat atque describit, ac *J. officinale* et *grandiflorum* nunc apud nos vulgaria a Flora excludit; possideo tamen specim: *J. humilis* lecta a Bertero in sylvis *Albensibus*.

7. *J. odoratissimum* = L. h. Ups: 5. (*Madera*). Differt a duobus præcedentibus, quibus valde affine, foliis constantius ternatis crassioribus nitidissimis obtusis mucronatis, pedunculis plurifloris, floribus odoratissimis.

3. *Foliis pinnatis.*

*? 8. *J. officinale* = L. sp: I. p. 9. = Spr: syst: I. 32. = Lam: ill: t. 7. f. 1. Vern: *Giusmin* (*Ind*: orient:, nunc in *Eur*: australior: sepibus et vetustis muris. Frequens in agro *Nicæensi*, videtur exoticæ originis fuisse All: n. 448.). Scandens glaberrimum, folia opposita sub-3-juga cum impari, foliola lanceo-

lata acuminata extimum duplo longius, gemmæ erectiusculæ, pedunculi ternatim sub-divisi, laciniæ calycinæ subulatæ tubo corollæ candidissimæ ac odoratissimæ dimidio breviores.

9. *J. grandiflorum* = L. sp: I. p. 9. Vern: *Giusmin d' Spagna* (*Ind*: orient:). Differt a priori caule non scandente, foliolis lateralibus obtusiusculis extimis confluentibus, gemmis horizontalibus, floribus majoribus subtus rubicundis. = 10. *J. revolutum* = Spr: syst: I. 33. ex Sims (*Nepal*:). Erectum glaberrimum, folia alterna sub-2-juga, foliola ovato-lanceolata lateralia sub-obliqua, pedunculi terminales cymosi sub-3-chotomi, calycis dentes brevissimi. Cultum paucis ab hinc annis in hortis europæis sub nomine *J. triumphantis*. = 11. *J. heterophyllum* = Spr: c. p. p. 12. ex Roxb: (*Nepal*:). Elatum glaberrimum, folia ternata vel 2-juga aut simplicia, foliola ovata acuminata magna pro genere. Cult: in h. Ripul: nondum floruit.

VI. Ligustrum Lin: gen: ed: Schreb: n. 23. = Spr: syst: n. 55. = Lam: ill: t. 7. (*Diandr*: *monog*: L.).

» *Cal*: minimus 4-dentatus. *Cor*: infundibuliformis
» limbo 4-partito. *Stam*: in fauce tubi. *Bacca* 2-lo-
» cularis 4-sperma, semine aliquo subinde abortivo. »

Obs: Genus constans 4-5. stirpibus, quarum 1. europæa, ceteræ ex *Indiis* orient: Frutices erecti, ramis oppositis, foliis simplicibus oppositis sempervirentibus, floribus terminalibus thyrsoideo-paniculatis albis odoratis.

* 1. *L. vulgare* = L. h. Cliff: 6. = Spr: syst: I. 33. = Lam: ill: t. 7. Ic: taur: vol. 1. t. 2. Vern:

Sanguin, *Manasevra*, *Corvanna*, *Cravajà* (*Eur*: passim. *Pedem*: ad sepes frequentissimum ALL: n. 453. RE fl: segus: p. 1. et fl: tor: I. p. 25. BIROLI fl: acon: I. p. 3. *Liguria* prope *Sarzana* BERTOL: fl: ital: I. p. 38.). Glaberrimum ramosissimum, caule cinarescente, folia ovato-lanceolata obtusa vel acuta in var: β (*L. italicum* MILL:), thyrsus mediocris.

2. *L. japonicum* = Thb: jap: 17. t. 1. (*Japon*:). Folia multoties majora quam in priori ovata acuminata subtus albidiora opaca, panicula patentissima. Cult: in h. Ripul: cum seq: = 3. *L. nepalense* = Spr: syst: I. 33. ex Wall: *L. spicatum* Don fl: nepal: p. 107. (*Nepal*:). Villosiusculum, folia ovato-oblonga paullo minora quam in præcedenti, panicula composita coarctata villosa.

VII. PHYLLIREA Lin: gen: ed: Schreb: n. 24. = Spr: syst: n. 56. = Lam: ill: t. 8. (*Diandr*: *monog*: L.).

» *Drupa* putamine chartaceo 2-locularis, semine
» altero abortiente. Cetera *Ligustri*. »

Obs: Structura fructus optime nuper descripta a cl: BERTOL: (fl: ital: I. p. 39.) ac inflorescentia distinguunt hoc genus a præcedenti. Stirpes 8-10. fruticosæ ex *Eur*: austr:, 2. ex *Ind*: orient:, foliis oppositis sub-coriaceis indivisis sempervirentibus, racemulis axillaribus in speciebus europæis, terminalibus in indicis.

❋ 1. *Ph*: *latifolia* = L. h. Cliff: 4. = Spr: syst: I. 33. = Sibth: et Smith: fl: græc: p. 2. t. 2. Ic: taur: vol. 19. t. 74. (*Eur*: austr: Ad rupes *Montalbani* in agro *Nicæens*: ALL: n. 452. *Sarzanæ* ad ra-

dices montis *Caprione* et in summitate montis *Darme* Bertol: fl: ital: I. p. 42. *Sardin*: in sylvis montanis Moris st: sard: I. p. 31.). Arborescens vel sæpius cæspitosa ramoso-patula glaberrima, folia ovato-oblonga brevissime petiolata serrulata mucronulata, racemi sub-sessiles laxi, flores parvi albo-virentes suaveolentes.

* 2. *Ph*: *media* = L. h. Ups: 5. = Spr: syst: I. 33. = Duham: II. p. 90. t. 27. (*Eur*: austr: In agro *Nicæens*: All: n. 450. In *Liguria* occidua Bertol: fl: ital: I. p. 40. *Sardin*: cum priori Moris l. c.). Vix differt a præcedenti foliis angustioribus sub-integerrimis, racemis coarctatis; ceterum valde varians, et forsan stirps ipsa var: *latifoliæ*. Cl: Bertol: in mss: observat, post All: neminem in agro *Nicæens*: invenisse hasce duas stirpes.

* 3. *Ph: angustifolia* = L. h. Cliff: 4. = Spr: syst: I. 33. = Lam: ill: t. 8. f. 3. Ic: taur: vol. 23. t. 53. (*Eur*: austr: In agro *Nicæens*: iisdem locis cum præcedente All: n. 451. In *Liguria* occidua Bertol: fl: ital: I. p. 41. Circa *Savonam* habui lectam a Bertero. *Sardin*: ad sepes et in sylvis Moris st: sard: I. p. 31.). Distinctissima a præcedentibus foliis constanter lineari-lanceolatis integerrimis.

VIII. Olea Lin: gen: ed: Schreb: n. 25. = Spr: syst: n. 57. = Lam: ill: t. 8. (*Diandr*: *monog*: L.).

» *Cal*: 4-dentatus minimus. *Cor*: 4-fida raro 0.
» *Styl*: 2-fidus. *Drupa* baccata, putamine osseo, 2-
» locularis 2-sperma obortu 1-locularis 1-sperma. »

Obs: Genus constans 15. circiter stirpibus exoticis,

una tantum europæa. Arbores vel frutices sempervirentes, foliis plerumque oppositis simplicibus sæpius coriaceis, floribus parvis racemosis vel paniculatis axillaribus terminalibusve.

* 1. *O. europæa* = L. h. Cliff: 4. = Spr: syst: I. 34. = Sibth: et Smith: fl: græc: I. p. 3. t. 3. Ic: taur: vol. 7. t. 47. Vern: *Uliva* (*Eur*: austr: In *Liguriæ* maritimis atque in comit: *Nicæens*: sponte nascitur et data opera colitur All: n. 449. *Sardin*: in sylvis et ad dumeta vulgatissima Moris st: sard: I. p. 31.). Frutex cæspitosus in statu sylvestri, arboreus evadit cultura, viridi-cinereus ramosissimus, folia lanceolata subtus incana integerrima mucronulata sub-revoluta coriacea, racemi axillares simpliciusculi folia sub-æquantes, drupæ ellipsoideæ maturitate atro-rufæ oleiferæ. Variat multimode cultura. Cons: Bertol: fl: ital: I. p. 47.

Præter species a me cultas in h. Ripul:, possideo seqq: quas dubias habeo: = 2. *O. dioica* = Spr: syst: I. 34. ex Roxb: (*Ind*: orient:). Specim: communicatum a cl: Martio ex *Nepalia* ramos refert divaricatos nigrescentes rimosos, folia late lanceolata utrinque glaberrima acuminata margine sub-undulata sed integra nec serrata uti in diagnosi Spr:, racemos subpaniculatos axillares terminalesve foliis triplo breviores; fructus desunt. = 3. *O. glandulosa* = Cels: catal: 1828. p. 29. et Colla h. Ripul: app: IV. p. 52. not. 2. (Patria?). Pulcherrima stirps cujus descr: tradidimus l. c. antequam floruisset. Floruit autem anno proxime elapso, sed fructus non tulit. Phrasis hæc erit: « *O.* fruticosa erecta glanduloso-punctata,

» foliis oppositis lanceolato - ovatis acuminatis inte-
» gerrimis glabris nervis transversalibus utrinque
» basi glandulosis, panicula terminali 3 - chotoma
» ramis paucifloris. » = 4. *O. emarginata* = Lam: dict: IV. p. 511. n. 9. et ill: t. 8. f. 2. Sub *Noronhia* Pet: Thouar: nov: gen: madag: p. 8. (*Madagasc:*). Arbor excelsa, folia obovata basi attenuata apice rotundata ac sæpius emarginata glaberrima valde coriacea margine revoluta, panicula terminalis pauciflora, flores pro genere magni. Omissa a Spr:, nam *O. cernua* Vahl (*Noronhia Binia* Thouar:) alia planta humilior racemis axillaribus. Nec *O. emarginata* Vahl quam ipse Spr: citat tamquam synonymam *O. capensis* L. referri potest ad *emarginatam* Lam: Cons: Poir: dict: suppl: IV. p. 138.

IX. Chionanthus Lin: gen: ed: Schreb: n. 26. = Spr: syst: n. 58. = Lam: ill: t. 9.

» *Cal:* brevis 4-dentatus. *Cor:* profunde 4-partita
» laciniis linearibus valde elongatis. *Antheræ* sub -
» sessiles tubo insertæ. *Drupa* 1 - sperma putamine
» striato. »

Obs: Pulcherrimum genus constans 7-8. stirpibus exoticis fruticosis, foliis oppositis plus minus oblongis integerrimis, floribus racemosis vel paniculatis axillaribus vel terminalibus. Colitur in hortis europæis sub dio ornamenti gratia *Ch: virginica* L. h. Cliff: 17. (*Amer:* bor:). Frutex ramosissimus glabriusculus, folia elliptica utrinque attenuata brevi-petiolata obtusiuscula sub-emarginata, panicula terminalis sæpius 3-chotoma pedunculis 3-floris, flores quandoque te-

trandri, corolla candidissima laciniis nonnumquam 5 - 6. Luxuriose floret vere, sed fructus penes nos non refert.

X. Linociera Sw: prodr: 15. = Spr: syst: n. 60. = *Chionanthi* spec: quorumd:

» *Cor*: 4 - petala. *Bacca* sicca 2 - locularis. Cetera » *Chionanthi.* »

Obs: Genus habitu priori simillimum et vix disctum corolla ex Auctoribus 4 - petala et fructu exsucco, sed in plantis viventibus melius examini subjiciendum, mihi enim constat in corollis *Chionanthi virginici* lacinias ita profunde quandoque esse sectas, ut petala omnino libera adpareat. Constat autem 4-5. stirpibus exoticis non satis determinatis, inter quas possideo *L. compactam* R. Br: (*Chionanthus* Jacq: coll: II. p. 110. t. 6. f. 1., Sw:, W.) ex ins: *Caribæis* missam a Bertero.; folia *Chionanthi virginici*, sed nitidiora sub - coriacea, panicula terminalis composita foliolosa, flores congesti sub-sessiles.

XI. Notelæa Vent: choix p. et t. 25. = Spr: syst: n. 59. = *Rhyospermum* Gærtn: = *Oleæ* spec: Andr:

» *Cal*: 4 - fidus. *Pet*: 4. per paria ope staminum » basi nexa. *Drupa* 1 - sperma putamine chartaceo. » *Album*: copiosum rugosum. »

Obs: Genus duobus præcedentibus valde affine et habitu simile, constans 5. stirpibus ex *N. Holl*:, altera ex *Nepal*: Inter primas colo *N. longifoliam* Vent: l. c. (*Olea apetala* Andr:); frutex glabriusculus cinarescens, folia lanceolata acuta utrinque reticulato-

venosa sub-coriacea, racemi axillares folio multoties breviores, calycis laciniæ inæquales, corolla parva, stylus 2-fidus. Facies *Oleæ* potius quam *Chionanthi.*

Obs: geographica circa *Jasmineas.*

Jasmineæ per orbem sparsæ circiter . . 140

Jasmineæ pedemontanæ.

Syringa	1
Fraxinus	2
Jasminum	3
Ligustrum	1
Phyllirea	3
Olea	1
	11

Et sic 13.am partem circiter constituunt.

Ordo CXIII.

STRYCHNEÆ

(DC. th: élém: p. 317. = *Apocyneis* affines Juss: gen: 149. = Lam: ill: t. 119. pro *Strychno* = *Apocyneæ Echiteæ* Bartl: ord: nat: p. 204.).

Char: essentialis.

» *Cal*: liber 5-divisus. *Cor*: tubulosa vel campa-
» nulata 5-loba. *Stam*: 5. libera fauci corollæ inserta
» ejusdemque lobis alterna filamentis brevibus, an-
» theris pulverulentis. *Ovar*: simplex. *Styl*: 1. *Stigm*:
» crassiusculum. *Bacca* cortice sæpius crustaceo-fra-
» gili 1-locularis polysperma. *Sem*: placentæ centrali
» adfixa. *Embr*: planus in apice albumini cornei
» magni. »

Obs: Ordo constans 4-5. generibus (species circiter 40.), fructus structura præsertim ab *Apocyneis* divulsis, regiones calidiores colentibus, quorum typus (*Strychnos* L. gen: n. 339.) nucem illam præbet venenatissimam in officinis sub nomine *Nucis vomicæ* notam. Cons: inter alios Hamilt: in trans: Lin: III. p. 503. Nullam de hoc ordine plantam possideo, nisi malis huc referre *Brexiam spinosam* a me descriptam et pictam in h. Ripul: app: IV. p. 7. tab: III.; quæ tamen ab ordine recedit corolla 5- nec 1-petala, *urceoli staminiferi* præsentia, ac bacca 5-*loculari*.

Ordo CXIV.

APOCYNEÆ.

(R. Brown prodr: ed: 1. p. 465., ed: 2. p. 321. = *Apocyneæ* Juss: gen: p. 143. excl: generibus ad *Strychneas* et *Asclepiadeas* amandatis = Dizion: sc: nat: vol. II. p. 350. t. 466. 467. = *Contortarum* pars Spr: = *Apocyneæ* et *Loganieæ* Bartl: ord: nat: p. 203 - 206.).

Char: essentialis.

» *Cal*: liber 5 - divisus. *Cor*: 5 - loba lobis sæpius » obliquis nunc nuda, nunc aucta appendicibus 5. » forma variis. *Stam*: 5. corollæ inserta ejusdem » lobis alterna, filamentis liberis, antheris simplici- » bus pulverulentis. *Ovar*: simplex vel duplex. *Styl*: » 1. aut 0. rarius 2. (in *Carisseis* Spr:, *Rauwiolfeis* » DC.). *Stigm*: varium. *Fructus* varius, sc: in *Apo-* » *cyneis veris* 2-follicularis, folliculis conjugatis mem- » branaceo-capsularibus oblongis intus longitudinali- » ter dehiscentibus polyspermis, in *Carisseis* drupa- » ceus vel baccatus. *Sem*: in folliculosis ad marginem » folliculi imbricatim infixa nuda aut coma pilosa » coronata. *Embr*: rectus in albumine carnoso. *Ra-* » *dic*: supera. »

Obs: Ordo naturalissimus, structura fructus rite a *Strychneis* distinctus, facile dividendus in 2. tribus, floribus sc: *monogynis* et *digynis*, ac subdividendus

ratione corollæ *nudæ* vel *appendiculatæ*, fructuum *follicularium* vel *baccatorum*. Cons: R. et S. syst: IV. p. XXXII. pro conspectu ordinis. Genera nunc 60. circiter; herbæ aut frutices arboresve plerumque acri-lactescentes, foliis oppositis vel alternis, sæpius glandulis axillaribus sub-ciliaribus interdum vix conspicuis instructis, inflorescentia varia.

Trib: I.

Monogynæ (*Apocyneæ veræ*).

Sect: I.

Folliculosæ.

A. Seminibus comosis.

α Corolla nuda.

I. Echites Lin: gen: ed: Schreb: n. 421. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 681. = Lam: ill: t. 174. = *Echites* et *Parsonsiæ* spec: R. Br: (Inter *Echiteas* Bartl:).

» *Cal*: 5-partitus parvus. *Cor*: tubulosa esquamata. » *Antheræ* medio stigmati adhærentes. *Squamæ* 5. » hypogynæ. *Folliculi* 2. *Sem*: ad extremitatem umbilicalem comosa. »

Obs: Genus constans 60. circiter stirpibus exoticis ex regionibus plerumque calidioribus, nonnullis e terris australibus, fruticosis sæpius volubilibus, foliis plerumque oppositis rarius alternis, pedunculis 1-floris fasciculatis racemosis vel paniculatis, corolla

hypocrateriformi vel infundibuliformi, staminibus inclusis vel exsertis, ex quibus notis optimæ hauriuntur divisiones. Nonnullæ cultæ in calidariis europæis.

Plures species possideo, inter quas nova forsan est *E. ovata?* Mart: hb: (In sylvis *Calingas Brasil:*). Missa sub hoc nomine a cl: MARTIO sine flore, refert caulem scandentem hirsutiusculum, folia opposita ovata basi sub-cordata margine leviter sub-undulata apice cuspidata utrinque glabra subtus tamen albidiora.

II. APOCYNUM Lin: gen: ed: Schreb: n. 426. exclusis 3. stirpib: = Spr: syst: n. 686. = Lam: ill: t. 176. (Inter *Echiteas* Bartl:).

» *Cal:* 5-fidus minimus. *Cor:* campanulata tubo » denticulis 5. laciniis limbi oppositis adaucto. *An-* » *theræ* medio stigmate cohærentes. *Styl:* sub-nullus. » *Squamæ* 5. hypogynæ. *Folliculi* graciles acuminati. » *Sem:* longe comosa. »

Obs: Genus nunc constans 12. stirpibus circiter exoticis (una tantum europæa), herbaceis vel fruticosis sæpius erectis nec scandentibus, foliis oppositis, floribus cymoso-paniculatis.

1. *A. androsæmifolium* = L. h. Cliff: 80. (*Amer: bor:*). Perenn: Cæspitosum glabriusculum ramosissimum, folia ovata acuta integerrima subtus albido-puberula, cymæ terminales vel laterales sub-3-chotomæ, flores parvi rosei muscicapi, unde nomen gallicum *Gabemouche*, italicum *Chiappamosche*; in hortis undique cultum sub dio. = 2. *A. venetum* = L. h. Cliff: 80. (*Ital:*, *Dalmat:*, *Thracia*, *Caucas:*). Differt a præcedenti statura minori, foliis oblongo-lanceolatis

utrinque glabris concoloribus margine denticulato-scabris; flores albo-viridescentes.

β Corolla coronata.

III. Nerium Lin: gen: ed: Schreb: n. 420. excl: 3. stirpib: = Spr: syst: n. 692. = Lam: ill: t. 174. (Inter *Echiteas* Bartl:).

» *Cal*: 5-partitus parvus. *Cor*: hypocrateriformis » fauce corona lacera instructa (*nectarium* quorumd:). » *Antheræ* sagittatæ medio stigmate cohærentes apice » filamentosæ. *Styl*: 1. stigmate truncato conico. *Folliculi* erecti conniventes. *Sem*: oblonga comosa. »

Obs: Genus nunc constans 4. veris stirpibus tantum, quarum 1. europæa, ceteræ ex *Ind*: orient: Frutices vel arbusculæ, foliis sæpius ternis vel rarius oppositis plus minus oblongis integerrimis, floribus terminalibus sub-corymbosis plerumque conspicuis, corona varia.

❀ 1. *N. Oleander* = L. h. Cliff: 76. = Spr: syst: I. 637. = Lam: ill: t. 174. Ic: taur: vol. 2. t. 127. Vern: *Leandro*, *Fior d'or* (*Ind*: orient:, *Eur*: austr: In montib: *Nicææ* et collibus *Sospitellensibus* All: n. 368. *Sardin*: juxta rivulos frequens Moris st: sard: I. p. 31.). Speciosissima stirps foliis ternis lineari-lanceolatis coriaceis venosis, coronæ laciniis 3-cuspidatis, floribus amplis albis vel plus minus intense rubris, simplicibus aut plus minus plenis. Huc pertinent varr: pluribus nominibus ab Hortulanis donatæ, inter quas elegantissima quæ *splendens* dicitur. Tradunt Auctores, a Beroemingio sub nomine *Floris A-*

donidum introductam fuisse stirpem hanc a *Gades* in *Europam*, ubi in regionibus australibus communiter spontanea evasit.

2. *N. odorum* = Ait: h. Kew: I. p. 297. (*Ind*: orient:). Differt a priori statura undique minori, corona multifido - filamentosa; variat flore *carneo* vel cum pedunculis *flavescente* (*N. flavescens* Spin:), aut *luteo* (*N. luteum* Nois:).

B. Seminibus nudis.

IV. Vinca Lin: gen: ed: Schreb: n. 419. excl: *V. lutea* ad *Gonolobum* amandata = Spr: syst: n. 695. = Lam: ill: t. 172. (Inter *Echiteas* Bartl:).

» *Cal*: 5 - partitus brevis. *Cor*: hypocrateriformis » fauce 5 - plicata, limbi laciniis oblique truncatis. » *Filamenta* apice dilatata in squamas concavas. *Antheræ* membranaceæ 2-loculares. *Styl*: 1. stigmate » 5-gono basi annulato. *Glandulæ* 2. ad basim germinis. *Folliculi* erecti conniventes. *Sem*: oblonga » nuda. »

Obs: Genus constans 4 - 5. stirpibus europæis vel asiaticis, suffruticosis, procumbentibus vel erectiusculis, foliis oppositis oblongis, floribus axillaribus solitariis vel geminis.

❋ 1. *V. minor* = L. mat: med: 71. = Spr: syst: I. 638. = Lam: ill: t. 172. f. 2. Ic: taur: vol. 2. t. 122. 123. Vern: *Polenga*, *Ciocchinet*, *Vincola*, *Violeta servaja* (*Eur*: passim. *Pedem*: ad sepes ubique vulgatissima All: n. 369. sub *Pervinca*. Re fl: segus: p. 22. et fl: tor: I. p. 151. Biroli fl: acon: I. p. 83.).

Procumbens radicans, folia sempervirentia nitida, pedunculi solitarii, laciniæ calycinæ lanceolatæ glabræ, flores sæpius cærulei; variat tamen floribus albis, rubris, variegatis ac plenis.

* 2. *V. major* = L. sp: 304. = Spr: syst: I. 638. = Engl: bot: t. 514. Ic: taur: vol. 2. t. 120. 121. (*Anglia*, *Helvet*:, *Eur*: austr: *Pedem*: abunde in monte *Crea* aliisque locis collinis sylvosis, sed frequentius occurrit in comit: *Nicæensi* All: n. 370. sub *Pervinca*. Ad dexteram viæ, quæ ducit ad *Eremum* non procul a *Vinea regia* et ad sepes vinearum *Chaumont* ac *Roati*, ante Sacellum vineæ *Fontanella* Re fl: tor: I. p. 151. In agri *Novariens*: collibus Biroli fl: acon: I. p. 84. In *Sardin*: sylvis et ad muros Moris st: sard: I. p. 31.). Distinguitur a priori statura undique majori, caulibus erectiusculis, foliis margine levissime ciliatis, laciniis calycinis setaceis elongatis ciliatis; flores cæruleos semper vidi.

3. *V. rosea* = Mill: dict: n. 3. et t. 186. (*Asia* æquinoct:). Erecta rigidiuscula, folia ovato-oblonga villosiuscula petiolis basi 2-dentatis, pedunculi gemini brevissimi, laciniæ calycinæ setaceæ, flores rosei vel albi fauce intus rosea. Ex seminibus floret intra annum et semina profert matura, in calidario frutescit et perennat.

V. Tabernæmontana Lin: gen: ed: Schreb: n. 424. = Spr: syst: n. 696. = Lam: ill: t. 170. (Inter *Echiteas* Bartl:).

» *Cal*: parvus 5-partitus. *Cor*: hypocrateriformis. » *Filam*: inclusa antheris sagittatis quandoque exser-

» tis. *Styl*: 1. vel 2. filiformes, stigmate e dilatata
» basi 2-fido. *Ovar*: basi sæpius glandulosum. *Folli-*
» *culi* divaricati ventricosi. *Sem*: nuda in pulpa ni-
» dulantia. »

Obs: Forma, substantia, et directio folliculorum distinguunt præsertim hoc genus ab affinibus. Constat autem 35-40. stirpibus fruticosis, exoticis plerumque ex regionibus æquinoctialibus, nonnullis e terris australibus, foliis oppositis vel rarius alternis integris, inflorescentia varia.

1. *T. cymosa* = L. mant: 53. (*Nov*: *Granat*:, *Brasil*:). Frutex glaberrimus, folia opposita ovato-lanceolata acuta subtus pallidiora, cymæ laterales amplissimæ multifloræ, corollæ tubus basi quinquangulari-ventricosus; fructus desunt in specim: communicato a cl: Martio; folia dicunt Auctores semi-pedalia, in specim: sunt valde minora; an sp: distincta? = 2. *T. amygdalifolia* = Jacq: amer: 39. t. 181. f. 15. (*Amer*: austr:). Folia opposita quandoque terna vel etiam ad apicem ramorum quaterna oblonga concoloria glabra, pedunculi sub-terminales dichotomi pauciflori, antheræ exsertæ. Cult: in h. Ripul: ex seminibus missis a Bertero e *Guadalupa*, fructus quandoque perficit.

VI. Amsonia Walt: carol: 98. = Michx: fl: bor: amer: I. p. 121. = Spr: syst: n. 698. = Pluk: phyt: t. 115. f. 3. = *Tabernæmontanæ* spec: quorumdam (Inter *Echiteas* Bartl:).

» *Cor*: faux clausa. *Stigm*: capitatum angulo mem-
» branaceo cinctum. *Folliculi* recti cylindrici nec intus

» pulposi. *Sem*: teretia oblique truncata. Cetera *Ta-*
» *bernæmontanæ.* »

Obs: Genus constans 3-4. stirpibus ex *Amer*: bor:, herbaceis, foliis alternis quandoque confertis oblongis plus minus angustatis integerrimis, floribus racemosis corymbosis vel paniculatis.

1. *A. latifolia* = Michx: l. c. *Tabernæmontana Amsonia* Ait: (*Virgin*:, *Carolin*:). Perenn: Erecta sub-simplex glabriuscula, folia alterna lanceolata subtus ad nervos parce puberula (prorsus *glabra* in specim: meis), racemi terminales compositi, flores pallide cærulescentes.

Sect: II.

Capsulares, *drupaceæ*, *vel baccatæ.*

VII. Allamanda Lin: gen: ed: Schreb: n. 418. = Spr: syst: n. 631. = Lam: ill: t. 171. (Inter *Echiteas* Bartl:).

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: infundibuliformis limbo 5-
» lobo sub-irregulari. *Stam*: fauci corollæ inserta.
» *Discus* sub ovario annularis. *Styl*: longus stigmate
» capitato, medio ita angustato ut duplex videatur.
» *Caps*: coriacea compressa sub-rotunda echinata 2-
» valvis polysperma. *Sem*: margine membranaceo
» nuda. »

Obs: Genus constans 4-5. stirpibus ex *Amer*: calidiore, quarum nonnullæ recentius repertæ valde dubiæ. Frutices sub-scandentes, foliis oblongis sub-verticillatis integerrimis, floribus axillaribus sub-fasciculatis plerumque amplis speciosis.

1. *A. cathartica* = L. mant: 214. (*Gujan*:). Scandens glabriuscula, folia quaterna ovato-oblonga in petiolum attenuata hinc gradatim latiora obtusa cum acumine supra intense viridia glabra subtus albidiuscula nervis ferrugineis albo-pilosis, flores amplissimi brevi-pedunculati flavescentes. Cult: in h. Ripul: =

2. *A. verticillata* = Spr: syst: I. 584. ex Desf: (*Brasil*:). Ex specim: communicatis a cl: Martio e *Brasilia* mihi non videtur differre a priori, nisi foliis *subsenis* ac utrinque sensim sine sensu æqualiter attenuatis; hæc dicit *obtusa* ac *glaberrima* cl: Spr: in phrasi; in mea planta sunt acuminata et subtus ad venas pilosiuscula. Binas alias stirpes sine nomine misit laudatus Martius, sed ob specim: imperfectionem nil certi circa ipsas statuere audeo; folia sunt angustiora quam in præcedentibus, et forsan pertinent ad *A. angustifoliam* vel *œnotheræfoliam* Pohl: pl: brasil: in bull: univ: 1829. Avril p. 84.

VIII. Cerbera Lin: gen: ed: Schreb: n. 415. = Spr: syst: n. 700 = Lam: ill: t. 170. (Inter *Rauwolfieas* Bartl:).

» *Cal*: profunde 5-partitus. *Cor*: infundibuliformis » fauce 5-dentata, limbo 5-lobo regulari. *Antheræ* » sub-sessiles summo tubo impositæ a stigmatis fo- » veolis exceptæ. *Drupa* magna latere sulcata fœta » nuce ossea 4-valvi 2-loculari 2-sperma (char: fru- » ctus ex Juss:); vel *drupæ* duæ exsuccæ putamine » fibroso semi-2-valvi 1-loculari, loculamento per se- » ptum mobile in duas concamerationes diviso. *Sem*: » sub-solitaria (char: fructus ex Gærtn:). »

Obs: Genus constans 14-15. stirpibus, adhuc obscurum circa fructum, et forsan ob variam ejus structuram in complura dividendum sec: observationem cl: KUNTH (syn: pl: æquin: II. 292.). Arbores vel frutices ex regionibus æquinoctialibus, valde venenati, foliis sparsis integerrimis, inflorescentia varia, floribus speciosis flavis aut albis.

1. *C. Ahovai* = L. sp: I. 303. (*Brasil*:). Arbor mediocris apice ramosa, folia sparsa versus apicem ramorum sub-fasciculata ovato-oblonga acuminata glaberrima sub-coriacea, flores 6-7. in pedunculo terminali albi odorati, calyces reflexi. = 2. *C. Manghas?* Culta in h. Ripul: cum priori ubi ambæ læte florent, sed fructus non ferunt; juxta SPR: *C. Manghas* AIT: (*C. Odallum* HAMILT:) drupam habet 2-spermam, *C. Manghas* GÆRTN: (*C. lactaria* HAMILT:) 1-spermam; ceterum videntur simillimæ. = 3. *C. Thevetia* = L. sp: 303. (*Ind*: occid:). Facile distinguitur foliis linearibus longissimis margine sub-revolutis glaberrimis superne lucidis subtus opacis, pedunculis axillaribus solitariis 1-floris. Specim: optimum ex BERTERO.

IX. CARISSA Lin: gen: ed: Schreb: n. 413. = Spr: syst: n. 739. = Lam: ill: t. 118. (Inter *Carisseas* Bartl:).

» *Cal*: 5-partitus parvus. *Cor*: infundibuliformis
» fauce nuda, limbo 5-partito regulari. *Stam*: in-
» clusa. *Styl*: filiformis stigmate simplici. *Bacca* 2-
» locularis polysperma. »

Obs: Genus forsan *Jasmineis* affinius, quam *Apocyneis*, et cum seq: ad Trib: II. amandandum, ni

præsentia unius styli obstaret. Constat autem 10. circiter stirpibus, quarum pleræque ex *Ind*: orient:, nonnullæ ex *N. Holl:*, fruticosis, sæpius spinosis, foliis oppositis integerrimis, inflorescentia varia.

1. *C. spinarum* = L. mant: 559. (Ins: *Molucc*:). Arbor ramosissima ramis 2-3-chotomis spinis validissimis horizontalibus simplicibus oppositis ad ramificationes, folia sub-sessilia ovata coriacea glaberrima, pedunculi 5-6. terminales brevissimi, corollæ tubus rubescens, limbus albus.

X. Arduina Lin: mant: 552. = Spr: syst: n. 728. = Mill: ic: t. 300. = *Carissæ* spec: Lam: (Inter *Carisseas* Bartl:).

» *Stigm*: 2-fidum. *Bacca* 2-locularis loculis 1-
» spermis. Cetera *Carissæ*. »

Obs: Genus habitu *Carissæ*, et cum ea a Lam: conjunctum, constans 2. stirpibus tantum exoticis, inter quas colo *A. bispinosam* L. (*Carissa Arduina* Lam:); frutex ex *C. B. S.*, caule cinarescente ramosissimo, ramis rigidis 2-3-chotomis, spinis crassis bis 2-fidis, foliis oppositis brevissime petiolatis ovato-sub-cordatis acutis nitentibus coriaceis, floribus terminalibus confertis albis.

Trib: II.

Digynæ (*Rauwolfieæ* quorund:).

XI. Rauwolfia Lin: gen: ed: Schreb: n. 411. = Spr: syst: n. 957. = Lam: ill: t. 172. (Inter *Rauwolfieas* Bartl:).

» *Cal*: minimus 5-partitus. *Cor*: infundibuliformis » limbo 5-fido æquali rotundato. *Stam*: sub-exserta. » *Styl*: 2. stigmate capitato connati. *Drupæ* 2. cohæ- » rentes 1-spermæ (*semen* inferne reflexo-condupli- » catum, dissepimento incompleto circumpositum; » *embr*: inferne uncinato-recurvatus; *radic*: supera. » Char: ex Kunth). »

Obs: Genus jam inter *Monogynas* enumeratum, sed præsentia 2. stylorum stigmate etsi communi junctorum, æque ac 2. fructuum etsi connatorum, uti primus agnovit Rottb: (Progr: bot: udst: Nytte p. 40.), postmodum ad *Digynas* translatum. Constat autem 12. circiter stirpibus exoticis fere omnibus ex *Amer*: austr:, fruticosis, foliis plerumque ternis quaternisve rarius oppositis oblongis integerrimis, pedunculis 1-floris vel racemosis aut corymbosis.

1. *R. nitida* = L. h. Cliff: 75. t. 9. (*Amer*: austr:). Frutex glaberrimus, folia sæpius quaterna lanceolata nitida quorum 2. parum inferiora breviora, pedunculi axillares terminalesve racemoso-3-5-flori, flores parvi albi. = 2. *R. spinosa* = Cav: ic: VI. p. 16. t. 526. (*Peruv*:). Fruticulus villosiusculus, folia opposita ovato-lanceolata obtusa rugosa subtus molliter villosa,

spinæ oppositæ parvæ, pedunculi breves sub-1-flori, flores parvi luteo-albi, drupa pisiformis maturitate nigra. In specim: meo ex hb: Bellard: ceterum optimo desunt spinæ. Aliud possideo communicatum a Balbis: sine flore sub nomine *R. lycioideæ*, quod non videtur differre, nisi foliorum superficie lævi ac utrinque glabriuscula.

XII. Plumeria Lin: gen: ed: Schreb: n. 422. = Spr: syst: n. 961. = Lam: ill: t. 173. (Inter *Echiteas* Bartl:).

» *Cal*: minimus obtuse 5-fidus. *Cor*: infundibuli-» formis tubo longo sensim ampliato, limbo obtuse » 5-partito sub-obliquo. *Stam*: inclusa antheris con-» niventibus. *Styl*: 2. breves stigmatibus emarginatis. » *Folliculi* 2. ventricosi patentes. *Sem*: imbricata basi » alata. »

Obs: Genus ex fructu potius ad Trib: I., sect: I., divis: *β* referendum, sed hic propter præsentiam 2. stylorum artificialiter relatum, constans 8. stirpibus circiter ex regionibus æquinoctialibus, fruticosis, subcarnosis, foliis oblongis alternis sæpius magnis integris, floribus terminalibus sub-corymbosis speciosis.

1. *Pl*: *alba* = Jacq: amer: 36. t. 174. f. 12. non Kunth (*Ind*: occid:, *Madagasc*:). Arbor mediocris valde lactescens parce ramosa comosa, folia petiolata lanceolata acuta longissima revoluta glaberrima reticulato-venosa, pedunculi superne incrassati sub-corymbosi, flores albi fauce flavi odoratissimi. *Pl: alba* Kunth est var: *Pl*: *bicoloris* R. et P. = 2. *Pl*: *rubra* = L. h. Cliff: 76. (*Amer*: austr:). Differt a priori

foliis ovato-oblongis planis paralello-venosis, petiolis 2-glandulosis, floribus plus minus intense rubris. Venit in calidariis nostris sub nomine *Pl: albæ* var: *Pl: rubræ* floribus albidis, quæ certe ad priorem non spectat.

Obs: geographica circa *Apocyneas*.

Apocyneæ per orbem sparsæ sistunt circiter . 220

Apocyneæ pedemontanæ.

Nerium	1
Vinca	2
	3

Ordo CXV.

ASCLEPIADEÆ

(R. Br: in mem: Wern: soc: I. p. 12. = R. et S. syst: VI. p. 1. = Spr: syst: I. p. 525. = Bartl: ord: nat: p. 201. = *Apocynearum* gen: nonnulla II. sectionis Juss: gen: 145. = Diz: sc: nat: vol. II. p. 351. t. 162. 163. et 824.).

Char: essentialis.

» *Cal*: 5 - divisus persistens. *Cor*: monopetala hy-
» pogyna 5-loba regularis. *Stam*: 5. corollæ inserta,
» filamentis connatis, antheris 2-locularibus septisve
» semi-completis nunc sub-quadrilocularibus. *Pollen*
» in massas geminas modo granulosas, modo solidas
» corpusculo viscoso (*retinaculum* Rich:) instructas
» inter plicas laterales columnæ pistillaris (*gynoste-*
» *mium* Rich:) reconditas. *Ovar*: 2. *Styl*: 2. arcte
» approximati sæpe brevissimi. *Corona* sæpius inte-
» rior perigyna. *Fructus* et *semina* uti in *Apocyneis*
» *folliculosis*. »

Obs: Ordo naturalissimus rite ab *Apocyneis* divulsus ob propriam ac prorsus singularem genitalium structuram, jam constans paucis generibus, nunc 40. circiter ex R. Br: et Spr: ob multas plantas a recentioribus Botanicis detectas vel rectius determinatas, extricatu difficillimus, facile tamen dividendus in 2. Trib: ex structura pollinis, sc: vel in massas *granu-*

losas (*Granulosæ* R. Br:) vel in massas *solidas* (*Cereaceæ* R. Br:), ac sub-dividendus ex structura *gynostemii* et massæ pollinis *situ* ac *directione*. Præter Auctores supra citatos cons: præsertim Ehremb: in Linnæa janv: 1809. p. 94., Bull: univ: janv: 1831. p. 36., R. Br: in Arch: bot: vol. II. p. 104. et 193. etc.

Trib: I.

Granulosæ.

I. Periploca R. Br: mem: Wern: soc: I. p. 57. = Spr: syst: n. 962. = *Periplocæ* sp: L. = Lam: ill: t. 177.

» *Cor*: rotata cornubus 5. acutis. *Massæ* pollinis » solitariæ. *Anther*: succedaneæ apice barbatæ, fila- » mentis dilatatis. *Folliculi* cylindracei divaricatissimi » læves. »

Obs: Genus nunc constans 9-10. stirpibus ex regionibus æquinoctialibus, una tantum europæa, fruticosis, scandentibus vel erectis, foliis oppositis, floribus sub-corymbosis.

1. *P. græca* = L. h. Cliff: 78. (*Eur*: austr:, *Asia* med:). Valde scandens glabra, folia ovato-oblonga acuta integerrima, corymbi axillares longe pedunculati, flores interne pilosi. Ubique culta in hortis europæis contra muros soli expositos.

Trib: II.

Cereaceæ.

II. Stapelia R. Br: mem: Wern: soc: I. p. 23. = Spr: syst: n. 967. = *Stapeliæ* spec: L. = Lam: ill: t. 178.

» *Cor*: sub-carnosa rotata 5-fida. *Corona* gynoste-
» mii plerumque duplex, externa ligulas, interna ro-
» stra cum appendiculis formans. *Massæ* pollinis ge-
» minæ basi unitæ. *Folliculi* sub-cylindracei læves. »

Obs: Genus habitu proprio et singularissimum tum ob fructificationem cum substantia herbæ, numerosissimum, constans adhuc 55. stirpibus etsi plures (perperam forsan) nova genera ex R. Br: et Haw: præsertim constituunt. Plantæ succulentæ, omnes ex *C. B. S.* (*St*: *europæa* excepta), caule varie et irregulariter angulato aphyllo ramoso tuberculis seu dentibus obsito ramis sæpius valde procumbentibus radicantibus, corollæ fauce nunc in orbiculum elevata nunc simplici, ligulis et rostris forma varia, pedunculis 1-2. axillaribus 1-floris, floribus sæpius amplis nudis vel ciliatis cadaveroso - fœtentibus. Pro varia *Stapeliarum* divisione ac determinatione cons: inter alios Masson: Stap: nov: Lond: 1796., Jacquin Stap: cult: Vienn: 1806-1815., Haw: syn: pl: succul:, R. et S. syst: VI. p. 10., nec non Osservaz: sugli org: sessuali del gen: *Stapelia* del D. Pietro Savi 1834. ined: Complurimas stirpes colo in h. Ripul:, sed hic enumero tantum illas quas florentes vidi.

1. *St*: *hirtella* = Spr: syst: I. 837. ex Jacq: stap:

Corolla parva extus viridis livens intus saturate purpurea laciniis replicatis margine ciliatis, orbiculus elevatus solidus convexus hirtus, ramorum dentes subulati patentissimi. = 2. *St: cæspitosa* = Mass: stap: p. 20. t. 19. Priori valde affinis, sed differt corolla unicolore, orbiculo glabro, ramorum dentibus recurvis. = 3. *St: radiata* = Sims bot: mag: t. 619. Cor: parva laciniis distantibus nudis, orbiculus ciliatus, rami conferti breves dentibus conicis acutis, pedunculi gemini. = 4. *St: replicata* = W. en: 286. ex Jacq: Cor: minima laciniis replicatis orbiculoque glabris, rami procumbentes adscendentes dentibus rigidis patentissimis. = 5. *St: variegata* = L. h. Cliff: 77. Corolla magna rugosa sub-ciliata, orbiculus spurius, ceterum valde polymorpha. = 6. *St: hirsuta* = L. h. Cliff: 77. Corolla magna pilis longissimis hirsuta transversim rugulosa sæpius variegata fauce simplici, rami tetragoni hirsuti denticulis subulatis erectis. Huc referunt recentiores Botanici *St: ambiguam* Mass: = 7. *St: sororia* = Mass: stap: p. 23. t. 39. Vix a priori diversa corollæ unicoloris laciniis sub-revolutis, rostris patulis, alis obtusis sub-dentatis. = 8. *St: grandiflora* = Mass: stap: p. 3. t. 11. Omnibus a me cognitis statura valde major; corolla atropurpurea villosissima laciniis acutis longissimis margine duplicato-ciliatis fauce simplici, rami erecti crassi tetragoni clavati pubescentes dentibus spina parva molli, pedunculi ex ramorum basi corolla breviores subinde 3-flori. = 9. *St: verrucosa* = Mass: stap: II. n. 8. t. 8. Corolla mediocris plana glabra flavescens sanguineo-verrucosa fauce simplici rostris

incumbentibus gibbosis ligulis patentissimis emarginatis, rami sub-erecti dentibus acutis apice sub-scariosis, pedunculi sub-gemini corolla duplo longiores. Cl: Spr: duas stirpes enumerat sub hoc eodem nomine (syst: I. 840. n. 39. et 841. n. 56.) ex Massonio; plantæ meæ pertinent ad primam; an altera eadem ac *St: pulchra* Haw: (*St: verrucosa* Sims non Mass:)? = 10. *St: geminata* = Mass: stap: p. 18. t. 25. Corolla parva strigosa aurantiaco-flava sanguineo-punctata laciniis acuminatis revolutis fauce simplici, rami prostrati breves dentibus remotis obtusis, pedunculi gemini corollam sub-æquantes. = 11. *St: europæa* = Guss: suppl: ad fl: sic: I. p. 65. (Inter saxorum calcareorum rimas terra argilloso-calcarea repletas declivitatum meridionalium Guss: l. c.). Flores parvi aggregati, corolla plana laciniis sub-ciliatis orbiculo nullo corona simplici 5-fida laciniis reflexis apice truncatis, rami tetragoni læves dentibus erecto-patulis. Cult: in H. B. T. ubi floruit æstate proxime elapso. Species novissima.

III. Hoya R. Br: mem: Wern: soc: I. p. 26. = Spr: syst: n. 972. = *Asclepiadis* spec: L., Smith ex: bot: II. p. 21. t. 70.

» *Cor*: rotata. *Gynostenium* laciniis depressis car-
» nosis cinctum, denticulo introrsum massam polli-
» nis tegente. *Massæ* pollinis geminæ basi unitæ.
» *Folliculi* læves. »

Obs: Genus ab *Asclepiade* divulsum pro *A. carnosa*, nunc constans 12. stirpibus circiter ex *Asia* tropicali et ex *N. Holl*:, inter quas in calidariis eu-

ropæis colitur ubique *H. carnosa* R. Br: l. c. p. 27. Frutex crassus caule sub-simplici longissimo volubili vel decumbente quandoque ad genicula radicante superne fere aphyllo seu foliis sero nascentibus, folia opposita ovato-oblonga carnosa glaberrima, umbellæ axillares magnæ multifloræ, flores longe pedicellati odoratissimi, calyx rubescens, corolla candidissima carnosa laciniis leviter reflexis.

IV. Pergularia Spr: syst: n. 973. = *Pergulariæ* et *Marsdeniæ* spec: R. Br: = *Pergulariæ* spec: L. = Lam: ill: t. 175.

» *Cor*: rotata. *Gynostemium* laciniis compressis » integris edentulis vel intus lacinula auctis. *Massæ* » pollinis geminæ basi unitæ. *Stigm*: muticum vel » rostratum. *Folliculi* ventricosi. »

Obs: Genus nunc constans 15. circiter stirpibus, quarum nonnullæ admodum obscuræ, uti generis ipsius determinatio. Cons: R. et S. syst: VI. p. VIII. in obs: Frutices plerumque volubiles ex *India* orient: et *N. Holl*:, unus tantum ex *Jamaica*.

1. *P. erecta* = Spr: syst: I. 844. Sub *Cynancho* L. Sub *Marsdenia* R. Br: (*Syria*). Erecta sub-cæspitosa divaricata glabra, folia opposita petiolata late cordato-ovata acuminata, cymæ laterales laxæ multifloræ in superiore ramorum parte, flores albi odorati.

V. Asclepias R. Br: mem: Wern: soc: I. p. 37. = Spr: syst: n. 979. = *Asclepiadis* spec: L. = Lam: ill: t. 175.

» *Cor*: 5-partita revoluta. *Gynostemium* cinctum

» corona 5-cucullata, cucullis corniferis. *Massæ* pol-
» linis geminæ apice adfixæ pendulæ. *Folliculi* glabri. »

Obs: Genus constans 40. circiter stirpibus fere omnibus ex *Amer*: bor: vel austr:, nonnullis ex *Indiis* orient:, 1. ex *C. B. S.* Herbæ aut suffrutices erecti, foliis oppositis aut verticillatis rarius alternis, umbellis extra axillaribus rarissime terminalibus. Plurimæ in hortis europæis sub dio vel in calidariis cultæ ornamenti gratia.

1. *A. verticillata* = L. sp: 315. (*Amer*: bor:, *Mexico*). Perenn: Simplicissima lineatim puberula, folia linearia verticillata revoluta glabra, umbellæ oppositæ, flores parvi, corolla viridi-flavescens, cuculli albi corniculis elongatis. = 2. *A. filiformis* = L. suppl: 169. (*C. B. S.*). Fruticulosa humilis sub-ramosa glabra, folia sparsa approximata sessilia erecta filiformia tenuissime revoluta, umbellæ laterales longe pedunculatæ, flores mediocres, corolla flavescens, cuculli atro-purpurei. = 3. *A. graminea* = Lam: dict: I. p. 283. (*Ind*: orient:). Suffrutic: Gracilis glabra ramosa, folia opposita linearia petiolulata patentia planiuscula, umbellæ terminales pauciflorae, flores sat magni, corolla alba laciniis margine undulatis, corniculi erecti mucronati. = 4. *A. linifolia* = H. et B. nov: gen: III. 190. ex Lag: (*Mexico*). Vix differt a priori, ad quam forsan referenda cum *A. angustifolia* Schweig: et *virgata* Balb: Cultæ in h. Ripul: ex seminibus sub allatis nominibus, variant foliis plus minus latioribus, planis vel sub-revolutis, glaberrimis vel puberulis, umbellis pauci - aut multifloris sed constanter terminalibus. = 5. *A. mexicana* = Cav: ic: I. p. 42.

t. 58. (*Mexico*). Magis accedit ad *A. verticillatam* n. 1., sed differt caule fruticuloso, foliis latioribus sæpe senis, umbellis lateralibus terminalibusve, floribus majoribus. = 6. *A. curassavica* = L. h. Cliff: 78. (*Amer*: austr:). Perenn: vel suffrut: Erecta, folia opposita petiolata late lanceolata acuta pallidiuscula, umbellæ ut in priori, flores majores, corolla rubra, cuculli aurantiaci, folliculi ad latera denticulati; ex seminibus floret in anno. = 7. *A. syriaca* = L. h. Cliff: 78. (*Amer*: bor: non *Syria?*) Perenn: Simplex puberula, folia opposita quandoque terna ovato-oblonga subtus puberula, umbellæ amplæ sub-nutantes, flores pro genere magni, corolla pallide purpurea, cuculli atro-sanguinei. = 8. *A. amœna* = W. sp: I. 1265. (*Amer*: bor:). Perenn: Puberula, folia opposita sub-sessilia late ovata versus apicem angustata, umbellæ terminales sub-simplices erectæ, flores parvi, corolla purpurea, cuculli rosei.

Asclepias dubia.

9. *A. laxiflora* = Perret hb: ? « Erecta simplex » glabra, foliis oppositis lanceolatis utrinque attenua- » tis petiolatis brevissimis acutis mucronatis, um- » bellis axillaribus simplicibus laxifloris, pedicellis » sub-nutantibus, corollæ laciniis lato-ovatis, corni- » culis exsertis incurvis. ». Nob:

Obs: Species elegantissima habitu accedens ad *A. parvifloram* Ait:, sed diversa petiolo *brevissimo*, umbellis *laxis*, floribus *majoribus*, corollæ laciniis *latioribus* ac pallide luteolis, cucullis atro-purpureis. Patria?

VI. GOMPHOCARPUS R. Br: mem: Wern: soc: I. p. 38. = Spr: syst: n. 980. = *Asclepiadis* spec: alior:

» *Cuculli* denticulati acerati. *Folliculi* ventricosi » spinis innocuis echinati. Cetera *Asclepiadis.* »

Obs: Genus habitu *Asclepiadi* simillimum, at distinctum notis allatis, constans ex SPR: 7. stirpibus, quarum 3. fruticosæ ex *C. B. S.*, 3. herbaceæ ex *Amer*: bor:, 1. fruticulosa ex *Arabia.*

1. *G. arborescens* = R. Br: l. c. (*C. B. S.*). Fruticosus erectus hirtus ramosus, folia opposita sub-sessilia lævia late ovata obtusa mucronata, umbellæ versus apicem ramorum axillares vel terminales villosæ multifloræ, flores mediocres, corolla alba, cuculli saturate flavi. = 2. *G. fruticosus* = R. Br: l. c. (*C. B. S. Sardin*: juxta rivulos *Oliastra* MORIS st: sard: I. p. 31.). Priori humilior gracilior ac glabriusculus, folia lineari-lanceolata sub-revoluta acuminata, umbellæ axillares glabriusculæ, flores prioris.

VII. CALOTROPIS R. Br: mem: Wern: soc: I. p. 39. = Spr: syst: n. 984. = *Asclepiadis* spec: L.

» *Cor*: sub-campanulata basi 5-saccata. *Coron*: e » foliolis erectis gynostemio adnatis carinatis basi re- » volutis. Cetera *Asclepiadis.* »

Obs: Genus constans 2. stirpibus ex *India* orient: et *Ægypto*, vix distinctis ex corollæ laciniis *patulis* vel *reflexis.* Frutices erecti glabri, foliis oppositis lanceolatis crassis, umbellis interpetiolaribus, floribus speciosis. Possideo specim: de *C. procera* (*Asclepias*

gigantea L.) communicatum a cl: SAVI ex plantis ægyptiacis, sed sine flore.

VIII. CYNANCHUM R. Br: mem: Wern: soc: I. p. 43. = Spr: syst: n. 990. = *Cynanchi* et *Asclepiadis* spec: L. = Lam: ill: t. 177.

» *Cor*: 5-partita rotata. *Coron*: gynostemii 1-phylla » 5-20-loba interdum duplex. *Massæ* pollinis ventricosæ geminæ apice adfixæ pendulæ. *Folliculi* » læves. »

Obs: Genus constans 35. stirpibus circiter per orbem sparsis plerumque exoticis, perpaucis europæis. Herbæ aut suffrutices sæpe volubiles, foliis oppositis cordatis vel oblongis integerrimis, inflorescentia varia.

1. *C. acutum* = L. h. Cliff: 79. (*Eur*: austr:, *Asia* min:). Perenn: Volubile glabrum, folia profunde cordata acuminata, umbellæ laterales multifloræ pedunculis folio longioribus, corona duplex, corollæ albæ laciniæ ovato-oblongæ.

❀ 2. *C. monspeliacum* = L. h. Cliff: 79. = Spr: syst: I. 851. = Cav: ic: I. p. 44. t. 60. (*Gallia* et *Hispan*: austr: Rarum in agro *Nicæensi* ALL: n. 373.). Differt a priori, cui valde affine, foliis vix cordatis ac parum latioribus, corollæ laciniis lanceolatis acutioribus.

❀ 3. *C. nigrum* = Pers: ench: I. p. 274. = Spr: syst: I. 852. = Ic: taur: vol. 17. t. 4. Sub *Asclepiade* ex L. (*Gallia* merid:, *Russia* orient: In collibus *Nicæensib*: et *Uneliæ* locis saxosis et editioribus ALL: n. 372.). Perenn: Superne tantum sub-volubile glabrum, folia ovato-oblonga apice attenuata sub-acu-

minata, cymæ terminales pauciflorae, corolla nigrescens barbata, corona simplex semi-10-fida.

* 4. *C. Vincetoxicum* = Pers: ench: I. p. 274. = Spr: syst: I. 852. = Fl: dan: t. 849. Ic: taur: vol. 2. t. 129. Sub *Asclepiade* ex L. (*Eur*: passim. *Pedem*: in saxosis apricis abunde tum in editioribus collibus *Taurinens*: cum in montanis subalpinis All: n. 371. Re fl: segus: p. 23. et fl: tor: I. p. 152. In montanis *di Varallo*, *Vogogna* etc. Biroli fl: acon: I. p. 84. *Ligur*: inter *Voltri* et *l'Acqua santa* Bertol: am: ital: p. 134. In *Sardin*: sylvis Moris st: sard: I. p. 31.). Perenn: Erectum villosiusculum, folia sub-sessilia cordato-ovata acuminata, pedunculi axillares et terminales corymbosi, corolla albida imberbis, corona simplex 5-fida.

IX. Gonolobus R. Br: mem: Wern: soc: I. p. 35. = Spr: syst: n. 977. = *Cynanchi* spec: L.

» *Cor*: rotata 5-partita. *Coron*: gynostemii lobata » annuliformis. *Massæ* pollinis geminæ transversim » adfixæ. *Folliculi* costati. »

Obs: Genus ob coronæ formam et folliculi costas vix a *Cynancho* distinctum, ceterum habitu simillimum, constans 25. circiter stirpibus americanis.

1. *G. prostratus* = R. Br: l. c. Sub *Cynancho* Cav: ic: I. p. 5. t. 7. (*Mexico*). Perenn: Prostratus undique puberulus, folia petiolata cordata sub-orbiculata acuta parva, flores axillares solitarii aut in umbellis parvis paucifloris, corolla parva virescens laciniis angustis linearibus obtusis.

Species novæ vel dubiæ.

2. *G. obliquifolius.* « Herbaceus erectiusculus gla-
» berrimus, foliis petiolatis oblongis basi oblique cor-
» datis lobis rotundatis apice obtusiusculis, umbellis
» lateralibus paucifloris, pedunculis calycibusque vil-
» losis, laciniis corollæ ovato-lanceolatis obtusis ere-
» ctis calyce duplo longioribus. » Nob: (*Chili*, *Rio claro*).

Obs: Species communicata a Bertero, et in Merc: chil: n. XIV. p. 645. enumerata sine nomine specifico. Ex lobis foliorum obliquis, quod prorsus singulare in congeneribus, illam *obliquifoliam* appellavi. Colla pl: rar: chil: fasc: III. t. XXXVII. ined:

3. *G. Voquicillo.* « Herbaceus humilis cæspitosus,
» foliis petiolatis oblongis linearibusve basi æqualiter
» sub-truncato-cordatis, umbellis lateralibus sub-
» multifloris, pedunculis calycibusque glabris, laciniis
» corollæ lanceolatis obtusis patentiusculis calycem
» parum superantibus. » Nob: (*Chili* in pratis sterilibus collium *Valparaiso*).

Obs: Stirps cum priori pariter a Bertero missa, ac enumerata tamquam nova in Merc: chil: l. c., ubi ipse tradit, *Voquicillo* vulgo nuncupari. Planta pumila undique glaberrima ramosissima divaricata. Colla pl: rar: chil: l. c. t. XXXVIII.

X. Dimia R. Br: mem: Wern: soc: I. p. 50. = Spr: syst: n. 991. = *Pergulariæ* spec: L. = *Cynanchi* spec: Retz:, Ait:

» *Cor*: sub-rotata. *Coron*: gynostemii duplex, ex-

» terior brevis 10-dentata dentibus alternis minori-
» bus, interior longior e laminis 5. subulatis solutis.
» *Massæ* pollinis geminæ apice adfixæ pendulæ. *Fol-*
» *liculi* hispidi valvati. »

Obs: Genus constans ex R. Br: 2. stirpibus ex *Ægypto* et *Ind*: orient:, fruticulosis volubilibus habitu *Cynanchi*; duas alteras addunt R. et S. syst: VI. p. 113., quæ valde dubiæ et a Spr: omissæ. Possideo *D. cordatam* R. Br: l. c. (*Pergularia tomentosa* L., *Asclepias cordata* Forsk:); planta undique albo-villosa, foliis oppositis remotis rotundato-cordatis mollibus, pedunculis umbellatis in axilla tantum altera per totum caulem ac dein terminalibus, corolla livido-virescens, corona albida. Specim: ex *Ægypto* communicatum a cl: Savi c. fl: et s. fr:

XI. Microloma R. Br: mem: Wern: soc: I. p. 53. = Spr: syst: I. n. 998. = *Cynanchi*, *Periplocæ* et *Ceropegiæ* spec: quorumd:

» *Cor*: ventricoso-tubulosa, squamis in tubo recon-
» ditis cum fasciculis pilorum alternis. *Gynostenium*
» apice nudiusculum. *Massæ* pollinis geminæ com-
» pressæ apice adfixæ pendulæ. *Folliculi* fusiformes
» glabri. »

Obs: Genus a R. Br: statutum pro 2. *Ceropegiæ* stirpibus (*C. tenuiflora* Thb: et *sagittata* L.), quibus addita a Spr: syst: I. 855. *M. pyrotechnica* (*Cynanchum* Forsk:); frutex ramosus junciformis aphyllus, pedunculis lateralibus brevissimis racemoso-umbellatis, floribus minimis, folliculis reflexis, post elapsa semina pedunculo incrassato tuberculato persistenti-

bus. Specim: optima tum ex hb: Bellardi communicata a Bert:, cum ex cl: Savi c. florib: et fruct: perfecte quadrant cum descript: et ic: Delil: fl: d'Egypt: t. 20. f. 3. sub *Cynancho*. Notandum tamen, diligentissimum Auctorem jam dubitasse, plantam hanc a *Cynancho* esse divellendam, quum dixit in obs: « *Flos recedit a Cynancho defectu coronæ interioris membranaceæ in fossulam quinqueradiatam mutatæ.* » Attamen nec in descriptione, nec in icone memorantur *fasciculi pilorum squamis alterni*, qui præcipuum *Micrologæ* genus constituunt; squamas autem ita describit: « La gorge évasée du tube (de la corolle) » est creusée par une dépression glanduleuse circu- » laire qui se prolonge en cinq fossettes triangulaires » sur la base des divisions de la corolle. » An igitur novum genus ex hac planta constituendum?

Obs: geographica circa *Asclepiadeas*.

Asclepiadeæ per orbem sparsæ circiter . . 290

Asclepiadeæ pedemontanæ.

Cynanchum 3

Ordo CXVI.

GENTIANEÆ

(Juss: gen: p. 141. = J. S. Hill: fam: I. 321. t. 51. = *Gentianeæ* R. Br: prodr: ed: 1. p. 449., ed: 2. p. 305. = *Gentianeæ* et *Loganieæ* Bartl: ord: nat: p. 199. 205.).

Char: essentialis.

» *Cal*: 1-sepalus liber varie divisus persistens. *Cor*: » monopetala plerumque regularis sæpe marcescens, » limbo totidem diviso quot calycis laciniæ, lobis per » æstivationem contortis. *Stam*: libera corollæ lobis » numero æquali eisque alterna. *Antheræ* 2-loculares » polline elliptico. *Ovar*: 1. 1-2-loculare 1- vel multi- » ovulatum. *Styl*: 2. sæpius coaliti stigmatibus sim- » plicibus sæpe distinctis. *Fructus* capsularis vel ra- » rius baccatus simplex 1-2-locularis vel didymus 2- » locularis polyspermus 2-valvis valvulis introflexis » et in 2-locularibus dissepimentum constituentibus. » *Sem*: valvarum margini adfixa. *Embr*: rectus in » centro albuminis carnosi. *Radic*: sæpius infera. »

Obs: Ordo satis naturalis habitu et structura fructus præsertim inspectis, jam a Juss: in 3. sect: divisus respectu capsulæ simplicis 1-locularis, vel simplicis 2-locularis aut didymæ 2-locularis, et 9-10. genera comprehendens; modo vario ab Auctoribus

divisus inclusis *Loganeis* ad proprium ordinem levissimis rationibus a R. Br: amandatis, et plura genera (34. circiter), quorum multa a *Gentiana* dirempta, constituens. Herbæ vel rarius suffrutices omnes amari, foliis oppositis integris exstipulatis floralibus nonnumquam minoribus bracteiformibus, inflorescentia varia; flores sæpius pulchri.

Trib: I.

Capsula simplex 1-locularis (*Gentianaceæ*).

I. Gentiana Lin: gen: ed: Schreb: n. 450. excl: nonnullis stirpib: = Spr: syst: n. 1001. = Lam: ill: t. 109. (*Pent*: *digyn*: L.).

» *Cal*: sub-campanulatus sæpius 5-10., rarius 4-» 8-fissus. *Cor*: fauce nuda aut barbata forma varia. » *Stigm*: 2-lobum sub-sessile. *Caps*: 1-locularis 2-» valvis. *Sem*: haud marginata. »

Obs: Genus extricatu difficillimum, varie ab Auctoribus divisum (ex calycis ac corollæ præsertim forma ac divisionibus) modo in sectiones, modo in genera plura, nunc constans ex Spr: 77. tantum stirpibus, ex Bunge 115. per orbem sparsis, quarum 40. circiter europææ. Cons: inter alios R. et S. syst: VI. p. XV. ubi genera et sectiones a cll: Borckhausen et Schmidt statutas in tabellam redegit, nec non A. de Bunge *Conspectus gen*: *Gentianæ* in Arch: bot: I. p. 72. ex Nouv: mem: soc: Imp: des natur: de Mosc:

vol. I. (1), et speciatim circa semina vid: ZUCCARINI obs: prélim: sur les graines des Gentianées in Bull: univ: 1828. mars p. 337. Divisiones SPR: uti simpliciores interim hic sequar.

Sect: I.

Corolla fauce nuda.

α Cor: campanulata 5-fida.

❋ 1. *G. purpurea* = L. sp: 329. = Spr: syst: I. 855. = Oed: fl: dan: t. 50. Inter *Cœlanthas* Bung: (Alpib: *Eur:* med: et bor: *Pedem:* in *M. Cenisio* ad descensum versus *Lanslebourg*, in alpibus *Bugellensib:*, in monte *Petit S. Bernard aux glacières* et ex

---

(1) Conspectus *Gentianæ* in BUNG: hic est:

I. Corolla *fauce nuda.*

Cor: rotata (*Asteriæ*).
—— campanulata (*Cœlanthæ*).
—— infundibuliformi (*Pneunomantha*).
—— hypocrateriformi.
α 4-fidæ (*Crassopetalæ*).
β 5-fidæ (*Calethianæ*).
γ sub-10-fidæ (*Chondrophyllæ*).
—— tubulosa (*Erythaliæ*).

II. Corolla *fauce barbata.*

Endotrichæ.

III. Corolla *squamosa rotata.*

Trocanthæ.

summis jugis montis *Silvio* et *Rosa*, copiosissime in monte *la Tournetta* All: n. 348. Biroli fl: acon: I. p. 88. In *Mont-Blanc* legit Berterus). Perenn: Glabra elata, folia ovato-lanceolata nervosa, calyx membranaceus fissus sub-spathaceus, corollæ verticillatæ amplæ purpureæ vel roseæ striato-punctatæ vel subimmaculatæ in var: γ.

* 2. *G. pannonica* = Scop: carn: n. 297. = Spr: syst: I. 855. = Jacq: austr: II. t. 136. Inter *Cælanthas* Bung: (*Sudet:*, *Austria*, *Hungar:*, *Transylv:* *Sabaud:* in alpib: *Chamony* et *Pralugnan* supra *Mouthiers* Bellard: app: p. 17.). Priori valde affinis, sed differt præcipue foliis imis ellipticis nec oblongo-lanceolatis, calyce breviore truncato nec spathaceo, corollis sub-6-fidis manifestius punctatis laciniis obtusissimis, attamen valde varians statura, numero ac colore florum quandoque etiam inpunctatorum.

* 3. *G. punctata* = L. sp: 329. = Spr: syst: I. 856. = Jacq: austr: V. t. 28. Ic: taur: vol. 14. t. 87. Inter *Cælanthas* Bung: (Alpib: *Eur:* med: *Pedem:* abunde in pascuis et dumetis jugis *Assietta* et circa *Vinadii* thermas, in dumetis descendendo ex jugo *Futicy* versus *les Gravères*, in alpib: *Valdensium* locis montanis non tamen editioribus All: n. 349. Copiosissima ad meridiem lacus *M. Cenisii* Re fl: segus: p. 23. In pascuis *di Vogogna*, *Luzzogno*, *Scopa* etc. non rara Biroli fl: acon: I. p. 88.). Vix a præcedentibus distincta foliis amplioribus, calycibus subtruncatis lobis tubo brevioribus inæqualibus (æqualibus in *G. biloba* DC.), corollis constanter flavis acutiusculis irregulariter nec in lineas punctatis. *G.*

Burseri Lapeyr: a Spr: omissa quam possideo ex *Pyren*: non videtur a *punctata* differre; etsi admissa a R. et S. et Bung:; folia equidem parum angustiora et longiora, verticilli rariores, sed habitus undique simillimus æque ac characteres floris.

✻ 4. *G. asclepiadea* = L. sp: 329. = Spr: syst: I. 856. = Jacq: austr: t. 328. Ic: taur: vol. 10. t. 42. f. 1. Inter *Pneumonanthas* Bung: (*Carinth*:, *Helvet*:, *Pyren*:, *Caucaso*, *Ital*: *Pedem*: ad convalles editiorum alpium *Valdensium* locis irriguis, circa lacum *M. Cenisii* abunde, copiose circa *Valderii* thermas et prope *Margon* et *Gros-Caval* in valle *di Viù*, in *M. Vesulo* prope *Crissolo*, *Sabaud*: in valle *Maurianensi* et præsertim in monte dicto *Armillon* All: n. 350. In vallibus *di Maugnaga*, *d'Antrona* et *della Strona* prope *il Forno* Biroli fl: acon I. p. 88.). Perenn: Folia sessilia sub-amplexicaulia ovato-lanceolata acuminata, flores sessiles axillares sub-gemini raro terminales, corolla longe tubulosa cærulea (vel alba in var:) calyce valde longior. Specim: possideo etiam ex alpibus *Bavariæ* communicatum a cl: Martio.

✻ 5. *G. utriculosa* = L. sp: 332. = Spr: syst: I. 857. = Waldst: et Kit: pl: rar: pannon: t. 206. Inter *Calanthianas* Bung: (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: circa arcem *Fenestrellarum* et in *M. Cenisio* frequens, in pascuis saxosis subhumidis editiorum Alpium, in jugis montium *les Cravasses* in valle *d'Exilles*, in *M. S. Bernardi* et *Col des Cognes*, in editioribus alpium *Grassoney*, *Chamony* et *la Venoise* All: n. 361. Re fl: segus: p. 24. In pratis subalpinis sic ut in illis *di Ornavasso* non frequens Biroli fl: acon: I. p. 89.).

Ann: Pumila vix caulescens (in nostris Alpibus) obsolete tetragona, folia abbreviata ovata obtusa cito emarcida, flores sub-solitarii, calyx amplus alato-carinatus bracteatus, corolla cærulea laciniis lanceolatis acutis.

✻ 6. *G. bavarica* = L. sp: 331. = Spr: syst: I. 857. = Vill: delphin: II. p. 527. t. 10. Ic: taur: vol. 15. t. 72. f. 2. Inter *Calathianas* Bung: (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: in pratis sub-humidis *M. Cenisii* prope *la Ramassa*, in alpibus *di Ceresole*, alpe *Re Maurianensium* et *M. Rosa*, in alpibus *di Giaveno* ad fontium scaturigines, in montibus *S. Bernardi*, *Chamony*, *Grassoney*, *Ussey* et *di Fenestrelle* locis uliginosis All: n. 358. Re fl: segus: p. 24. In summis alpib: *di Scota*, *Rima*, *Moro*, *Turlo* et *Crestese* Biroli fl: acon: I. p. 89.). Perenn: Cæspitosa, folia ovato-obtusa radicalia conferta caulina distantia majora, flos terminalis solitarius sessilis angulatus, corolla saturate cærulea laciniis nunc majoribus nunc minoribus integerrimis vel serrulatis sed constanter obtusis.

✻ 7. *G. acaulis* = L. h. Cliff: 81. = Spr: syst: I. 857. = Jacq: austr: t. 135. Ic: taur: vol. 9. t. 94. f. 1. Inter *Calathianas* Bung: Vern: *Gepetoira*, *Sciopet* (*Eur*:, *Sibir*: subalpina. *Pedem*: frequentissima in subalpinis saxosis apricis et pratis editiorum Alpium All: n. 351 Re fl: segus: p. 24. In *M. Musinè* Re fl: tor: I. p. 158. In pratis *Novariens*: alpinis editioribus vulgatissima Biroli fl: acon: I. p. 89.). Perenn: Caulis (generatim) brevissimus tetragonus corollam sub-æquans, flos magnus solitarius terminalis, folia 1-nervia,

ceterum plantula ætate, et pro soli altitudine et natura valde varians longitudine caulis a lin: 2. ad palmarem, foliorum forma, magnitudine floris plerumque cærulei quandoque albidi.

✻ 8. *G. alpina* = Vill: delph: II. p. 526. n. 8. = Spr: syst: I. 857. = Vill: l. c. t. 10. Inter *Calathianas* Bung: (*Gallia* occid:, *Pyren*: *Pedem*: in pratis siccis *M. Cenisii* Bellard: app: p. 17. Re fl: segus: p. 24.). Potius var: prioris consideranda, a qua differt tantum foliis carnosis enerviis, ac flore (semper?) caule longiore.

β Corolla sub-rotata 5-fida.

✻ 9. *G. lutea* = L. mat: med: p. 75. = Spr: syst: I. 857. = Mill: ic: t. 139. Ic: taur: vol. 14. t. 82. Inter *Asterieas* Bung: Vern: *Giansiana* uti ceteræ species indigenæ peculiare nomen non referentes (*Eur*: med: subalpina. *Pedem*: vulgatissima in pratis irriguis Alpium et montium subalpinorum All: n. 365. Re fl: segus: p. 23. Copiose in *M. Musiné* Re fl: tor: I. p. 158. In pratis irriguis alpium *Novariens*: Biroli fl: acon: I. p. 88. *Sardin*: in pascuis editioribus montium Moris st: sard: I. p. 31.). Perenn: Erecta omnium maxima, folia ovato-oblonga magna 5-nervia, flores secus caulem verticillati sub-sessiles longe bracteati, calyces scariosi sub-colorati, corolla sæpius lutea creberrime punctata laciniis oblongis acutis; variat floribus pallidis minoribus. Cl: DC. distinguit *G. hybridam* a *G. lutea* ex floribus in illa sessilibus, in hac pedicellatis; binæ species admittuntur a R. et S. et Bung:, non item a Spr:

γ Corolla sub-10-fida laciniis alternis minoribus.

* 10. *G. Pneumonanthe* = L. sp: 330. = Spr: syst: I. 858. = Fl: dan: t. 269. Ic: taur: vol. 17. t. 49. f. 2. Inter *Pneumonanthas* Bung: Vern: *Coucou* (*Eur*:, *Asiæ* et *Amer*: bor: paludibus. *Pedem*: in pratis *Segusium* inter et *Ripulas*, in pratis *Cheriensibus* regionis dictæ *Vansolo*, et in viciniis *Pinerolii*, in *M. S. Michaëlis* et in spongiosis *La Marsaja*, tum etiam prope *Venariam*, secus loca humecta et spongiosa ad montium et collium radices All: n. 352. In humectis *di Prato molle* et circa *Caselette* Re fl: segus: p. 24. In spongiosis *della Praglia di Pianezza*, *della Mandria* alibique Re fl: tor: I. p. 158. In valle *Sessite* versus *Scopa*, in pratis *di Ara* aliisque collibus abunde Biroli fl: acon: I. p. 88.). Perenn: Erecta elatiuscula simpliciuscula, folia linearia, flores 1-3. axillares vel terminales magni sub-sessiles, corolla campanulata 5 - vel 10 - fida (et tunc laciniæ 5. alternæ brevissimæ dentiformes) saturato - cyanea vel alba. Ceterum valde varians statura, foliis plus minus angustis, numero florum.

* 11. *G. verna* = L. sp: 331. = Spr: syst: I. 858. = Engl: bot: t. 493. Ic: taur: vol. 9. t. 90. f. 2. 3. 4. 5. Inter *Calathianas* Bung: (Alpib: *Eur*: et *Asiæ*. *Pedem*: frequentissima in saxosis et graminosis jugis Alpïum All: n. 356. Re fl: segus: p. 24. In pascuis summarum alpium *di Formazza*, *di Macugnago* etc. ubique Biroli fl: acon: I. p. 89.). Perenn: Pumila cæspitosa, folia radicalia ovato-oblonga elongata sub - fasciculata patentia caulina duplo triplove

minora erecta, flos terminalis solitarius sessilis parvus cyaneus tubo albido limbo patentissimo laciniis basi auriculatis. Valde varians, et huc referenda *G. brachyphylla* VILL: foliis sub-rotundis, potius quam ad *G. nanam* uti ex ALL: n. 360. Cons: R. et S. syst: VI. p. 155.

❀ 12. *G. pumila* = L. syst: V. p. 856. = Spr: syst: I. 858. = Jacq: austr: IV. t. 302. Ic: taur: vol. 18. t. 49. f. 3. Inter *Calathianas* Bung: (Alpib: *Austriæ*, *Helvet*: *Pedem*: ad frigidas fluentes aquas, ad nives deliquescentes in *M. Vesulo* ALL: n. 357.). Ad *G. vernam* accedens, ac differens tantum herba humiliore, foliis angustioribus, flore minore, dentibus lacinias corollæ acutas intercidentibus minutis sub-2-fidis.

❀ 13. *G. nivalis* = L. fl: suec: 204. 231. = Spr: syst: I. 859. = Fl: dan: t. 17. Ic: taur: vol. 10. t. 42. f. 4. et vol. 15. t. 72. f. 5. Inter *Calathianas* Bung: (Alpib: *Eur*:, *Amer*: bor: *Pedem*: in gramineis maxime declivibus editiorum Alpium, circa *Chaumont* in jugis *Valette*, *Arguel* et *le Grand Lac*, in alpib: *Bugellens*:, in *M. Cenisio*, in jugo *la Venoise* ALL: n. 359. RE fl: segus: p. 24.). Ann: Erecta filiformis alternatim ramosiuscula, folia radicalia ovata caulina lanceolata minora, flores ad apicem ramorum solitarii erecti graciles, calyx angulatus, corollæ cyaneæ denticuli minuti; mire variat pro solo statura, foliorum forma et magnitudine.

δ Corolla 4-fida.

❋ 14. *G. cruciata* = L. sp: 334. = Spr: syst: I. 859: = Jacq: austr: t. 372. Inter *Erythialias* Bung: (*Eur*:, *Sibir*: *Pedem*: in humilioribus apricis Alpium pratis, in aridis *Villanovæ Cheriensis* et collibus *Cinzani*, *Montisferrati* et *Astensis* provinc: All: n. 362. In pratis supra *la Lòsa* Re fl: segus: p. 24. In pratis alpinis præsertim vallis *di Vegezzo* et *del Margozzo* Biroli fl: acon: I. p. 88. In summitate vallis *D. Martini* collium *Taurinens*: legit Bertola app: ad fl: taur: p. 4. In collibus *Albensib*: reperit Berterus). Perenn: Adscendens basi anceps subinde teretiuscula crassiuscula, folia sub-connata late lanceolata elongata 3-nervia, flores verticillati sessiles longe bracteati, calyx inæqualiter 2-4-dentatus, corolla dilute cærulea mediocris 4-fida interjectis denticulis 2-fidis.

❋ 15. *G. ciliata* = L. h. Cliff: 51. = Spr: syst: I. 859. = Jacq: austr: t. 113. Ic: taur: vol. 15. t. 72. f. 3. Inter *Crassopetalas* Bung: (*Eur*: *Pedem*: in alpibus *Bugellensib*:, circa *le Pérè* atque in utroque *M. Cenisio*, in utroque monte *S. Bernardi*, in alpib: *di Usima* et *di Ussey*, supra *Margon* All: n. 355. Supra *Condove* eundo versus *Mocchie* Re fl: segus: p. 24.). Perenn: Flexuosa angulata, folia lineari-lanceolata margine scabra 1-nervia, flores terminales sub-solitarii sub-sessiles, calyx 4-fidus laciniis acuminatis alternis majoribus, corolla cærulea laciniis serratis medio inciso-ciliatis.

Sect: II.

Corolla fauce barbata.

α Corolla 4-fida.

* 16. *G. glacialis* = Vill: dauph: II. p. 532. = Spr: syst: I. 859. = Schmidt: in Röm: arch: I. p. 21. t. 2. f. 5. Inter *Endrotrichas* Bung: (Alpib: *Eur*: In editioribus frigidis jugis alpium *Sabaud*: uti in *M. Rosa*, *la Venoise* etc. All: n. 360. sub *G. nana* Wulf: In frigidis pascuis *M. Cenisii* sed rara et fugax Re fl: segus: p. 24. In editioribus jugis *M. Rosa* et *Turlo* rara occurrit Biroli fl: acon: I. p. 90.). Perenn: Nana gracillima, folia fere omnia ad radicem in rosulam congesta ovata obtusa vix unguicularia, caulis vix ullus, pedunculi pro planta longissimi capillares nudi 1-flori, flores minimi, calyx profunde 4-partitus, corolla cærulea fauce constricta barbata. Cum *G. nana* Wulf: facile confunditur uti fecerat cl: All: l. c. Cf: tamen quæ postmodum observavit in auct: p. 7. ad n. 360.

* 17. *G. campestris* = L. sp: 334. = Spr: syst: I. 860. = Oed: fl: dan: t. 367. Ic: taur: vol. 9. t. 98. f. 2. et vol. 15. t. 72. f. 4. Inter *Endotrichas* Bung: (*Eur*:, *Amer*: bor: *Pedem*: in summis alpib:, copiose circa Sanctuarium *d'Oropa* aliisque alpib: *Bugellensib*:, in *M. Cenisio* et in pratis *M. Colissé*, in alpib: *Mocchiarum* loco dicto *la Frère* supra *Pianfei* Re fl: segus: p. 24. In montibus *Musiné* proximis Re fl: tor: I. p. 159. In *M. Rosa* Biroli fl: acon:

I. p. 89.). Ann: Erectiuscula ramosa, folia ovato-oblonga obtusa, pedunculi in axillis solitarii vel gemini aut terminales, flores mediocres, calycis laciniæ 2. exteriores maximæ, corolla cærulea vel albida campanulata fauce aperta barbata.

β Corolla 5-fida.

* 18. *G. Amarella* = L. h. Cliff: 81. = Spr: syst: I. 860. = Fl: dan: t. 328. Inter *Endotrichas* Bung: (*Eur*: passim. *Pedem*: in pascuis alpium *di Valsoana* et *di Val Locana* All: n. 353.). Ann: Ramosa foliosa, folia lanceolata, pedunculi axillares longiusculi, flores lutei laciniis calycinis æqualibus corollinis patentibus; ceterum valde varians et ad eam referendæ *G. germanica* et *uliginosa* W., quas pariter possideo.

Gentianæ dubiæ.

19. *G. fastigiata* = Fisch: in sched: « Humilis ere-
» cta ramosa, ramis strictis sub-fastigiatis, foliis pe-
» tiolatis lineari-lanceolatis acutis 1-nervis, floribus
» terminalibus solitariis, calycis profunde 5-partiti
» laciniis lanceolatis sub-æqualibus, corolla campa-
» nulata fauce barbata laciniis ovato-lanceolatis acu-
» minatis. » Stirps pertinens ad II. sect: divis: β, communicata cum allato nomine a cl: Fisch: ex *Dahuria*. Planta vix spithamæa versus apicem parce ramosa sc: ramis 3-4. brevibus sub-æqualibus apice unicum florem ex sicco cærulescentem fere pollicarem gerentibus, tubus corollæ brevissimus ut ipsa primo intuitu 5-petala adpareat.

20. *G. Perretii* = Nob: *G. flavicans* Perret in scheda sine alia indicatione. « Humilis erecta sub-simplex, » foliis sessilibus sub-connatis lanceolatis obtusis 1 - » nerviis, pedunculis 3 - 4. inter suprema folia, ca- » lycis 5-fidi laciniis ovato-lanceolatis æqualibus acu- » tissimis, corolla infundibuliformi fauce barbata limbi » laciniis lineari-lanceolatis erectis sub-2-fidis (Pa- » tria?). » Communicata a cl: PERRET sub allato nomine quod nullibi inveni. *G. flava* MAYER a R. et S. enumerata (syst: VI. p. 163.) et a SPR: omissa toto cœlo differt a planta PERRETII uti constat ex ejus descriptione comparata cum planta nostra; quadrat tantum in colore floris calyce sc: flavescente, corolla saturate lutea; nomen *G. flavescentis* ideo decipiens, et a me mutatum etiam in memoriam Largitoris.

II. SWERTIA Lin: gen: ed: Schreb: n. 448. excl: 2. stirpib: = Spr: syst: n. 1002. = Lam: ill: t. 109. (*Pent: digyn*: L.).

» *Cal*: 4 - 5 - partitus. *Cor*: rotata laciniis basi 2 - » glandulosis, aut campanulata basi tuberculata vel » calcarata. Cetera *Gentianæ*. »

Obs: Genus habitu *Gentianæ* ac ex appendicibus corollinis præcipue ab ipsa distinctum, modo constans 18 - 20. stirpibus circiter, quarum major pars ex *Asia* vel *Amer*: bor:, nonnullæ ex *Amer*: æquinoct:, 3 - 4. europææ.

❄ 1. *Sw*: *perennis* = L. sp: 338. = Spr: syst: I. 860. = Jacq: austr: t. 243. Ic: taur: vol. 15. t. 72. f. 1. et vol. 21. t. 46. sub *Gentiana palustri* (Alpib: *Eur*:, *Sibir*: *Pedem*: in spongiosis *Lac de la Mad-*

dalena in extrema *Vinadii* valle, abunde in *M. Cenisio*, in frigidis humidis spongiosis editis locis Alpium, supra *Ormea*, in quodam prato montis *de Notre Dame de Charmée* in *Sabaud*: All: n. 367. sub *Gentiana palustri*. In frigidis pratis *M. Cenisii* Re fl: segus: p. 23. In summis alpibus *di Vedro* loco dicto *alle Cesare* unice et raram invenit Biroli fl: acon: I. p. 87.). Perenn: Erecta glabra, folia ovata utrinque attenuata nervosa, corymbus spiciformis terminalis erectus foliolosus, pedicelli plerumque 1-flori, corolla 5-partita rotata laciniis basi setoso-2-glandulosis acutis in typo, obtusis in var: communicata a cl: Fisch: ex *Altaï* (*Sw*: *obtusifolia* Fisch:).

III. Erythræa Rich: in Pers: ench: I. p. 283. = Spr: syst: n. 619. = Reneaulm: spec: 77. t. 76. = *Chironiæ* et *Gentianæ* spec: quorund: (*Pent*: *monog*: Spr:).

» *Cal*: 5-fidus 5-gonus. *Cor*: infundibuliformis » nuda. *Anther*: demum spirales. *Stigm*: 2-lobum. » *Caps*: 1-locularis placentis 2. porrectis. »

Obs: Genus adhuc obscurum, nunc constans ex Spr: 16. stirpibus herbaceis, quarum 1. tantum asiatica ceteræ europææ, fere omnibus a *Gentiana* vel *Chironia* diremptis. Cons: Schmidt: in bull: univ: 1829. Mai p. 249.

❋ 1. *E. Centaurium* = Pers: l. c. = Spr: syst: I. 579. = Oed: fl: dan: t. 617. sub *Gentiana* ex L. Ic: taur: vol. 2. t. 134. Vern: *Centaura minor* (*Eur*: passim. *Pedem:* copiose ubique locis siccis et apricis, imo in ipsis pratis collinis sterilibus All: n. 363. sub

Gentiana. Re fl: segus: p. 24. et fl: tor: I. p. 143. Biroli fl: acon: I. p. 78. sub *Chironia. Sardin:* in pascuis aridis Moris st: sard: I. p. 31.). Ann: Sub-simplex glabra, folia elliptica sub-3-nervia, corymbi 2-3-chotomi foliolosi, flores parvi corollæ rubescentis tubo calycem excedente.

❋ 2. *E. ramosissima* = Spr: syst: I. 579. ex Pers: = Sub *Gentiana* Vill: delph: II. p. 530. = Vaill: bot: p. 32. t. 6. f. 1. Sub *Chironia* Thuill: fl: paris: ed: 2. p. 116. (Cum priori. *Pedem:* in pascuis inundatis All: auct: p. 7. n. 363. sub *Gentiana*). Vix differt a priori caule magis ramoso, floribus ebracteatis, tubo corollæ calycem sub-æquante. Huc referunt cll: DC. fl: fr: n. 2781. et Spr: l. c. *Chironiam pulchellam* Smit: *Sueciæ* incolam, sed in hac caulis simplicissimus 1-florus, folia 1-nervia, dentes calycini valde adpressi. Cons: W. sp: I. 1067., Poir: dict: suppl: II. p. 735. Possideo specim: missum a Bertero e *Rancagua Chili* sub nomine *E. chilensis* haud enumeratum in Merc: chil:, quod mihi non videtur differre a nostra *E. ramosissima.*

❋ 3. *E. spicata* = Spr: syst: I. 580. ex Pers: = Sub *Gentiana* L. sp: 333. Sub *Chironia* W. sp: I. 1069. = Bauh: prodr: 130. c. ic: Ic: taur: vol. 11. t. 85. sub *Gentiana* (*Eur:* austr:, *Afr:* bor: ad litora maris. In pratis et herbidis locis *Nicæensib*: All: n. 364. sub *Gentiana. Sardin:* in fossis ad salinas *Quartu*, *Capo-terra* Moris st: sard: I. p. 31.). Ann: Ramosa, folia ovata nervosa, spica terminalis foliolosa, flores minores quam in præcedentibus sub-secundi sessiles

rubelli bracteis calycibusque corollæ tubum æquantibus.

*? 4. *E. linarifolia* = Spr: syst: I. 580. ex Pers: = Sub *Gentiana* Lam: dict: II. p. 634. n. 23. = Bocc: mus: II. t. 43. sec: Lam: (*Gallia* austr: ad litus *Nicæense* fide Biroli in mss:). A præcedentibus primo intuitu diversa foliis omnibus linearibus 1 - nerviis obtusissimis truncatis, floribus purpureis stylo elongato simplici. Specim: a Perret ex *Gallia* austr: nec ex *Nicæa*. Huc refert cl: Spr: c. p. p. 57. *E. angustifoliam* Wall:, quam colo ex seminibus missis a cl: Fisch: ; habitus equidem et foliorum forma fere simillima, sed flores luteoli, stylus non elongatus.

* 5. *E. maritima* = Spr: syst: I. 580. ex Pers: = Sub *Gentiana* L. mant: 55. non Savi = Cav: ic: III. p. 49. t. 296. f. 1. (Cum priori. In arenoso maritimo litore *Nicæens*: legit Risso et ex *Gallo-prov:* abunde attulit Molineri sec: Balb: misc: alt: p. 11. *Sardin*: in collinis maritimis Moris st: sard: I. p. 31.). Valde accedit ad *E. Centaurium* n. 1., sed differt præsertim floribus luteis ac stylo ad basim 2-partito. *Gentiana maritima* Savi fl: pis: I. p. 274. differt a *Gentiana maritima* L. floribus duplo minoribus ac corollæ laciniis *ellipticis obtusiusculis* nec *lanceolato-linearibus*, monente Bertolon: am: ital: p. 76.; illam *E. luteam* salutavit cl: Auctor, et provenire asseruit in collibus *Genuæ*, *Sarzanæ* et *Massæ Carrarensis*; cum ipsa quadrant icones Barrel: 467. et Bocc: mus: p. 83. t. 76. Si species distincta admittitur auctoritate Spr: l. c. n. 13., addenda est Floræ pedemontanæ.

IV. Menyanthes Lin: gen: ed: Schreb: n. 263. pro sola *M. trifoliata* = Spr: syst: n. 624. = Lam: ill: t. 100. f. 1. (*Pent*: *monog*: Spr:, *Lysimachiis* affinis Juss: gen:, *Primulaceæ* alior:, *Gentianæ desciscentes* Bartl:).

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: infundibuliformis intus bar-
» bata. *Stigm*: 2 - lobum. *Caps:* 2-valvis, valvis axi
» placentiferis. »

Obs: Genus nunc constans unica specie sequenti, ceteris ad *Villarsiam* amandatis; ex characteribus floralibus ac proprietatibus inter *Gentianeas* videtur retinenda, etsi habitu non parum recedit.

❋ 1. *M. trifoliata* = L. fl: lapp: 80. = Spr: syst: I. 582. = Fl: dan: t. 541. Ic: taur: vol. 10. t. 38. Vern: *Trefeui febrin* (*Eur*: et *Amer*: bor: paludibus. *Pedem*: frequens in paludosis et secus lacus, neque in Alpibus desideratur similibus locis All: n. 321. Circa *Avilianæ* lacus et in pratis aquosis *d'Almese* Re fl: segus: p. 19. In locis paludosis prope *Settimo* Re fl: tor: I. p. 122. Ad focem *Ticini* abundans ubi variat foliis quaternis vel quinis Biroli fl: acon: I. p. 66.). Herba perennis glabra repens ramosa, folia longe petiolata ternata petiolis basi vaginantibus foliolis ovatis dentato-repandis, racemus erectus bracteolatus, flores longe pedicellati albidi conspicui; variat colore florum ab albo ad purpureum. Possideo specim: ex Fisch: e *Dahuria* in quo flores sunt sub - sessiles in spicam coarctatam bractea longissima suffulti.

V. VILLARSIA Vent: choix des plant: p. 10. = Spr: syst: n. 625. = Lam: ill: t. 100. f. 2. sub *Menyanthe* = *Menyanthes*, *Waldschmidiæ*, *Limnanthemi*, et *Schweyckhertæ* spec: Auctor: (*Pent*: *monog*: Spr:).

» *Glandulæ* 5. hypogynæ cum staminibus alternæ. » *Capsulæ* 2-valvis valvulis margine placentiferis se- » minibus marginatis, vel evalvis seminibus non mar- » ginatis. Cetera *Menyanthes*. »

Obs: Genus nunc constans 12. stirpibus circiter, quarum pars a *Menyanthe* rite distincta, aliæ postea detectæ; herbæ per orbem sparsæ, una tantum europæa.

❋ 1. *V. nymphoides* = Vent: l. c. = Spr: syst: I. 582. = Oed: fl: dan: t. 339. sub *Menyanthe*. Ic: taur: vol. 19. t. 77. (*Eur*: stagnis. *Pedem*: ad lacum *di Candia*, *di Vivrone* et *di S. Michele* in provincia *Eporediensi* ALL: n. 320. sub *Menyanthe*). Perenn: Glaberrima, folia repanda nutantia longissime petiolata cordato - orbiculata punctato - glandulosa, flores in umbellam sub - sessilem longe pedunculati ampli post anthesim submersi magni lutei, capsula carnosa evalvis.

VI. CHLORA Lin: gen: ed: Schreb: n. 653. = Spr: syst: n. 1417. = Lam: ill: t. 296. (*Octand: mon*: L.).

» *Cal*: 8-partitus. *Cor*: hypocrateriformis limbo 8- » partito. *Stam*: 8. inclusa. *Styl*: 1. stigmate 4-fido. »

Obs: Genus constans stirpibus 3. herbaceis facie *Gentianæ*.

❋ 1. *Chl: perfoliata* = L. syst: veg: 299. = Spr:

syst: II. 208. = Lam: ill: t. 296. f. 1. Ic: taur: vol. 17. t. 40. f. 1. sub *Gentiana* (*Anglia*, *Helvet*:, *Eur*: austr: *Pedem*: secus flumina ubi aquæ stagnarunt et in proximis sub-humidis pratis All: n. 366. sub *Gentiana*. In humidis *di Fossimagna*, *di Prato molle*, *di Mompantero* et secus *Duriam* Re fl: segus: p. 32. Prope *Venariam* sed rara, et prope *Riaje* in locis sub-humidis Re fl: tor: I. p. 216. In collibus *di Vergano*, *Boca* etc. Biroli fl: acon: I. p. 130. *Sardin*: in arvis Moris st: sard: I. p. 31.). Ann: Erecta glabra, folia ovata perfoliata acutiuscula, flores sub-umbellati lutei. Huc pertinere videtur *Chl*: *serotina* Reich: quæ differt tantum laciniis calycinis *lineari-lanceolatis* nec *setaceis*, stylo 2-*fido* nec *indiviso*; stylus ex observationibus meis variat in eisdem plantis ab integro ad 1-4-fidum. Cons: tamen Gusson: ex quo habeo hanc stirpem (Pr: fl: sic: I. p. 460. 461. et Tenor: syll: fl: neap: p. 190.). Possideo insuper aliud specim: a cl: Perret sub nomine *Chl*: *minoris*, quod non differt a *perfoliata* nisi partibus omnibus minoribus.

Trib: II.

Capsula simplex 2-locularis (*Exaceæ*).

VII. Exacum Lin: gen: ed: Schreb: n. 185. excl: paucis specieb: = Spr: syst: n. 442. = Lam: ill: t. 80. (*Tetr*: *monog*: L.).

» *Cal*: 4-fidus. *Cor*: sub-campanulata 4-fida tubo
» globoso. *Anther*: longitudinaliter dehiscentes. *Styl*:

» 1. declinatus stigmate simplici. *Caps*: 2-sulca pla-
» centa utrinque ad dissepimentum tandem libera. »

Obs: Genus constans 15. circiter stirpibus herbaceis pusillis, quarum 2. tantum europææ, habitu ludentes inter *Gentianam* et *Erythream*.

* 1. *E. filiforme* = W. sp: I. 638. = Spr: syst: I. 425. = Fl: dan: t. 324. sub *Gentiana* ex L. (*Eur*: locis humidis. *Pedem*: in argillosis humidiusculis *della Praglia di S. Egidio* eundo versus *Givoletto* Bertola app: ad fl: taur: p. 2. Re app: III. p. 5. *Sardin*: in irriguis Moris st: sard: I. p. 31.). Ann: Vix triunciale filiforme sub-simplex, folia opposita subinde verticillata lanceolata minima, pedunculi elongati 1-flori, flores aurei nonnisi meridie expansi. Monente cl: Bartl: (ord: nat: p. 200. in not.) stirps hæc proprium genus sistit ab *Exaco* diversum capsula 1-loculari, placentis 4. parietalibus secus valvarum margines adnatis seminibusque in quavis placenta pluriseriatis insigne.

2. *E. pusillum* = DC. fl: fr: n. 2785. et ic: rar: t. 16. (*Eur*: med: inundatis). Differt a priori statura 2-3-majori, caule ramosissimo, pedunculis 1-4-floris, pedicellis abbreviatis, floribus inapertis. = 3. *E. Candollei* = Batard suppl: II. DC. fl: fr: suppl: 429. (In humidis prope *Nantes*, *Anjou*, *Montpellier*). Vix a priori, cujus forsan var:, diversum habitu graciliore, foliis acutioribus, laciniis calycinis rectis nec recurvis, floribus roseis nec flavidis.

Species nova.

4. *E. chilense* = Berter: in merc: chil: n. XIII. p. 616. « *E.* caule filiformi erecto simpliciusculo, » foliis ovato-lanceolatis radicalibus in rosulam dis- » positis caulinis oppositis, pedunculis elongatis 1 - » floris, calyce campanulato 4-dentato dentibus al- » ternis minoribus, corollæ laciniis conniventibus. » Nob: Plantula hinc ad *E. filiforme* floribus inapertis accedens, sed calycis forma a congeneribus recedens et forsan novum genus constituens. Crescit *Chili* in pratis collinis juxta rivos.

VIII. Scoparia Lin: gen: ed: Schreb: n. 187. excl: *Sc: arborea* = Spr: syst: n. 439. = Lam: ill: t. 85. (*Tetr: monog*: L. Inter *Scrophularias* Juss: gen: p. 118. Inter *Scrophularinas Budlejeas* Bartl: ord: nat: p. 172.).

» *Cal*: 4-partitus. *Cor*: rotata 4 - partita regularis » fauce piloso-barbata. *Stam*: æqualia. *Styl*: 1. stig- » mate obtuso. *Caps*: 2-valvis dissepimentum e mar- » ginibus inflexis valvularum insertum placentæ ma- » gnæ centrali. »

Obs: Genus ludens inter *Gentianeas* et *Scrophularias*, sed corolla prorsus regulari, staminibus æqualibus, et fructus structura ab istis magis recedens etsi habitu valde similis, ex quibus cl: Spr:, retenta tantum *Sc: dulci*, alias ad *Chilianthum* inter *Verbeneas* amandavit.

1. *Sc: dulcis* = Jacq: amer: 17. ed: pict: p. 14.

(Intra *Tropicos* totius mundi). Herba vix fruticulosa erecta ramosa facie *Verbenæ*, folia terna vel quaterna ovato-lanceolata inæqualiter serrata, pedunculi axillares 1-5. filiformes 1-flori, flores parvi albi.

IX. Lisianthus Lin: gen: ed: Schreb: n. 274. = Spr: syst: n. 636. = Lam: ill: t. 107. (*Pent*: *monog*: L.).

» *Cal:* campanulatus 5-fidus laciniis margine mem-
» branaceis. *Cor*: infundibuliformis, tubo longo la-
» ciniis patentibus vel recurvis. *Stam*: exserta vel
» inclusa, antheris sagittatis. *Styl*: 1. persistens stig-
» mate 2-lamellato. *Capsulæ* dissepimentum e valvis
» introflexis. »

Obs: Genus constans 40. circiter stirpibus fere omnibus ex *Amer*: tropicali plerumque herbaceis, floribus satis conspicuis, in *Eur*: calidariis rarissimis, inter quas unicam stirpem possideo (*L. frigidus* Sw: fl: ind: occid: I. 352.) missam a Bertero e *Guadalupa*, caule fruticuloso tetragono, foliis ovatis, floribus sub-paniculatis terminalibus erectis, corolla ampla flava laciniis rotundatis, staminibus inclusis.

X. Chironia Lin: gen: ed: Schreb: n. 349. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 639. = Lam: ill: t. 108. f. 1. (*Pent*: *monog*: L.).

» *Cal*: 5-fidus post anthesim tumescens. *Cor*: hy-
» pocrateriformis tubo brevi laciniis patentibus. *Stam*:
» brevia antheris demum spiraliter tortis. *Styl*: 1. de-
» clinatus stigmate capitato 2-lobo. *Capsulæ* valvæ
» inflexæ placentiferæ dissepimentum fingentes. »

Obs: Genus nunc constans 9-10. stirpibus ex *Afr*: australi, una tantum ex *Amer*:, altera ex *Bengal*: Frutices vel herbæ, habitu fere proprio, foliis oblongis plus minus angustis, inflorescentia varia, floribus plerumque conspicuis.

1. *Ch*: *frutescens* = L. am: acad: IV. p. 308. n. 130. (*Afr*: austr:). Fruticulus pulcherrimus villosiusculus ramosissimus, folia lineari-lanceolata obtusiuscula sub-decussata patentiuscula, flores axillares vel terminales pedunculati magni rubentes, calyx obtusiusculus, corollæ laciniæ ovatæ apice rotundatæ. = 2. *Ch*: *linoides* = L. h. Cliff: 54. (*Afr*: austr:). Differt a priori statura humiliori, foliis linearibus acutis erectis, floribus minoribus, calyce acuto.

Trib: III.

Capsula didyma 2-locularis (*Spigelieæ*).

XI. Spigelia Lin: gen: ed: Schreb: n. 272. = Spr: syst: n. 634. = Lam: ill: t. 107. (*Pent*: *monog*: L.).

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: infundibuliformis, limbo » 5-fido patente æquali. *Stam*: 5. exserta vel inclusa. » *Styl*: 1. (2. coaliti) 2-fidus. *Caps*: 2-loba lobis di- » vergentibus 2-4-valvis placentis demum liberis. »

Obs: Genus constans 12-13. stirpibus americanis, quarum major pars nuper detecta in *Brasil*: Herbæ rarius suffrutices foliis integerrimis, stipulis interpetiolaribus, floribus spicatis sæpius 1-lateralibus bracteatis.

1. *Sp*: *Anthelmia* = L. am: acad: V. p. 133. t. 2. (*Amer*: austr:). Ann: Sub-ramosa glabra, folia oblonga opposita summa quaterna, ramuli ex singulis axillis foliis quaternis minoribus terminati, spinæ terminales sub-secundæ, stamina inclusa, corolla parva e rubello sub-herbacea. = 2. *Sp*: *marilandica* = L. syst: veg: 166. (*Amer*: bor:). Perenn: Glabra sub-simplex, folia omnia opposita oblonga sessilia, spicæ terminales, flores conspicui majusculi, corolla fauce gibba extus coccinea intus fulva, laciniis revolutis, stamina inclusa.

XII. Mitreola Spr: syst:, c. p. p. 49. ex Rich: = *Ophiorrhizæ* spec: L. = Lam: ill: t. 107. f. 1. (*Pent*: *monog*: Spr:).

» *Cal*: 5-dentatus persistens. *Cor*: urceolata. *Stam*: » inclusa. *Styl*: 1. stigmate indiviso. *Caps*: 2-locu- » laris placentis internis. »

Obs: Genus a cl: Rich: diremptum ab *Ophiorrhiza* pro sola *O. Mitreola*, fructus structura præcipue inspecta, ludens inter *Rubiaceas*, ad quas cl: DC. refert *Ophiorrhizæ* genus, et *Gentianeas*, inter quas *Mitreolam* enumerant cl: Spr: l. c. et Bartl: ord: nat: p. 200.

1. *M. ophiorrhizoides* = Spr: c. p. p. 59. ex Rich: *Ophiorrhiza Mitreola* L. sp: 213. (*Ind*: occid:, *Carol*:). Herba erecta simpliciuscula glabra, folia opposita ovata sessilia, panicula terminalis 2-fido-ramosa, flores parvi secundi albescentes. Planta mea ex Bertero stylum habet unicum persistens stigmate simplicis-

simo; duos ei tribuit Sw: obs: p. 59. t. 3. f. 2. An ejus planta diversa a specie L.? Cons: R. et S. syst: IV. p. 191. 192.

XIII. Rochefortia Sw: pr: p. 54. et ic: t. 10. = Spr: syst: n. 1003. (*Pent*: *digyn*: Spr:).

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: infundibuliformis limbo 5-
» lobo laciniis patentibus. *Stam*: 5. fauci corollæ in-
» serta. *Styl*: 2. subulati pilosi. *Caps*: globosa 2-lo-
» cularis seminibus angulosis. »

Obs: Genus in ordine naturali valde dubium, hinc *Rhamneis*, habitu præsertim (Poir: dict: VI. p. 228.), illinc *Gentianeis* (Spr: l. c.) accedens, inter plantas incertæ sedis a cl: Bartl: enumeratum (ord: nat: p. 428.), constans 3. stirpibus ex *Amer*: calidiore. Frutices glabri quandoque spinosi, foliis sub-fasciculatis integerrimis, floribus cymosis parvis. Possideo *R. ovatam* Sw: l. c. lectam in *Guadalupa* et a cl: Bertero communicatam; fruticulus foliis alternis vel sub-fasciculatis ovatis sub-emarginatis glabris nec pubescentibus uti in phrasi Spr:, cymis axillaribus terminalibusve sub-compositis. Facies omnino *Rhamnearum*, sed valde recedens fructificatione et forsan ordinem proprium inter *Corollifloras* constituens.

Obs: geographica circa *Gentianeas.*

Gentianeæ per orbem sparsæ sec: Spr: sistunt circiter n. 280

Gentianeæ pedemontanæ.

Gentiana	18
Swertia	1
Erythræa	5
Menyanthes	1
Villarsia	1
Chlora	1
Exacum	1
	28

Et sic 10.am partem constituunt.

Ordo CXVII.

BIGNONIACEÆ

(*Bignoniæ* Juss: gen: 137. excl: paucis gener: = J. S. Hill: fam: I. p. 315. t. 50. = *Personatarum* pars Adans: = *Bignoniaceæ* R. Br: Prodr: p. 470. = DC. th: élém: p. 217. = Bartl: ord: nat: 185. excl: paucis generib:).

Char: essentialis.

» *Cal*: liber sub-divisus. *Cor*: sæpius irregularis » 4-5-loba sub-2-labiata. *Stam*: 5. libera corollæ » lobis alterna inæqualia, quorum 1. brevissimum » sæpius abortivum, quandoque 2. superiora abortiva. » *Ovar*: 2. in 1. connata multi-ovulata. *Styl*: 1. stig- » mate 2 - rarissime 3 - lobo. *Capsula* 2 - locularis » vel pseudo-4-locularis (rarius 3-locularis) 2-valvis, » columna centrali compressa dissepimentum valvu- » lis paralellum vel contrarium demum liberum con- » stituens. *Sem*: indefinita transverse alato-compressa » exalbuminosa. *Embr:* rectus. *Radic*: infera. *Cotyled:* » foliaceæ. »

Obs: Ordo satis naturalis, hinc veris *Personatis* corollæ forma et staminum dispositione, si quintum abortivum excipias, illinc *Gentianeis*, si corollam regularem et quinti staminis præsentiam consideres, habitu tamen fere proprio, constans ex Spr: 15. ge-

neribus circiter, quibus 10. alia addit Bartl: vel prorsus nova vel ab affinibus dirempta. Arbores vel frutices sæpe volubiles fere omnes intratropicales, foliis oppositis rarissime alternis sæpissime exstipulatis compositis sæpius cirrhosis rarius simplicibus, floribus paniculato-racemosis rarius solitariis plerumque speciosis. Cons: diz: sc: nat: vol. III. p. 524. et speciatim Chamis: in Linnæa 1832. p. 542. et 689.

I. Bignonia Lin: gen: ed: Schreb: n. 1018. excl: paucis specieb: = Spr: syst: n. 2224. = Lam: ill: t. 526. (*Didyn*: *angiosp*: L.).

» *Cal*: campanulatus integerrimus vel sub-denta-
» tus. *Cor*: campanulata limbo 2 - labiato 5 - lobo.
» *Filam*: quintum sterile. *Stigm*: 2-lamellatum. *Caps*:
» siliquæformis 2-locularis dissepimento valvis para-
» lello. *Sem*: 2-seriata membranaceo-alata. »

Obs: Genus nunc constans 70. circiter stirpibus ex *Ind*: tropicalibus, nonnullis ex *Amer*: bor:, characteribus supra allatis in obs: ad ordinem; pleræque cultæ in *Eur*: ad ornamentum.

1. *B. Unguis* = L. sp: 869. (*Ind*: occid:). Frutex scandens glaberrimus, folia 2-nata foliolis ovatis subacuminatis tenuissime denticulatis cirrhis 3-partitis, pedunculi axillares solitarii 1-flori, flores mediocres lutei. = 2. *B. venusta* = Spr: syst: II. 831. ex Ker: (*Brasil*:). Scandens cirrhifera, folia ternata, foliola ovata acuminata glanduloso - punctata villosiuscula, pedunculi axillares corymbosi multiflori sec: Spr: Culta in h. Ripul: nondum floruit.

Bignoniæ dubiæ vel novæ.

3. *B. capensis* = Th: prodr: p. 105. (*C. B. S.*). Frutex erectus glaber, ramis tantum paullo scandentibus, folia impari-pinnata ecirrhosa foliolis 5-7-jugis rotundatis serratis, paniculæ terminales amplæ, flores brevi-pedicellati, calyx parvus 5-dentatus, corolla longissima coccinea tubo incurvo limbo late 2-labiato. Pulcherrima stirps omissa a Spr:, sempervirens, in h. Ripul: culta, ubi læte floret fere toto anno; fructus ad maturitatem pervenerunt in frigid: mense decembr: 1834. = 4. *B. pyramidata?* Specim: sub hoc nomine ex hb: Biroli non quadrat cum *B. pyramidata* Rich:, quam cl: Spr: refert ad *B. magnoliæfoliam* Kunth; in hac folia sunt simpliciter conjugata elliptica coriacea integra; in nostra impari-pinnata ut in præcedenti, sed foliola ovata nec rotundata sinuato-dentata sinu supremo elongato subtus pallida, calyx medietatem corollæ tubi sub-æquans laciniis lanceolatis acuminatis, corolla maxima campanulata ex sicco rubro-flavescens, tubo recto, lobis rotundatis patentissimis sub-æqualibus. Species insignis.

5. *B. auriculigera* = Mart: hb: « *B.* caule fruticoso scandente glabro, foliis binatis cirrhosis ad basim petioli stipulis 4. auriculæformibus suffultis, foliolis petiolatis ellipticis integerrimis utrinque nitidis, pedunculis solitariis oppositis 1-floris, calyce integerrimo corollæ tubum sub-æquante. » Nob: Stirps speciosa ob præsentiam stipularum ad basim petioli, quod raro occurrit in *Bignoniaceis*; stipulæ hæ sunt sub-orbiculatæ sessiles integerrimæ sub-co-

riaceæ diam: 3-lin: circiter in crucem dispositæ. Fructus desunt in specim:

II. Catalpa Juss: gen: p. 138. = Spr: syst: n. 98. = *Bignoniæ* spec: L. (*Diandr*: *monog*: Spr:).

» *Cal*: 2-partitus. *Stam*: 5. quorum 3. sterilia. *Caps*: » dissepimentum valvis oppositum. Cetera *Bignoniæ*. »

Obs: Genus a *Bignonia* divulsum pro paucis stirpibus (5. ex Spr:) characteribus allatis. Arbores americanæ, inter quas nunc undique sub dio in *Eur*: colitur *C. syringifolia* Sims (*Bignonia Catalpa* L. sp: 868.). Arbor ex *Amer*: bor: sub-excelsa erecta glaberrima, foliis oppositis amplis simplicibus petiolatis cordatis acute sub-integerrimis, panicula terminali ampla composita, floribus sordide albidis intus maculis purpureis et luteis adspersis, fructu pendulo longissimo cylindraceo.

III. Tecoma Juss: gen: p. 139. = Spr: syst: n. 2225. = *Bignoniæ* sp: L. (*Didyn: angiosp*: Spr:).

» *Caps*: dissepimentum valvis contrarium. Cetera » *Bignoniæ*. »

Obs: Genus constans 9-10. stirpibus habitu *Bignoniæ* simillimis, pariter americanis, una excepta ex *N. Holl*:

1. *T. pentaphylla* = Spr: syst: II. 834. ex Juss: ? Sub *Bignonia* L. h. Cliff: 497. (Ins: *Caribæis*). Arbor mediocris erecta glabra, folia digitata foliolis ovatis inæqualiter petiolatis integerrimis coriaceis, flores ad apicem ramorum 3-4. sub-racemosi amplissimi purpurei, fructus ut in *Catalpa*. Cl: Spr: citat

pro synon: *T. digitatam* Bonpl: et silet synon: L.; an igitur planta Spr: diversa? sed tunc quid *B. pentaphylla* L.? Specim: meum ex Bertero quadrat cum phrasibus nimis brevibus Auctorum, et præsertim cum descript: Lam: dict: I. p. 416. n. 19. = 2. *T. australis* = Spr: syst: II. 834. ex R. Br: *Bignonia pandorana* Andr: repos: p. 86. t. 86. (*N. Holl:*). Frutex scandens glaberrimus, folia impari-pinnata, foliola lanceolata sub-integerrima ecirrhosa, flores racemosi mediocres axillares et terminales. = 3. *T. radicans* = Spr: syst: II. 834. ex Juss: Sub *Bignonia* L. h. Cliff: 217. (*Amer*: bor:). Fruticosa scandens altissima ramosissima ramis hinc inde radicantibus, folia impari-pinnata 7-9-juga, foliola ovata inciso-dentata acuminata, corymbi terminales, flores magni, calyx sub-coriaceus phæniceus uti corolla. Ubique in hortis europæis culta ad pergulas et muros.

IV. Salpiglossis R. et P. fl: per: prodr: p. 94. t. 19. = Spr: syst: n. 2230. (*Didyn: angiosp:* Spr:).

» *Cal*: 5-partitus sub-inæqualis. *Cor*: infundibuli-
» formis limbo 5-lobo. *Filam*: quintum sterile. *Styl*:
» linguæformis versus apicem 2-denticulatus stigmate
» truncato 2-lobo. *Caps*: 2-locularis dissepimento
» valvis paralello. *Sem*: parva numerosissima. »

Obs: Genus constans unica stirpe, *S. sinuata* R. et P. l. c. ex *Chili*, herbacea erecta sub-simplex puberula, folia alternatim ex eodem puncto quorum alterum valde minus inferiora sinuata superiora angustiora sub-integerrima, panicula terminalis 2-3-chotoma pauciflora, flores ampli calyce glanduloso-

piloso corollæ tubo flavescente limbo atro-sanguineo. Specim: ex Bertero sine fructu ceterum optima.

V. Incarvillea Juss: gen: p. 138. = Spr: syst: n. 2231. = Lam: ill: t. 527. = *Bignoniæ* sp: Thb: (*Didyn*: *angiosp*: W.).

» *Cal*: 5-fidus 3-bracteatus. *Cor*: tubuloso-ventri-
» cosa, limbo 5-lobo sub-inæquali. *Filam*: quinti ru-
» dimentum. *Antheræ* 2-lobæ 2-aristatæ. *Caps*: si-
» liquæformis longe acuta, dissepimento valvis op-
» posito. *Sem*: alata. »

Obs: Genus a Juss: statutum pro una tantum stirpe chinensi, nunc constans ex Spr: 3. alteris, quarum 2. a *Bignonia* diremptæ. Arbores vel sæpius frutices ex *Ind*: orient: quandoque scandentes, foliis simplicibus vel pinnatis, floribus paniculatis vel corymbosis. Possideo *I. grandifloram* Spr: syst: II. 836. (*Bignonia* Thb: jap: 253.). Frutex sub-scandens glaber, folia impari-pinnata 5-7-juga, foliola ovata serrata acuminata, panicula terminalis, flores ampli purpurei. Caulem minime radicantem esse tradit Thb: l. c., nec in plantis cultis in h. Ripul: talem unquam vidi, unde forsan erravit W. sp: III. p. 302. in obs:

VI. Gelsemium Juss: gen: p. 150. inter *Apocyneis* affines = Spr: syst: n. 2232. = *Bignoniæ* spec: L. (*Didyn*: *angiosp*: L.).

» *Cal*: 5-dentatus. *Cor*: infundibuliformis limbo
» 5-lobo. *Filam*: quintum sæpe perfectum. *Caps*:
» ovata compressa, valvis inflexis dissepimentum
» constituentibus. *Sem*: apice alata. »

Obs: Genus rite a *Bignoniis* divulsum ob præsentiam quinti staminis sæpius perfecti, et fructus structura, modo constans una tantum specie, *G. nitidum* MICHX: fl: bor: amer: I. p. 120. (*Bignonia sempervirens* L. sp: 869.); frutex scandens glaberrimus, foliis simplicibus lanceolatis acutis, floribus axillaribus fasciculatis luteis odoratis.

VII. COBÆA Cav: ic: p. 11. t. 16. 17. = Spr: syst: n. 669. (*Pent: monog*: W., Spr:).

» *Cal*: 5-partitus 5-gono-alatus. *Cor*: campanulata
» limbo 5-fido sub-æquali. *Stam*: 5. fertilia declinata,
» filamentis demum spiralibus. *Stigm*: 3-fidum. *Caps*:
» 3-valvis dissepimento triquetro, angulis valvæ ad-
» versis. *Sem*: 2-seriata. »

Obs: Genus habitu proprio hinc *Bignoniaceis* illinc *Polemoniaceis* accedens, nunc levibus rationibus sistens ex DON: (Edimb: philos: journ: 1824.) ordinem *Cobæacearum* duas tantum continentem species. Cons: circa ordinem cl: BARTL: ord: nat: p. 186. not: ✻

1. *C. scandens* = Cav: l. c. (*Mexico*). Frutex altissime scandens glaber, foliis pinnatis valde cirrhosis, foliolis ovatis petiolatis mucronulatis, pedunculis axillaribus solitariis longissimis, floribus amplissimis violaceis. Ubique modo in calidariis europæis culta ad ornamentum.

Obs: geographica circa *Bignoniaceas*.

Bignoniaceæ per orbem sparsæ circiter . .	150
Bignoniaceæ pedemontanæ	0

Ordo CXVIII.

SESAMEÆ

(DC. th: élém: ed: 2. p. 247. = Bartl: ord: nat: p. 175. = *Sesameæ* et *Pedalinæ* R. Br: = *Bignoniearum* genera nonnulla Juss:).

Char: essentialis.

» *Cal:* liber 5-divisus sub-æqualis persistens. *Cor:* » 2-labiata, labio superiore 2-fido inferiore 3-lobo. » *Stam:* 4. didynama, quinto abortivo. *Ovar:* 2. vel » rarius 4. connata. *Fructus* drupaceus indehiscens 2- » 8-locularis placentis centralibus oligospermis. *Sem:* » non alata. *Radic:* quandoque supera. Cetera ut in » *Bignoniaceis.* »

Obs: Ordo *Bignoniaceis* valde affinis, at fructus structura præsertim differens, constans 6. generibus ex Bartl:, quorum 2. prorsus nova, omnia exotica, 15. stirpes circiter constituentia.

I. Martynia Lin: gen: ed: Schreb: n. 1010. = Spr: syst: n. 2234. inter *Bignonieas desciscentes* = Lam: ill: t. 537. (*Didyn: angiosp:* L.).

» *Cal:* 5-fidus inæqualis bracteatus vel ebracteatus. *Cor:* ventricosa. *Drupa* acuta rostro inflexo bi- » corni, nunc 4-loculari. »

Obs: Genus constans ex Spr: 7. stirpibus exoticis herbaceis rarissime suffruticosis, foliis plerumque op-

positis simplicibus. Colitur in hortis *M. proboscidea* Gloxin: obs: p. 14., *M. annua* L. sp: 862. (*Amer: bor:*) ob singularitatem fructus per exsiccationem longissime rostrati rostro valde inflexo 2 - corni; herba ann: ramosa tomentoso-glutinosa fœtens, foliis alternis cordatis longe petiolatis integerrimis, calyce 3 - bracteato, floribus lividis.

II. Sesamum Lin: gen: ed: Schreb: n. 1048. = Spr: syst: n. 2200. inter *Scrophularias desciscentes* = Lam: ill: t. 528. (*Didyn: angiosp:* L.).

» *Cal:* 5-partitus lacinia summa minore. *Cor:* cam-
» panulata. *Fructus* capsularis 4-locularis 2-valvis,
» valvis inflexis loculos formantibus. »

Obs: Genus constans 5. circiter stirpibus ex *Ind: orient:*, herbaceis, foliis simplicibus alternis oppositisve, floribus axillaribus solitariis.

1. *S. orientale* = L. h. Cliff: 318. Ann: Erectum sub-simplex pilosiusculum, folia sub-opposita petiolata ovato-oblonga integerrima, flores brevi-pedunculati glanduloso-2-bracteolati albescentes, capsula tetragona stylo persistenti acuminata.

Ordo CXIX.

POLEMONIACEÆ

(Vent: tabl: II. p. 398. = Bartl: ord: nat: p. 188. = *Polemonia* Juss: gen: p. 136. = J. S. Hill: fam: I. p. 312. t. 49. = *Polemonideæ* DC. th: élém: p. 217.).

Char: essentialis.

» *Cal*: liber persistens 5 - raro 3-4-partitus. *Cor*: » tubulosa regularis 5-loba (sub-irregularis in *Cal-* » *dasia*) lobis segmentis calycinis alternis per æsti- » vationem imbricatis. *Stam*: 5. libera corollæ lobis » alterna. *Styl*: 1. *Stigm*: 3. *Caps*: 3-locularis 3-valvis » valvulis medio septiferis vel costa prominente in- » structis, columna centrali 3-gona angulis versus » axim valvularum directis et cum dissepimento con- » natis demum solutis. *Sem*: in loculis solitaria vel » indefinita carnoso-albuminosa. *Embr*: rectus. *Radic:* » infera. *Cotyled*: ellipticæ planæ. »

Obs: Ordo satis naturalis accedens hinc *Bignonia-ceis*, a quibus differt præsertim corolla regulari, et numero staminum definito, illinc *Convolvulaceis* e fructus structura distinctis, constans ex Bartl: 10. circiter generibus, quibus 6. alia prorsus nova nuperrime addita fuerunt a cl: M. G. Bentham in bot: reg: octobr: 1833., quorum nomina et diagnoses videre est in ann: sc: nat: 1834. 11. p. 84. ad 90. Herbæ,

raro frutices (paucis exceptis) americani, foliis alternis quandoque oppositis exstipulatis simplicibus integerrimis rarius pinnati-sectis, inflorescentia varia sæpius in paniculam vel corymbum.

I. Polemonium Lin: gen: ed: Schreb: n. 289. excl: 1. stirpe = Spr: syst: n. 663. = Lam: ill: t. 106. (*Pent*: *monog*: uti cetera ordinis genera).

» *Cal*: urceolatus 5-fidus. *Cor:* sub-campanulata. » *Filam*: versus basim dilatata. *Caps*: ovato-3-gona » polysperma. »

Obs: Genus constans 5-6. stirpibus herbaceis americanis, una tantum europæa, foliis pinnati-sectis, floribus sub-corymbosis.

1. *P. cæruleum* = L. fl: lapp: 86. 183. (*Eur*: et *Asia* bor:). Perenn: Erectum glabrum, folia imparipinnati-secta multijuga, foliola lanceolata acuta integerrima, corymbi terminales compositi, flores glomerati secus corymbi rachidem erecti ampliusculi cærulei vel albi; variat quoque statura valde minori (*P. tenue*), calycibus lanatis (var: *β* L.), caule simplici elongato (*P. gracile* W. en: suppl:). = 2. *P. mexicanum* = Lag: gen: et sp: nov: disp: p. 10. n. 140. (*Mexico*). Bienn: Simpliciusculum pubescens, folia ut in priori sed angustiora terminali 3-lobo, flores minores cernui albidi.

II. Gilia R. et P. fl: per: II. t. 123. = Spr: syst: n. 666. = *Cantuæ*, *Polemonii*, *Ipomopsidis*, *Ipomeriæ* spec: quorumd:

» *Cal*: sub-campanulatus 5-fidus. *Cor*: infundibuli-

» formis. *Stam*: fauci corollæ inserta. *Caps*: polysper-
» ma. *Sem*: duplici serie angulata nuda. »

Obs: Genus medium inter *Polemonium* cui accedit foliis pinnatifidis, et *Cantuam* a qua differt præsertim seminibus nudis nec alatis, constans ex Spr: 5. stirpibus, nunc ex Bentham 14. americanis plerumque herbaceis.

1. *G. laciniata* = R. et P. l. c. *Cantua breviflora* Juss: ann: du mus: III. p. 119. (*Peruv*:, *Chili*). Ann: Pubescens ramosa, folia pinnatifida laciniis linearibus integerrimis nec sinuatis uti in diagn: Spr: syst: I. 625., pedunculi glanduloso-pilosi axillares et terminales sub-3-flori, corolla calycem vix excedens cærulea. Specim: optima ex Bertero *Rancagua* lecta. = 2. *G. capitata* = Bot: reg: 1170. ex Reich: ic: bot: ex: t. 246. Ann: Erecta glaberrima ramosissima, folia pinnatifida laciniis ramosis valde irregularibus forma magnitudine et directione, panicula terminalis ramosissima, flores ad apicem ramorum in capitulum glomerati, corolla cærulea, stamina exserta. Stirps pulcherrima communicata a cl: Huguenin et ab eo culta in h. Burdinii.

Giliæ dubiæ.

3. *G. Berteri* = Alph: DC. in 5. not: pl: rar: jard: genev: t. 5. *Genus fortasse novum* Berter: Merc: chil: n. XIV. p. 644. (*Chili* in pratis humidis planitiei et secus torrentes). Plantula ann: humillima puberula, folia pinnatifida laciniis linearibus subulatis

caulina patentissima summa erecta involucrum formantia, flores minimi bracteati in capitulum terminale involucratum congesti; stigma 2-fidum tantum vidit cl: Alph: DC., 3-fidum observavit et pinxit Heyland. A *Navarretia involucrata* R. et P. fl: peruv: II. p. 8. mihi non videtur differre, monente etiam cl: Ad: Brouguiart in Arch: bot: II. p. 554. not: 1., differentia enim in stigmate 2- vel 3-fido fere inconspicua.

III. Cantua Juss: gen: p. 136. = Spr: syst: n. 665. = Lam: ill: t. 106. = *Cantuæ*, *Periphragmos*, et *Vestiæ* spec: quorund:

» *Cal*: urceolatus 2-3-5-fidus. *Cor*: tubulosa infun-
» dibuliformis limbo 5-partito. *Stam*: ex tubo corollæ
» exserta. *Caps*: calyce cincta. *Sem*: alata. »

Obs: Genus habitu etiam a prioribus distinctum, constans ex Spr: 8. stirpibus *Amer*: merid:, *Peruviam* præsertim colentibus. Frutices foliis alternis sæpe fasciculatis integris, inflorescentia varia. Stirpes herbaceæ a R. et S. enumeratæ folia gerentes pinnatifida (syst: IV. p. 367. 369.) ad *Giliam* pertinent. Possideo *C. ligustifoliam* Juss: ann: mus: III. p. 118. in hortis cultam sub nomine *C. fœtidæ* Pers: vel *Vestiæ licioideæ* W. Frutex erectus ramosus glaberrimus fœtens, folia brevi-petiolata ovato-oblonga integerrima sub-fasciculata, pedunculi axillares vel terminales sub-1-flori, calyx 5-fidus laciniis acutis, corolla luteola calyce triplo longior limbo extus violaceo.

IV. Hoitzia Juss: ann: mus: V. p. 259. = Spr: syst: n. 667. = *Hoitziæ*, *Phloxis*, *Colloniæ*, *Cantuæ*, et *Loeseliæ* spec: quorund: = Lam: ill: t. 527. pro *Loeselia.*

» *Cal*: 5-partitus bracteatus. *Sem*: muco obvoluta. » Cetera *Cantuæ.* »

Obs: Genus vix a priori distinctum characteribus allatis, habitu ei simillimum, patria eadem. Habeo ex Bertero in *Chili la Quinta* lectam *H. linearem* Spr: syst: I. 626. (*Phlox linearis* Cav: ic: VI. p. 17. t. 527. sec: Spr:?). Plantula vix semi-pedalis simpliciuscula puberula, folia opposita lineari-lanceolata sessilia, flores versus apicem caulis aut ramorum ubi adsunt 2-3. sub-capitati parvi cærulei. Specim: mea ex Bertero non quadrant cum ic: Cav: supra citata; alia possideo sub eodem nomine ex H. Spinii, quæ plantam valde diversam referunt.

V. Phlox Lin: gen: ed: Schreb: n. 839. = Spr: syst: n. 664. = Lam: ill: t. 108.

» *Cal*: 5-fidus prismaticus. *Cor*: tubo elongato limbo » hypocrateriformi 5-lobo. *Stam*: tubo inserta sub-» inæqualia inclusa. *Caps*: loculis monospermis. »

Obs: Genus pulcherrimum constans 20. circiter stirpibus fere omnibus ex *Amer*: bor:, nunc hortos nostros læte adornantibus. Herbæ vel raro frutices foliis oppositis vel fasciculatis integris, floribus plerumque paniculato-corymbosis conspicuis. Inter plures stirpes, quas e plantis cultis vel siccis communicatis possideo, novam sequentem enumero.

1. *Ph*: *unidentata* = Bert: merc: chil: n. XVI. p. 743. Stirps distinctissima detecta a cl: Bertero in nemoribus arenosis planitiei circa *Cachapual Chili*, nec tamen descripta; phrasis hæc erit:

» *Phl*: caule herbaceo erecto simplicissimo glaber-
» rimo rubescente demum villosiusculo viridi; foliis
» alternis integerrimis vel 1-3-dentatis, inferioribus
» ovato-lanceolatis subtus rubescentibus, superiori-
» bus lineari-lanceolatis gradatim longioribus utrin-
» que viridibus; corymbo terminali coarctato invo-
» lucrato, floribus sessilibus, laciniis calycinis lan-
» ceolatis glanduloso-villosis, corollæ tubo elongato,
» limbo rotundato (Flores exsiccatione luteoli, an
» vivi cærulescentes?). » Colla pl: rar: chil: fasc: VI. t. XXXIX. ined:

VI. Caldasia W. h. Berol: I. p. 71. t. 71. = Spr: syst: n. 668. = *Bonplandia* Cav: ic: VI. p. 21. t. 532. non W.

» *Cal*: tubulosus 5-dentatus. *Cor*: hypocraterifor-
» mis limbo 5-lobo lobis duobus superioribus ma-
» joribus. *Stam*: declinata. *Capsulæ* loculi 1-spermi. »

Obs: Genus constans unica stirpe (*C. heterophylla* W. l. c., *Bonplandia geminiflora* Cav: l. c.) ex *Nov*: *Hispan*:, herbacea erecta pilosa, foliis alternis ovato-lanceolatis serratis glabris, pedunculis axillaribus geminis, floribus ampliusculis lilacinis post anthesim nutantibus; corolla irregulari recedit a veris *Polemoniaceis*.

Obs: geographica circa *Polemoniaceas*.

Polemoniaceæ per orbem sparsæ circiter 70., quarum nullæ pedemontanæ.

Ordo CXX.

CONVOLVULACEÆ

(Vent: tabl: II. p. 394. = R. Brown Prodr: I. p. 481. = DC. th: élém: p. 217. = Bartl: ord: nat: p. 122. 190. = *Convolvuli* Juss: gen: p. 132. excl: 5. generib: = J. S. Hill: fam: I. p. 306. t. 48. = Choisy *Convolvulaceæ* orient:).

Char: essentialis.

» *Cal*: liber persistens 5 - rarissime 10 - divisus.
» *Cor*: tubulosa regularis 5 - rarissime 6 - 10 - loba
» sæpissime longitudinaliter 5-plicata, lobis per æsti-
» vationem contortis. *Stam*: corollæ lobis numero æ-
» qualia iisque alterna libera, filamentis sæpe inæ-
» qualibus basi dilatatis nudis aut squamulosis, an-
» theris sæpius sagittatis et basi adnatis. *Ovar*: nunc
» 1. simplex 1-2-4-loculare, nunc duplex et qua-
» druplex, loculis 1-2-ovulatis. *Styl*: 1. sæpius 2-
» fidus raro duplex. *Stigm*: totidem connata vel dis-

» tincta acuta complanata vel globosa. *Fructus* ple-
» rumque capsularis raro baccatus oligospermus co-
» lumna centrali basi seminifera dissepimentum te-
» nue membranaceum valvulis paralellum constituente.
» *Sem*: mucilagineo-albuminosa. *Embr*: curvatus (spi-
» ralis in *Cuscuta*). *Radic*: infera. *Cotyled*: corrugatæ
» germinatione foliaceæ sæpissime emarginatæ (o. in
» *Cuscuta?*). »

Obs: Ordo habitu proprio, differens a *Polemoniaceis*, quibus valde affinis, præcipue fructus structura, embryonis directione et cotyled: figura, constans 22. circiter generibus (29. ex Bartl:, inclusis nonnullis dubiis pro ordine aliisque a *Convolvulo* divulsis, 31. ex Choisy). Frutices vel herbæ sæpe volubiles lactescentes, foliis sparsis exstipulatis simplicibus raro pinnatisectis, pedunculis axillaribus vel terminalibus sæpius 1-floris et 2-bracteatis, floribus plerumque speciosis. Cons: inter alios cl: Choisy l. c. ubi optimas ordinis sectiones et non pauca nova genera constituit. Sectiones autem sunt 1.° *Argyrejeæ* (gen: 6.), embr: cotyledoneo, carpellis in ovarium unicum coalitis, fructu baccato indehiscente; 2.° *Convolvuleæ* (gen: 22.), fructu capsulari dehiscente; 3.° *Dichondreæ* (gen: 2.), carpellis distinctis; 4.° *Cuscuteæ* (gen: 1.), embr: acotyledoneo.

I. Convolvulus Spr: syst: n. 643. = *Convolvuli* et *Ipomææ* sp: L. = *Convolvuli*, *Ipomææ* et *Calystegiæ* sp: R. Br: = Lam: ill: t. 104. (Inter *Convolvuleas* Choisy).

» *Cal*: 5-partitus nudus vel bracteatus. *Cor*: cam-

» panulata vel infundibuliformis plicata. *Stigm*: capi-
» tatum lobatum vel fissum. *Caps*: 1-2-3-4-locularis
» (char: ex Spr:). »

Obs: Cl: Spr: conjunxit *Ipomœam* et *Calystegiam* cum *Convolvulo*; prima non differt nisi stigmate *capitato* vel *papilloso* nec *lineari-2-partito* ut in *Convolvulo*; altera distinguitur tantum ob præsentiam *bractearum* sub calyce et capsula *uniloculari*; ceterum habitus in omnibus identicus. Sprengelium hic igitur sequor etsi genus remaneat extricatu difficillimum ob innumeras stirpes (350. circiter ex Spr:), quarum pars maxima exoticæ, paucæ europææ. Ex caule volubili, prostrato, vel erecto, tum ex foliorum forma, ac inflorescentia optimæ eruuntur divisiones. Plures inter exoticas stirpes coluntur in hortis europæis ornamenti gratia; hic indigenas tantum ac dubias referendas duxi; qui plura circa primas desiderat, memoratum Choisy opus evolvat.

Sect: I.

Volubiles.

β Foliis palmatis.

❀ 1. *C. italicus* = R. et S. syst: IV. 266. = *C. alceæfolius* Spr: syst: I. 591.? = *C. althæoides* Sibth: fl: græc: t. 194. et DC. fl: fr: non L. *C. hirsutus* Tenor: fl: nap: I. p. 60. t. XV., hinc sub *C. italico* in syll: fl: neap: p. 91. Ic: taur: vol. 16. t. 89. sub *C. althæoideo* (*Ital*:, *C. B. S.* ex Spr:? Incolit frequenter colles et rupes mari proximas in agro *Ni-*

cæensi et generatim invenitur ad muros in vinetis, in *Liguria* ad pagum *Villatala* All: n. 390. sub *C. althæoideo*). Perenn: Undique hirsutus, folia radicalia cordata caulina palmato-pedata incisa, pedunculi folio longiores sub-2-flori, flores mediocres, corolla campanulata rubra. Rite a cll: R. et S. a seq: sejunctus cum quo sæpe confusus fuerat; planta nicæensis pertinet absque dubio ad *C. italicum* nec ad *althæoideum* L.

2. *C. althæoides* = L. sp: 222. non Sibth: nec DC. (*Eur*: austr:, *Afr*: bor: *Sardin*: in pascuis collinis ad sepes Moris st: sard: I. p. 32.). Differt a priori caule humiliori nec tam volubile, hirsutie sericea albo-argentea, foliorum laciniis linearibus ac profundioribus, corolla demum minori ac pallidiore.

* 3. *C. arvensis* = L. fl: suec: 163. 181. = Spr: syst: I. 603. = Oed: fl: dan: t. 459. Ic: taur: vol. 2. t. 49. 50. Vern: *Ciochette* uti ceteræ species indigenæ, insuper *Vidolo*, *Coriola* (*Eur*: fere tota. *Pedem*: vulgatissimus ad vias et in arvis All: n. 388. Re fl: segus: p. 19. et fl: tor: I. p. 125. Biroli fl: acon: I. p. 68. In *Sardin*: arvis Moris st: sard: I. p. 32. *Indiam*, *Chinam* et *Persidem* incolit etiam secus Choisy l. c. p. 97.). Perenn: Repens glaber, folia sagittata lobis divaricatis acutis, pedunculi folio longiores quandoque etiam 2-flori ad medium bracteolati, flores mediocres, calyx obtusus brevissimus, corolla campanulata suaveolens plus minus incarnato-variegata; variat flore maximo ad unguem fere secto (α), caule minus volubili (β), foliis minus divisis hirsutiusculis (γ).

* 4. *C. sepium* = L. fl: suec: 174. 182. = Spr:

syst: I. 603. = Oed: fl: dan: t. 458. Ic: taur: vol. 2. t. 48. *Calystegia* R. Br: prodr: I. p. 483. (*Eur*:, *Asia* med:, *Amer*: bor: *Pedem*: ad fossas et sepes ALL: n. 389. RE fl: segus: p. 19. et fl: tor: I. p. 125. BIROLI fl: acon: I. p. 68. *Sardin*: ad sepes MORIS st: sard: I. p. 32.). Perenn: Glaber, foliorum lobi postici sub-truncati, pedunculi folio longiores, flores bracteati bracteis acutis calyce acuto longioribus, corolla ampla campanulata alba quandoque subinde incarnata.

Sect: II.

Decumbentes nec volubiles.

5. *C. siculus* = L. sp: 223. (*Eur*: austr: *Sardin*: in arenosis saxosisque MORIS st: sard: I. p. 32.). Ann: Flexuosus pilosiusculus, folia cordato-ovata, pedunculi 1-flori folio breviores, bracteæ calyce longiores.

✱ 6. *C. Soldanella* = L. h. Cliff: 67. = Spr: syst: I. 609. = Lobel: ic: 602. *Calystegia* R. et S. syst: IV. 184. (Litora maris *Mediterr*:, *Boreal*: et *Pont*: *Euxin*: In maritimis *Uneliæ* ALL: n. 394. *Sardin*: in arena mobili MORIS st: sard: I. p. 32.). Ann: Humilis repens glabriusculus, folia cordato-reniformia subcarnosa longissime petiolata, pedunculi incrassati subalati 1-flori, flores magni, calycis laciniæ latæ obtusiusculæ, corolla campanulata incarnata.

✱? 7. *C. tricolor* = L. sp: 225. = Spr: syst: I. 610. = Moris: hist: II. p. 17. s. 1. t. 4. f. 4. (*Eur*: austr:, *Sicil*:, *Afr*: bor: Secus torrentem *Sturla* prope *Genuam* VIV: fragm: fl: ital:). Ann: Decumbens glaber, folia spathulata mucronulata sub-ciliata, pedun-

culi folio longiores 1-flori, flores ampli, laciniæ calycinæ ovatæ obtusæ villosiusculæ, corolla campanulata sæpius colore albo luteo ac cæruleo insignita; variat tamen corolla 2- vel 1-colore. Fide cl: VIVIANI inter pedemontanas stirpes hanc recenseo, quæ ceterum undique colitur in hortis ob florum pulchritudinem.

* 8. *C. lineatus* = L. sp: 224. = Spr: syst: I. 610. = Barr: ic: 311. Ic: taur: vol. 25. t. 35. *C. lineatus* et *Gerardi* R. et S. syst: IV. 293. 294. (*Hispan:*, *Lusitan:*, Regno *Neapol: Nicæa* ALL: n. 391.). Perenn: Undique sericeus prostratus, folia lanceolato-linearia in petiolum attenuata, pedunculi 2-flori folio breviores (nec longiores uti in phrasi SPR:), flores mediocres bracteati, corolla alba externe ad plicarum angulos sericeo-villosa ceterum glaberrima.

Sect: III.

Caule erecto.

* 9. *C. Cneorum* = L. sp: 224. = Spr: syst: I. 611. = Barr: ic: 470. Ic: taur: vol. 2. t. 55. (*Eur: austr:* Circa *Uneliam* ALL: n. 392.). Frutic: Ramosissimus erectus argenteo-sericeus, folia oblonga subspathulata, flores terminales capitato-umbellati brevissime pedunculati, calyx hirsutissimus, corolla ampla campanulata alba aut rubella fere ut in præcedenti. Cl: DC. fl: fr: suppl: p. 454. putat ab ALLIONIO confusum fuisse *C. lineatum* cum *C. Cneorum*. Specim: mea de hoc sunt ex plantis cultis, nec unquam habui ab *Unelia*.

❀ 10. *C. Cantabrica* = L. sp: 225. = Spr: syst: I. 611. = Jacq: fl: austr: t. 296. Ic: taur: vol. 16. t. 45. (*Eur*: austr:, *Tauria*, *Afr*: bor: In agro *Nicæens*: abunde All: n. 393. Ex collibus *Albensib*: retulit Berterus. *Genuæ* in collibus *al Lagazzo* Bertol: am: ital: p. 131. *Sardin*: in collibus aridis saxosis Moris st: sard: I. p. 32.). Perenn: Elatus ramosus undique hirsutissimus pilis aureis, folia lineari-lanceolata sub-undulata, pedunculi longissimi sub-3-flori, flores mediocres bracteolati, calycis laciniæ elongatæ, corolla campanulata carnea plicis extus sub-villosa.

Convolvuli dubii vel novi.

11. Possideo sub nomine *IpomϾ pilosæ* stirpem in H. B. T. cultam, quæ mihi non videtur differre a *C. pentaphyllo* L. sp: 162.; ita etiam constat ex R. et S. syst: IV. p. 213. qui citat utrasque figuras *IpomϾ pentaphyllæ* et *I. pilosæ* Jacq:, de quibus tamen silet Spr: Modo hæ stirpes conjunctæ videntur sub *Batatas pentaphylla* a Choisy l. c. p. 54. Planta mea volubilis undique hirsutissima pilis setaceo-aurantiacis, folia quinata, foliola oblonga inæqualia, pedunculi folio longiores multiflori, flores mediocres albi. = 12. *C. curassavicus* = Nob: Sub *Ipomœa* R. et S. syst: IV. p. 237. ex Balbis: Omissus a Spr: Volubilis glaber, folia rotundato-cordata acuminata crassiuscula, pedunculi 1-flori folio sub-longiores circa medium 2-bracteolati, calycis laciniæ sub-tuberculatæ ovatæ, corolla mediocris sub-infundibuliformis ochro-

leuca. Valde similem *C. sibirico* dicit SCHULT:, sed ex specim: meis e BALBISIO diversus tum statura undique duplo minori, cum præsertim foliis rotundatis nec oblongis nec valde cuspidatis. = 13. *C. scaber* = Nob: *Ipomœa* R. et S. syst: IV. p. 223. ex GMEL: et CAV: Confusus a SPR: cum *C. hederaceo*, differt ex specim: meis foliis cordatis integris nec 3-lobis brevioribus erectis. = 14. *C. retusus* = Berter: in Colla h. Ripul: app: III. p. 31. not: 2. et app: IV. p. 18. t. VIII. (*Guadalup*:). Fruticosus volubilis glaberrimus, folia lanceolata integerrima apice retusa sub-carnosa, pedunculi folia sub-æquantes 1-flori, calyx bracteatus, corolla infundibuliformis ampla violacea. = 15. *C. hirsutulus* = Nob: *Ipomœa* Jacq: fil: sec: Steud: *I. scabra* H. Madr: non R. et S. Omissus a R. et S. et SPR:? Volubilis hirsutiusculus, folia cordata 3-loba lobis lateralibus extus sub - sinuatis basi rotundatis medio integro omnibus acuminatis, pedunculi folium sub-æquantes sub-3-flori, calyx magis hirtus quam ceteræ partes laciniis ovato - lanceolatis, corolla mediocris glabra albida. = 16. *C. davuricus* = Sims bot: mag: t. 2609. sec: Spr: c. p. p. 61.? (*Sibir*:). Specim: sub hoc nomine a cl: PERRET quadrat cum phrasi SPR: exceptis foliis non reapse sagittatis sed vix ac ne vix quidem basi cordatis. = 17. *C. alsinoides*. Sub hoc nomine jam cultus in H. B. T. et mihi communicatus a MOLINERIO, videtur differre ab omnibus mihi cognitis notis seqq: « *C*. caule ere-
» ctiusculo striato glabro, foliis sessilibus lineato -
» lanceolatis integerrimis tenuissime ciliatis, pedun-
» culis axillaribus solitariis circa medium 2-squamu-

» losis 1-floris folio brevioribus, calycibus ebracteatis » ovato-lanceolatis extus villosis corollam campanu- » latam (violaceam) sub-æquantibus, seminibus sca- » bris. » Nob: (Patria?). *Convolvulus alsinoides* Knip: pertinet ad *Evolvulum* et valde differt a nostra planta. Vid: Choisy l. c. p. 114. = 18. *C. Boerhaavii* = H. Landsh: Ita in scheda specim: ex hb: Biroli ubi additur: « *ex DC. descriptionem exopto.* » Species mihi videtur distincta etsi valde priori proxima; differt autem præsertim foliis brevi-petiolatis sub-cordatis ovatis, pedunculis esquamosis et caule forsan sub-volubili. = 19. *C. mucurensis* = Nob: *Ipomœa* Mart: mss: Communicatus a cl: Martio ex *Brasil*: *Mucuri*, sic definiri potest: « *C.* caule volubili scaberrimo, » foliis remotis quinato-digitatis, foliolis petiolulatis » ovato-lanceolatis sub-inæqualibus serratis mucronu- » latis scabriusculis, pedunculis axillaribus solitariis » 1-floris, laciniis calycinis ebracteatis lineari-lan- » ceolatis cuspidatis erectis pilosis corollam campa- » nulatam (ex sicco *albidam*) sub-æquantibus. » Nob: = 20. *C. chilensis* = H. P. non Pers: sec: Moris en: sem: H. B. T. 1834. *C. subhirsutus* Moris ined: c. ic: Enatus e seminib: missis a Bertero e *Chili* sub allato nomine, non quadrat cum diagnosi Pers: et Spr: syst: I. n. 592.; folia non 5-partita sed hastata elongata obtusa auriculis divaricatis sinuatis, pedunculi solitarii versus apicem 3-4-bracteolati 1-flori, calyx ovatus obtusus, corolla campanulata mediocris violacea tubo basi luteolo.

II. Porana Lin: gen: ed: Schreb: n. 286. = Spr: syst: n. 646. = Lam: ill: t. 186. (*Pent*: *monog*: L., *inc*: *sed*: Juss: gen: p. 420., inter *Convolvuleas* Choisy l. c. p. 105.).

» *Cal*: 5-sepalus sepalis demum auctis. *Cor*: cam-
» panulata semi-5-fida. *Styl*: integer aut 2-partitus
» stigmatibus capitato-2-globosis. *Caps*: 2-locularis
» calyce tumescente cincta sæpius abortu 1-sperma. »

Obs: Genus constans 5. stirpibus ex *Ind*: orient: Frutices vel herbæ caule sæpius volubile, foliis integris, floribus paniculatis vel racemosis. Possideo *P. racemosam* Jacq: fil: sec: Spr: syst: I. p. 614. Volubilis puberula, folia cordato-ovata acuminata, pedunculi axillares solitarii foliolosi apice sub-racemosi pauciflori, flores minimi albidi. Enumeratam non video a Choisy.

III. Evolvulus Lin: gen: ed: Schreb: n. 524. = Spr: syst: n. 1004. = Lam: ill: t. 216. = *Evolvuli* et *Cladostyles* sp: Kunth = *Evolvuli*, *Ipomææ*, *Convolvuli* sp: Choisy (*Pent*: *tetrag*: L., W.; *digyn*: R. et S., Spr:).

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: sub-rotata 5-fida. *Styl*: 2.
» 2-partiti stigmatibus simplicibus. *Caps*: sub-2-lo-
» cularis. »

Obs: Genus constans ex Spr: 20. circiter stirpibus exoticis fere omnibus americanis, paucis ex *Ind*: or: vel ex *Australasia*. Suffrutices vel sæpius herbæ prostratæ vel erectiusculæ, foliis alternis integris, pedunculis axillaribus 1- vel pauci-floris.

1. *E. linifolius* = L. syst: not: X. p. 923. (*Jamaica*). Ann: Villoso-canescens erectus diffusus, folia lanceolata, pedunculi filiformes sub-3-flori folio multoties longiores, flores parvi albidi. = 2. *E. nummularis* = L. sp: 391. (*Ind*: occid:). Ann: Procumbens radicans villosiusculus, folia sub-rotunda, pedunculi brevissimi 1-flori, flores minimi cærulescentes.

Species novæ.

3. *E. imbricatus* = Mart: hb: Pulcherrima stirps communicata a cl: Martio et lecta in *Brasil: Rio Belmonte*, sic definienda: « *E.* herbaceus undique au-
» reo-pilosus, caule erectiusculo sub-simplici, foliis
» sessilibus late ovatis imbricatis sub-mucronulatis,
» pedunculis brevissimis solitariis 1 - floris (corolla
» cærulea). » Nob:

4. *E. Martii* = Nob: *E*....? Mart: hb: Missus cum priore pariter e *Brasil*:, sed sine nomine specifico; novum esse suadet sequens diagnosis: « *E.* suffruti-
» cosus ramosus villosiusculus; foliis brevissime pe-
» tiolatis, inferioribus rotundato-ovatis, superioribus
» ovato-lanceolatis, omnibus obtusis intense viridibus
» subtus pallidioribus; pedunculis filiformibus folio
» longioribus sub-2-floris; laciniis calycinis acutissi-
» mis; corolla extus villosa (ex sicco lilacina). » Nob:

IV. Cressa Lin: gen: ed: Schreb: n. 439. = Spr: syst: I. n. 1007. = Lam: ill: t. 183. (*Pent*: *digyn*: L., inter *Convonvuleas* Choisy p. 113.).

» *Cal*: 5 - partitus. *Cor*: infundibuliformis 5 - fida.

» *Stam*: exserta. *Styl*: 2. simplices. *Caps*: 1-locularis
» 1-sperma ex Spr: (2-locularis 1-4-sperma Chiosy). »

Obs: Genus constans ex Spr: 4. stirpibus, inter quas una tantum europæa. Herbæ humiles sericeo-pubescentes, foliis sparsis integris, floribus axillaribus sub-spicatis 2-bracteatis.

* 1. *Cr*: *cretica* = L. am: acad: I. p. 395. = Spr: syst: I. 863. = Sibth: fl: gr: t. 256. (*Eur*: austr:, *Asia* med: et trop:, *Afr*: bor: In agro *Nicæens*: prope Hospitium *di Villafranca* All: n. 319. *Sardin*: in uliginosis maritimis *Calari* Moris st: sard: I. p. 32.). Ann: Basi lignosa hinc ramosissima diffusa sub-pubescens undique sericeo-hirsuta, folia parva sparsa approximata sessilia linearia, flores terminales capitati; variat corollis imberbibus flavescentibus, vel extus barbatis niveis (*Cr*: *indica* Retz: et Choisy l. c. p. 113.). Specim: nicæensia et ægyptiaca pertinent ad primam var:

V. Falkia Lin: gen: ed: Schreb: n. 611. = Spr: syst: n. 1009. = Andr: repos: t. 257. (*Hex*: *dig*: L., W.; *Pent*: *dig*: R. et S., Spr:; inter *Borragineis* affines Juss: gen: p. 132.; inter *Dichondreas* Choisy l. c. p. 115.).

» *Cal*: 5-dentatus. *Cor*: sub-infundibuliformis pli-
» cata limbo 10-partito. *Stam*: 5-6. inclusa. *Styl*: 2.
» simplices divaricati (styl: 4. Choisy). *Sem*: (*caryop-*
» *ses* Spr:) 4. arillata in fundo calycis. »

Obs: Genus ludens inter *Borragineas* fructu inspecto, et *Convolvulaceas*, quibus rectius conjungendum ceteris characteribus, constans unica specie sc: *F. re-*

pens L. suppl: 211. (*Convolvulus Falkia* Thb: prodr: I. p. 35. non Jacq:). Fruticulus ex *C. B. S.* humilis decumbens radicans fusco-cinereus, folia sparsa longe petiolata cordato-ovata obtusa, pedunculi solitarii foliis longiores 1-flori, flores ratione plantæ magni incarnati.

VI. Dichondra Lin: gen: ed: Schreb: n. 451. = Spr: syst: n. 1008. = Lam: ill: t. 183. = *Steriphæ* sp: Banks:, Gærtn: (*Pent*: *dig*: L.; inter *Borragineas* Juss: gen: p. 129.; inter *Dichondreas* Choisy l. c.).

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: sub-rotata 5-fida. *Styl*: 2. » basilares. *Capsulæ* 2. (*utricoli* R. Br:) 1-spermæ. »

Obs: Genus constans 3. stirpibus americanis herbaceis humilibus repentibus pubescenti-sericeis, foliis alternis reniformibus integris, pedunculis axillaribus unifloris ebracteatis; inter quas colo *D. sericeam* Sw: prodr: p. 54. Herba repentissima undique radicans ac albo-sericea, foliis longe petiolatis reniformibus apice sub-retusis, pedunculis folio brevioribus, calyce corolla paullo longiore.

VII. Cuscuta Lin: gen: ed: Schreb: n. 227. = Spr: syst: n. 1010. = Lam: ill: t. 88. (*Tetrand: dig*: L., W.; *Pent*: *dig*: R. et S., Spr:; *Convolvulis* affinis Juss: gen: p. 135.; inter *Cuscuteas* Choisy l. c. p. 115.).

» *Cal*: 4-5-fidus partitusve. *Cor*: sub-globosa per- » sistens 4-5-fida intus squamata. *Stam*: 4-5. *Styl*: 2. » liberi vel in 1. connati. *Caps*: 2-locularis loculis

» 2-spermis basi dehiscens. *Embr:* spiralis periphe-
» ricus (acotyledon?). »

Obs: Genus constans 20. circiter stirpibus ex inflorescentia et forma partium floralium ob ipsarum tenuitatem difficile distinguendis. Herbæ aphyllæ volubiles parasiticæ per orbem sparsæ, quarum 3. tantum europææ.

✻ 1. *C. europæa* = L. mat: med: p. 54. = Spr: syst: I. 865. = Oed: fl: dan: t. 199. Ic: taur: vol. 21. t. 54. *C. major* DC. fl: fr: n. 2754. Vern: *Rasca* (*Eur*:, *Asia*, *Afr*: *Pedem*: in pratis præcipue collium All: n. 308. Frequens in trifoliis et prope *Segusium* abunde *alle Blaccie* Re fl: segus: p. 17. et fl: tor: I. p. 107. In trifolio et lino parasitica et infesta Biroli fl: acon: I. p. 52. Frequens in alpibus *di Ceresole* Re app: III. p. 8. sub *C. majore*. In *Sardin*: Moris st: sard: I. p. 30.). Ann: Flores glomerati sub-5-fidi glomeribus multifloris, stamina exserta, styli a basi in arcum divergentes.

✻ 2. *C. Epithymum* = Murr: syst: veg: ed: XIII. p. 140. = Spr: syst: I. 865. = Fl: dan: t. 427. *C. minor* DC. fl: fr: n. 2755. *C. europæa* var: *β* L. sp: 180. (*Eur*: Cum priori præcipue in ericis, thymis, plantaginibus etc. *Sardin*: Moris st: sard: I. p. 30.). Differt a priori, cum qua confusa a cl: Allionio, floribus 4-fidis minoribus, glomerulis paucifloris, staminibus inclusis, stylis basi erectis apice tantum in arcum divergentibus. Cons: Re app: III. p. 8.

Obs: geographica circa *Convolvulaceas.*

Convolvulaceæ per orbem sparsæ circiter . . 440

Convolvulaceæ pedemontanæ.

Convolvulus	8
Cressa	1
Cuscuta	2
	11

Ordo CXXI.

HYDROLEÆ

(R. Br: in Tuckey cong: p. 451. = *Hydroleaceæ* H. et B. nov: gen: III. p. 125. = Bartl: ord: nat: p. 122. 189. = Choisy *descr: des Hydroléacées.* = *Convolvulorum* genera Juss:).

Char: essentialis.

» *Cal:* 5-partitus. *Cor:* tubulosa non plicata limbo
» 5-fido. *Stam:* 5. tubo corollæ inserta. *Styl:* distincti
» 2-3. (in 1. coaliti in *Romanzova*). *Caps:* 2-3-
» locularis, placentis centralibus distinctis polysper-
» mis. *Embr:* rectus. *Cotyled:* planæ. »

Obs: Ordo vix a *Convolvulaceis* distinctus characteribus allatis, constans 3. generibus ex Spr:, 4. ex Bartl:, 5. ex Choisy. Herbæ vel suffrutices fere omnes intratropicales interdum spinosi, foliis sparsis simplicibus exstipulatis, floribus axillaribus vel rarius terminalibus sæpius sub-fasciculatis corymbosis vel spicatis.

I. Hydrolea Lin: gen: ed: Schreb: n. 445. = Spr: syst: n. 1011. = Lam: ill: t. 184. = *Hydroleæ* et *Steridis* sp: L. (*Pent: dig:* L.).

» *Cor:* sub-campanulata. *Stam:* inclusa basi dila-
» tata, antheris sagittatis. *Stigmata* truncata. Cetera
» ordinis. »

Obs: Genus constans 8. stirpibus ex Spr: et Choisy, inter quas possideo *H. spinosam* W. sp: 328., Choisy l. c. p. 16., communicatam a cl: Martio e *Brasilia*. Frutex undique pilosus, foliis lanceolatis integerrimis spina axillari patentissima, flores terminales fasciculati cærulei; pedunculos axillares 5-6-floros huic stirpi tribuit cl: Choisy; an planta Martii diversa?

Obs: geographica circa *Hydroleas*.

Hydroleæ per orbem sparsæ	17
Hydroleæ europææ	0

Ordo CXXII.

HYDROPHYLLEÆ

(R. Br: prodr: p. 492. = Bartl: ord: nat: p. 195. = *Borraginearum* genera Juss:).

Char: essentialis.

» *Cal*: liber 5-fidus raro appendicibus 5. foliaceis
» adauctus, ita ut 5-partitus adpareat, persistens.
» *Cor*: campanulata vel infundibuliformis 5-fida, lo-
» bis per æstivationem imbricatis. Sæpius *squamulæ*
» (*nectaria*) longitudinaliter geminatæ in tubo corollæ
» staminibus alternæ. *Stam*: 5. *Ovar*: 2. connata. *Styl*:
» 1. 2-fidus. *Caps*: rarissime sub-baccata 1-2-locu-
» laris 2-valvis, valvulis medio septiferis. *Sem*: nu-
» merosa vel ad unamquamque valvulam bina, raro
» abortu solitaria. *Album*: magnum cartilagineum.
» *Embr*: rectus inclusus. »

Obs: Ordo *Borragineis* valde propinquus et cum iis confusus a cl: Juss: in 2. sect:, rite distinctus a R. Br: præsertim ex fructus et seminum structura ac habitu fere proprio, constans 5. generibus americanis. Herbæ succo aqueo donatæ, caule ramisque teretibus vel irregulariter angulatis, foliis alternis exstipulatis plerumque pinnatifidis, floribus racemosis ebracteatis raro solitariis.

I. Nemophila Spr: syst: n. 606. ex Bartl: = Colla h. Ripul: app: I. p. 116. t. IV.

» *Cal*: 10-partitus, laciniis 5. 1-nerviis reflexis, 5. » multi-nerviis inflexis duplo minoribus. *Cor*: cam- » panulata 5-partita, tubo externe maculato intus » nectarifero. *Filam*: intra nectaria. *Caps*: monococca » abortu? 1-2-sperma. »

Obs: Genus constans 1-2-stirpibus ex *Amer*: bor: 1. *N. Nuttallii* = Colla l. c. c. descr: *N. phacelioides* Nutt: journ: acad: Philad: II. p. 179. et Spr: syst: I. 569. Ann: Villosiuscula, folia petiolata radicalia fasciculata caulina sparsa omnia impari-pinnatisecta, segmentis mucronulatis inferioribus integris superioribus 2-3-lobis eximo pinnatifido, pedunculi axillares vel terminales folia sub-æquantes 1-flori, flores cærulei conspicui.

II. Hydrophyllum Lin: gen: ed: Schreb: n. 267. = Spr: syst: n. 605. = Lam: ill: t. 97.

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: campanulata 5-fida, laciniis » emarginatis, nectariis sub-tubulosis e lamellis co- » rollæ longitudinalibus. *Stam*: exserta. *Caps*: *Nemo-* » *philæ.* »

Obs: Genus jam constans 4-5. stirpibus, modo ad 2. a cl: Spr: redactum, ceteris ad *Nemophilam*, *Eutocam* et *Phaceliam* amandatis. Herbæ perennes ex *Amer*: bor:, foliis pinnatifidis vel angulatis, floribus fasciculatis.

1. *H. canadense* = L. sp: I. 208. Folia cordata 5-7-loba lobis ovatis incisis, pedunculi petiolo bre-

viores, fasciculi florum conferti. = 2. *H. virginicum* = L. sp: 208. Vix a priori diversum foliis plerumque pinnatisectis segmentis lanceolatis argute dentatis, pedunculis petiolo longioribus.

III. Ellisia Lin: gen: ed: Schreb: n. 268. = Spr: syst: n. 732. inter *Asperifolias* = Lam: ill: t. 97.

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: sub-campanulata 5-fida » calyce minor, laciniis intus punctis minutis notatis » (an vera *nectaria?*). *Stam*: inclusa. *Caps*: baccata » 2-locularis, loculis 2-spermis. »

Obs: Genus constans 2. stirpibus ex *Amer*: bor:, annuis glabris vel hirsutis, foliis pinnati-sectis, pedunculis oppositifoliis 1-floris vel racemosis.

1. *E. Nyctelea* = L. sp: II. 231. Hirsutiuscula, pedunculi 1-flori, corolla alba punctis purpureis.

IV. Phacelia Michx: fl: bor: am: I. p. 134. t. 16. = Spr: syst: n. 633.

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: sub-campanulata 5-fida » basi intus 5-sulcata, sulcis filamenta hinc exserta » amplectentibus. *Caps*: 1-valvis, valvulis 2-spermis. »

Obs: Genus constans 5-6. stirpibus herbaceis, foliis pinnatis vel pinnatifidis rarissime simplicibus integris, floribus spicatis vel racemosis.

1. *Ph: circinnata* = Spr: syst: I. 584. ex Jacq: Sub *Aldœa* W. en: suppl: p. 9. *Hydrophyllum magellanicum* Lam: journ: d'hist: nat: t. 19. p. 373. (*Patagonia, Chili Rancagua* ex Berter:). Perenn: Simplex hispida, folia ternata foliolis lanceolatis medio valde majori suprema simplicia, racemi spicati, spicæ 4-

5. glomerato - capitatæ pilosæ, corollæ albo - incarnatæ.

Species dubia vel nova.

2. *Ph*: *simplicifolia* = Nob: *Ph*: *clinopodioides* Berter: Merc: chil: n. XVI. p. 742.? « *Ph*: undique hir» suta, foliis simplicibus petiolatis ovatis integerri» mis, pedunculis axillaribus folio longioribus race» moso - spicatis, spicis glomerato - capitatis, corollis » violaceis. » Nob:

Obs: Missa a Bertero ex *Chili* sine nomine specifico, dubito an pertineat ad *Ph*: *clinopodioideam* enumeratam in Merc: chil: l. c. sine descr:, nam præterquamquod in scheda nomen specificum omittitur, atque hæc refert flores *rubellos*, monente Auctore, nostra autem *violaceos*, non video quam ipsa habeat affinitatem cum *Clinopodio* folia *opposita* nec *alterna* gerente. Quidquid sit de identitate nostræ plantæ cum *clinopodioidea*, nomen erat immutandum tum ob allatas rationes, cum præsertim ad indicandum præcipuum novæ stirpis characterem, ex quo a ceteris statim distinguitur.

Obs: geographica circa *Hydrophylleas*.

Hydrophylleæ omnes americanæ . . . 18

Ordo CXXIII.

BORRAGINEÆ

(Juss: gen: p. 128. excl: 4. generib: II. sect: = J. S. Hill: fam: I. p. 295. t. 47. = Lehman *Plant: asperif: nucif:* = *Asperifoliæ* L. et Spr: syst: = *Borragineæ* Bartl: ord: nat: p. 196.).

Char: essentialis.

» *Cal:* liber 5 - raro 4 - fidus persistens. *Cor:* tu-
» bulosa limbo uti calyx diviso æquali rarissime sub-
» 2-labiato, fauce sæpe glanduloso - pilosa vel squa-
» mata. *Stam:* tubo corollæ inserta ejusque lobis al-
» terna et numero æqualia. *Ovar:* 2. rarius 4. connata.
» *Styl:* 1. stigmate simplici vel 2-fido. *Fructus* nuces
» 4. distinctæ vel per paria cohærentes aut drupa 4-
» pyrena (rarius abortu 1-3-pyrena), pyrenis 1-sper-
» mis rarissime 2 - locularibus dispermis distinctis.
» *Album:* o. vel tenuissimum. *Embr:* rectus inversus
» raro arcuatus. *Cotyled:* foliaceæ. »

Obs: Ordo habitu et fructificationis organis naturalissimus rite a Bartl: in 2. tribus distinctus ratione fructus structuræ, constans 40. circiter generibus satis notis ad *Pentand: monog:* spectantibus. Herbæ vel frutices per orbem sparsi ut plurimum asperi vel setosi, foliis alternis sparsisve simplicibus exstipulatis, floribus sæpe in spicas vel racemos secundos ante anthesim circinato-revolutos dispositi.

Trib: I.

Tournefortieæ.

Fructus drupaceus, stylus interdum 2-fidus, embr: sæpe arcuatus (Bartl: p. 197.).

I. Cordia Spr: syst: n. 708. = *Cordiæ*, *Varroniæ* et *Patagonulæ* sp: L. = Lam: ill: t. 95. pro *Varronia*, 96. f. 1. pro *Cordia*, 96. f. 3. pro *Patagonula.*

» *Cal*: tubulosus 5-raro 4-dentatus. *Cor*: infundi-
» buliformis (in *Cordia*) vel rotata (in *Patagonula*)
» limbo 4-7-fido. *Styl*: dichotomus stigmatibus 4.
» *Drupa* 1-pyrena, pyrenis 2-locularibus (in *Cordia*)
» 4-locularibus (in *Varronia*). »

Obs: Numerum loculorum in pyrenis, ex quibus L. differentiam statuerat *Cordiam* inter et *Varroniam*, inconstantem, ac *Patagonulæ* fructum adhuc ignotum esse monuit cl: R. Br: prodr: I. 498. Bene igitur 3. hæc genera, quorum habitus identicus, in 1. retinenda; constat autem ex Spr: 76. stirpibus fere omnibus intratropicalibus fruticosis vel arborescentibus, rite a cl: Kunth divisis in *Sebestenas* (corymbosæ vel paniculatæ, dentes calycini acuti, faux corollæ glabra), *Cordias* (corymbosæ, dentes calycini acuti, faux corollæ pilosa), et *Varronieas* (spicatæ, dentes calycini plus minus elongati, faux corollæ pilosa). Plures nunc cultæ in calidariis europæis, inter quas nonnullæ speciosæ. Possideo vel cultas vel missas exsiccatas stirpes 15. satis determinatas, inter quas excel-

lit *C. Sebestena* = L. sp: 1073. non Forsk: (*Ind*: occid:). Arbor mediocris, folia ovata magna utrinque scabra, corymbi terminales pauciflori, flores magni fulvi sub-7-fidi. *C. Sebestena* Forsk: pertinet ad *C. Myxam* L.

Cordiæ dubiæ vel novæ.

2. *C. alnifolia* = R. et S. syst: IV. 801. *Varronia* Horn: H. R. Hann: I. p. 227. (Patria ?). Scabriuscula, folia ovato-oblonga supra scabra inferne molliter pubescentia inæqualiter serrata acuta brevi-petiolata; flores desunt in specim: ex Perret, nec vidit Horn: l. c., qui plantam habuit a Cavanill: = 3. *C. longiflora* = Nob: *Varronia?* Mart: ined: Specim: communicatum a cl: Martio e *Brasil: Rio d'Oro* sub *Varronia* sine nomine triviali, recensendum est inter *Cordias* 2. sectionis et 2. divisionis Spr: (*subcapitatæ*), sed ab omnibus videtur differre characteribus seqq: et præsertim corollæ longitudine. « *C.* » caule frutescente rimoso cinarescente ramosissimo, » ramis puberulis, foliis alternis sparsisve petiolatis » late ovatis utrinque scabris subtus albescentibus » rotundato-dentatis dentibus nonnullis mucronulatis, capitulis terminalibus pedunculatis globosis, » floribus sessilibus congestis bracteatis, calyce hispido dentibus oblongis acutis, corollæ infundibuliformis tubo elongato limbo 5-fido patente (ex » sicco albida). » Nob:

II. Ehretia Lin: gen: ed: Schreb: n. 352. excl: *E. Bourreria* = Spr: syst: I. n. 707. = Lam: ill: t. 96.

» *Cal*: 5-fidus. *Cor*: infundibuliformis, limbo 5-
» fido, fauce nuda. *Stam*: exserta. *Styl*: 2-fidus stig-
» matibus obtusis. *Drupa* 2-pyrena, pyrenis 2-locu-
» laribus dispermis. »

Obs: Genus habitu *Cordiæ*, sed præsertim styli et fructus structura satis distinctum, constans nunc ex Spr: 27. stirpibus arboreis vel fruticosis fere omnibus æquinoctialibus paucis australibus.

1. *E. tinifolia* = L. am: acad: V. p. 595. (*Ind*: occid:). Arbor mediocris undique glabra coma densa, folia magna ovata brevi-petiolata integerrima, panicula terminalis ampla ramulis sub-corymbosis, flores parvi albidi. = 2. *E. microphylla* = Lam: ill: I. p. 425. n. 1921. (*Ind*: orient:). Fruticulus erectus ramis horizontalibus, folia alterna subinde sub-verticillata parva ovato-cuneiformia brevissime petiolata coriacea lucida supra punctis albidis scaberrima inferne lævia, pedunculi axillares solitarii folio breviores sub-1-flori. Utraque culta in h. Ripul:

III. Bourreria Jacq: amer: 44. obs: 2. p. 2. t. 26. = Spr: syst: I. n. 706. = *Cordiæ* et *Ehretiæ* sp: L

» *Styl*: 2-fidus vel indivisus. *Drupa* 4-pyrena. Ce-
» tera *Ehretiæ*. »

Obs: Genus constans 3. stirpibus americanis, quarum 2. ab *Ehretia* diremptæ, altera nova ex H. et B. Colo *B. succulentam* = Jacq: l. c. *Cordia Bourreria* L. *Ehretia Bourreria* Lam: Frutex glaber cinereus

ramosus, foliis alternis brevi-petiolatis ovato-oblongis integerrimis obtusis, paniculis terminalibus corymbosis, floribus albis leviter suaveolentibus, drupa globosa aurantiaca succulenta.

IV. TOURNEFORTIA Spr: syst: I. 705. = *Tournefortiæ* et *Messerschmidiæ* sp: L. = Lam: ill: t. 95. f. 1. pro *Tournefortia*, f. 2. pro *Messerschmidia*.

» *Cal*: 5 - partitus. *Cor*: hypocrateriformis, fauce » nuda, limbo 5 - fido. *Stam*: inclusa. *Styl*: simplex. » *Drupa* 4-locularis 2-4-sperma (*drupa* 2-pyrena os- » siculis 2-spermis in *Tournefortia*; *drupa* 4-pyrena » ossiculis 1-spermis in *Messerschmidia*). »

Obs: Genus constans ex SPR: 56. stirpibus, in 2. sectiones divisum ex structura fructus modo supra indicato, sc: *Messerschmidiæ* et *Pittoniæ* (*Tournefortia* L.). Frutices, rarius arbores vel rarissime herbæ, erectæ vel volubiles, fere omnes æquinoctiales, foliis sparsis rarissime sub-ternis integris, pedunculis terminalibus rarius axillaribus sæpe polystachyiis, spicis apice revolutis, floribus plerumque secundis.

Sect: I.

Messerschmidiæ (Drupa 4-pyrena).

1. *T. fruticosa* = Spr: syst: I. 643. (*Teneriffa*). Fruticulus erectus hirtus ramosissimus, folia alterna vel sparsa petiolata ovato-lanceolata basi sub-obliqua, paniculæ terminales dichotomæ.

Sect: II.

Pittoniæ seu *Tournefortieæ veræ*
(Drupa 2-pyrena, pyrenis 2-locularibus).

2. *T. hirsutissima* = Sw: obs: p. 56. (*Amer*: calid:). Frutex pilis fuscis undique hirsutissimus, folia petiolata alterna magna ovata acuminata, panicula terminalis ampla ramis capitato-corymbosis, flores glomerati.

V. TIARIDIUM Lehm: asperif: p. 14. = Spr: syst: n. 603. = *Heliotropii* sp: L.

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: hypocrateriformis undulata » fauce coarctata 5-radiata. *Styl*: brevissimus simplex. » *Nuces* 4. 2-loculares cohærentes mitræformes basi » clausæ. »

Obs: Auctoritate cl: BARTL: ad *Tournefortieas* refero hoc et seq: genus, etsi fructus non sit reapse drupaceus, et nuces tantum cohærentes; omni modo ipsa transitum naturalem aperiunt ad veras *Nuciferas*. Constat autem stirpibus 3. ex *Indiis*, herbaceis vel fruticosis, facie *Heliotropii*.

1. *T. indicum* = Lehm: l. c. Sub *Heliotropio* L. fl: zeyl: 70. (*Ind*: orient:, *Amer*: bor:). Planta annua undique asperrima, folia magna alterna petiolata ovato-cordata crenulata, ad petioli insertionem 1 - 2. aliis foliolis stipulæformibus adaucta, spicæ sub-simplices secundæ.

VI. Heliotropium Lin: gen: ed: Schreb: n. 239. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 581. = Lam: ill: t. 91.

» *Cal*: 5 - partitus. *Cor*: hypocrateriformis fauce » pervia limbo 5-plicato. *Stam*: inclusa. *Stigma* sub- » conicum. *Nuces* 4. 1-loculares. »

Obs: Genus vix a præcedenti distinctum nucibus 1 - nec 2-locularibus, constans ex Spr: stirpibus 66. fere omnibus exoticis, 2. tantum europæis. Herbæ, suffrutices vel frutices sæpissime hispidi, foliis alternis integris raro sub - oppositis, spicis terminalibus axillaribusve secundis sæpe bracteatis, rarissime floribus solitariis.

1. *H. peruvianum* = L. sp: 187. Vern: *Vaniglia* (*Peruv*:). Fruticulus vulgatissimus undique in hortis europæis cultus ob suavem florum odorem *Vanillam* spirantium. = 2. *H. humile* = Lam: ill: p. 393. n. 1757. (Ins: *Caribæis*). Basi fruticulosum depressum humile, folia ovato - lanceolata, spicæ axillares simplices longe pedunculatæ. An *Tournefortia humilis* L.? An hæc ad *H. fruticosum* ejusdem Auctoris amandanda? Dubium solvere non audeo ex specim: meis. Cons: R. et S. syst: IV. p. 38. et 733. = 3. *H. eriocarpon* = Lehm: asperif: p. 55. n. 37. ex Delil: *H. lineatum* Delil: fl: ægypt: p. 54. et descr: p. 181. t. 16. f. 1.? (*Ægypt*:). Possideo easdem plantas ex Savi sub nomine *H. Eriocarpon*, et ex Donat: sub *H. digyno*, quæ prorsus conveniunt inter se et perfecte quadrant cum descr: et ic: Delil: ll. cc. Desideratur in magno opere Delil: nomen *H. eriocarpon*, quod

valde dubito ad verum *H. lineatum* Vahl: esse referendum excl: tamen synon: *Lithospermi heliotropioidis* Forsk:; hoc, monente ipso Delil:, pertinet ad *H. supinum* L., unde videtur male sensisse Spr: dum *H. lineato* Vahl: tribuit allatum synon: Forsk:

* 4. *H. europæum* = L. h. Ups: 33. = Spr: syst: I. 540. = Jacq: austr: III. t. 207. Ic: taur: vol. I. t. 136. Vern: *Verucanà*, *Vaniglia servaja* (*Eur*: austr:, *Afr*: bor: *Pedem*: frequens in agris All: n. 187. Re fl: segus: p. 17. et fl: tor: II. p. 111. Secus vias *di Borgomanero* Biroli fl: acon: I. p. 56. *Genuæ* ubique in fluviorum alveis Bertol: am: ital: p. 130. *Sardin:* in pascuis et arvis Moris st: sard: I. p. 32.). Ann: Villosiusculum, folia longe petiolata oblongo-ovata mollissima, spicæ laterales solitariæ terminales conjugatæ, flores albi quandoque odori.

5. *H. supinum* = Gouan: monsp: 17. c. ic: (*Eur*: austr:, *C. B. S. Sardin:* in arvis humidis Moris st: sard: I. p. 32.). Priori affine, sed humilius procumbens, folia plicata subtus lanato-tomentosa, spicæ subsolitariæ. = 6. *H. curassavicum* = L. h. Cliff: 45. (Ins: *Antillis* et *Carib:*). Ann: Erectum glaberrimum glaucescens, folia lanceolata obtusiuscula avenia, spicæ sub-geminæ.

Heliotropia dubia vel nova.

7. *H. polyanthiodorum* = Nob: « Caule herbaceo » erectiusculo simpliciusculo villoso (annuo), foliis » inferioribus oppositis superioribus alternis petiolatis

» ovatis leviter scabriusculis, spicis conjugatis mul-
» tifloris, floribus ebracteatis. »

Obs: Flores majores quam in *H. peruviano* albidissimi fauce flavi suaveolentes uti in *Polyanthe tuberosa*. Enata e seminibus missis 1831. sine nomine specifico a cl: Fischerio in *Armen*: lectis.

8. *H. tenuiflorum* = H. B. T. « Caule erecto an-
» guloso rubescenti-ramoso villosiusculo, foliis sub-
» oppositis petiolatis ovatis hirsutiusculis, spicis sub-
» geminis elongatis, floribus bracteolatis minimis. »
Nob:

Obs: Communicatum sub allato nomine ab Ign: Molinerio sine alia indicatione.

9. *H. Scorpiurus* = Mart: ined: (*Brasil*:, *Paraiba*).
» Caule herbaceo hirsutissimo erecto sub - simplici,
» foliis alternis longe petiolatis ovato-oblongis acutis
» asperis subtus pallidioribus, spicis sub - solitariis
» elongatis simplicibus, floribus ebracteatis, corollæ
» tubo calyce villoso duplo longiore. » Nob:

Obs: Stirps hæc cum seqq: communicata fuit a cl: Martio e *Brasilia* cum vel sine nomine specifico.

10. *H. riparium* = Mart: ined: (*Brasil*: *Rio Belmonte*). « Caule fruticoso erecto ramosissimo glabrius-
» culo, ramis divaricatis puberulis, foliis sparsis pe-
» tiolatis lanceolatis hirsutis, spicis longe peduncu-
» latis, pedunculo 3-chotomo, spiculis simplicibus,
» floribus sub-imbricatis ebracteatis minimis. » Nob:

11. *H. littorale* = Mart: ined: (In arenosis maritimis *Brasil*:). Deest caulis in specim:; paniculam tantum habeo ramosissimam ramulis foliolosis et spicis longissimis nudis compositam, spiculæ simplices vel

geminæ floribus bracteolatis minimis, ramuli spicis valde breviores foliis linearibus alternis parvis villosis interdum 2-3. floribus sessilibus terminatis.

12. *H. longespicatum* = Mart: ined: (*Brasil*: circa viam *Filisbertianam*). « Caule (herbaceo?) erecto » striato hirsutiusculo sub-simplici, foliis sub-oppo- » sitis sub-sessilibus ovato-oblongis leviter villosius- » culis, spicis solitariis longissimis (semipedalibus) » simplicibus, calycibus ebracteatis corollæ minimæ » tubo longioribus. » Nob:

13. *H. pusillum* = Nob: *H*....? Mart: ined: (*Brasil*:). » Caule (herbaceo) humillimo ramoso glabriusculo, » ramis strictis filiformibus villosis, foliis alternis » brevi-petiolatis linearibus aspero-villosis enerviis, » spicis terminalibus solitariis simplicissimis 4-5-flo- » ris, calycibus ebracteatis tubo corollæ minimæ lon- » gioribus. » Nob: (Plantula vix palmaris, folia 2-lin: longa, corolla ex sicco alba).

Trib: II.

Nuciferæ veræ.

Nuces 4. distinctæ vel raro per paria connatæ; stylus indivisus; embryo rectus (*Asperifolia* Bartl: p. 197.).

VII. Cerinthe Lin: gen: ed: Schreb: n. 246. = Spr: syst: n. 579. = Lam: ill: t. 93.

» *Cal:* profunde 5-partitus inæqualis. *Cor*: tubu- » losa fauce pervia nuda. *Anther*: hastatæ ad basim

» lobis spiraliter contortis inter se connexæ. *Nuces* » per paria connatæ basi perforatæ 2-loculares. »

Obs: Genus constans 5. stirpibus ex *Eur*: austr:, una ex *Asia* minori, herbaceis, foliis oblongis integris, floribus solitariis.

❀ 1. *C. major* = L. sp: 195. = Spr: syst: I. 538. = Trattin: fl: austr: I. p. 86. t. 64. Ic: taur: vol. 21. t. 52. et vol. 23. t. 80. *C. glabra* DC. ex Mill: dict: n. 2. t. 91. (*Eur*: austr: *Pedem*: in alpib: *Valdensium* circa *Roderet* ALL: n. 176. In valle *di Formazza* prope *Salecchio* unice invenit BIROLI fl: acon: I. p. 61.). Ann: Erecta glabra simplex, folia linguæformia obtusa sub-retusa basi cordata sub-amplexicaulia punctis albidis tenuissimis adspersa, corolla superne ventricosa 5-dentata pallide flava.

❀ 2. *C. minor* = L. syst: XII. p. 147. = Spr: syst: I. 538. = Jacq: fl: austr: t. 124. Ic: taur: vol. 2. t. 12. et vol. 22. t. 1. (*Eur*: austr: *Pedem*: abunde in pratis sterilibus et secus arva circa *Segusium*, in arvis *Montisferrati*, circa *Taurinum* sec: TERRANEO. Secus flumen *Duriæ* in arenosis ALL: n. 177. Ubique in *M. Cenisio* RE fl: segus: p. 18. In arvis inter *Pecetum* et *Cherium*, atque in vinea *Gastaldi* in valle *S. Martini* RE fl: tor: I. p. 118. In alpibus siccidis *di Rima Rimella* frequens BIROLI fl: acon: I. p. 61.). Ann: vel bienn: Folia integerrima glabra sæpissime maculata, corollæ 5-fidæ sub-clausæ acutæ unicolores.

❀ 3. *C. maculata* = L. sp: I. 137. = Spr: syst: I. 538. = Ico? (*Eur*: austr: *Pedem*: in pratis et pascuis subalpinis alpium *Cottiarum* frequens ALL: n. 178.). Differt a priori, cui valde affinis, caule cæspi-

ioso, herba magis glauca, corollæ limbo basi maculis 5. saturate purpureis notato.

VIII. Lithospermum Lin: gen: ed: Schreb: n. 241. excl: 1. stirpe. = Spr: syst: n. 582. = Lam: ill: t. 91.

» *Cal*: 5-partitus æqualis. *Cor*: infundibuliformis » fauce pervia, limbo semi-5-fido. *Antheræ* oblongæ » inclusæ. *Nuces* distinctæ fundo calycis adfixæ basi » imperforatæ ovatæ 1-loculares. »

Obs: Genus constaus ex Spr: stirpibus 54. per orbem sparsis præsertim in regionibus temperatis. Frutices aut herbæ plerumque strigoso-pilosæ, foliis oblongis, floribus parvis sæpius solitariis axillaribus rarius spicatis terminalibus, nucibus durissimis nitidis aut glabris lævibus vel quandoque calloso-muricatis. Cons: pro nucibus observ: cl: Hunte Jamson's Edimb: new plutos: journ: Jul: 1832. p. 24.

A. *Fruticosa.*

❋ 1. *L. fruticosum* = Mill: dict: n. 5. = Spr: syst: I. 543. = Barrel: ic: 1168. (*Eur*: austr: *Pedem*: inter *Premosello* et *Vogogna* provinc: *Novariens*: unicam invenit stirpem Biroli fl: acon: I. p. 57.). Fruticulus erectus undique strigoso-incanus ramosus ramis subtortuosis, folia sessilia alterna subinde fasciculata linearia, flores sub-sessiles in spica brevi terminali fasciculati purpurei. Specim: mea ex *Gallia* australiori, nec pedemontana.

B. *Herbacea.*

❋ 2. *L. arvense* = L. h. Cliff: 46. = Spr: syst: I. 544. = Oed: fl: dan: t. 456. Ic: taur: vol. 1. t. 140. Vern: *Rousset* (*Eur*:, *Asia*, *Afr*:, *Amer*: bor: *Pedem*: in arvis passim All: n. 185. Re fl: segus: p. 17. et fl: tor: I. p. 113. Biroli fl: acon: I. p. 57. *Sardin*: in arvis Moris st: sard: I. p. 33.). Ann: Erectum ramosum strigosum, folia lanceolato - linearia obtusiuscula avenia, flores sub - spicati et in dichotomia solitarii sub-sessiles, corolla alba rarius rubella calycem sub-æquans, nuces rugosæ.

❋ 3. *L. officinale* = L. h. Cliff: 46. = Spr: syst: I. 544. = Fl: dan: t. 1084. Ic: taur: vol. 1. t. 137. Vern: *Mej salvaj* (*Eur*: passim. *Pedem*: ad semitas locis aridis et arvis uberrime All: n. 184. Re fl: segus: p. 17. et fl: tor: I. p. 112. Ad viam *della Biandrina* secus *la Biraga* copiose Biroli fl: acon: I. p. 57. *Sardin*: ad sepes Moris st: sard: II. p. 7.). Differt a priori radice perenni, foliis acutiusculis viridioribus venosis, nucibus lævibus. Var: *β majus* foliis ovatis brevioribus occurrit in ambitu oryzarum *della Motta Visconta* sec: Biroli mss:

❋ 4. *L. apulum* = Vahl: symb: II. p. 33. = Spr: syst: I. 545. = Sibth: fl: græc: t. 158. Sub *Myosotide* L. sp: II. p. 189. (*Eur*: austr: In comit: *Nicæensi* et agro *Uneliensi* locis sterilibus et secus arva All: n. 192. sub *Myosotide*. In aridis arenosis *Sardin*: Moris st: sard: I. p. 32.). Ann: Humile erectum undique piloso-strigosum, folia alterna subinde conferta

linearia acuta, spicæ terminales 3-4. paucifloræ secundæ, flores lutei bractea lanceolata suffulti, nuces muricatæ.

* 5. *L. purpureo-cœruleum* = L. h. Cliff: 46. = Spr: syst: I. 546. = Jacq: fl: austr: t. 14. Ic: taur: vol. 1. t. 139. (*Eur*: austr: *Pedem*: passim occurrit in sylvis ceduis apricis collium uti etiam ad radices montium, in arvis *Nicæensib*: frequens All: n. 186. Re fl: segus: p. 17. In sylvis et prope *Venariam* in nemoribus inter *Collegno* et *Lucengo* secus *Duriam* Re fl: tor: I. p. 113. In nemoribus præsertim urbis *Novariæ* loco dicto *della Vesca* frequens Biroli fl: acon: I. p. 57. Ex sylvis *Albensib*: retulit Berterus). Perenn: Caulibus sterilibus radicantibus floriferis erectis, folia sessilia alterna lanceolata scabriuscula, spicæ terminales paucifloræ, corolla ampla pro genere primum azurea demum purpurea stellula alba, nuces læviusculæ.

*? 6. *L. graminifolium* = Viv: fl: it: fragm: p. 3. t. 5. = Spr: syst: I. 546. *Pulmonaria suffruticosa* L. sp: I. 1667. = Bocc: sic: p. 77. t. 41. (*Ital*:, alpib: *Apuan*:, *Sicil*:, ins: *Caprearum*, *Liguria*). Basi suffrutescens, caulis erectus simplex albido-villosus apice cymosus, folia inferiora fasciculata caulina alterna et sparsa omnia linearia graminea scabriuscula sub-revoluta, cymæ 4-5-floræ nutantes, flores elongati, corolla læte cærulea, nuces læves. An stirps hæc speciosissima jungenda sit Floræ Pedemontanæ, valde dubito; illam communicavit cl: Balbis: ex *Liguria* sine præcisiori loci indicatione; in *Liguria* quoque crescere tradit Spr: l. c., non item Bertol: am: ital: p.

340., ni pro *Liguria Apuanos* montes late sumas. Huc forsan referendum *L. rosmarinifolium* Ten: monente Spr: Cons: tamen quæ dixit cl: Auctor in syll: fl: neap: p. 80. 81.

7. *L. Arnebia* = R. et S. syst: IV. 45. *L. tinctorium* Vahl: non L. *Arnebia tinctoria* Forsk: (*Ægypt:*). Radix ann: crassa fusiformis tinctoria, caules plures humiles decumbentes ut tota planta piloso - hispidi, folia lanceolato-linearia approximata fere fasciculata, spica dense imbricata pauciflora, corolla longiuscula cærulea, nuces læves. *L. tinctorium* L. ad aliam plantam pertinere monet cl: Delil: descr: de l'Egypt: n. 203. 204. Hæc crescit quoque in *Sardin:* arenosis maritimis monente Moris st: sard: I. p. 33. = 8. *L. minimum* = Moris st: sard: II. p. 7. (*Sardin:* in pascuis maritimis aridis *S. Elia*). Ann: Pumilum (palmare) erectum ramosum hispidulum, folia linearia sub-spathulata, flores parvi 3-4. ad apicem ramorum sub-capitati, corolla cærulea extus hirsutiuscula calyce duplo longior, nuces muricatæ. Species optima.

Species an nova?

9. *L. chilense* = Nob: *L. apulum?* Berter: merc: chil: n. XV. p. 690. (*Chili Rancagua*). « Caule herbaceo erecto piloso-hispidissimo ramoso, ramis divaricatis, foliis alternis lineari-lanceolatis utrinque acutis superioribus sub-amplexicaulibus punctuato-ciliatis asperis aveniis, spicis terminalibus sub-globosis, calyce ebracteato corollæ luteæ tubum subæquante, nucibus muricato-rugosis. » Nob: Habitu

magis accedit ad *L. officinale* quam ad *L. apulum*, sed ab illo differt herba undique magis hispida pilis longioribus foliis aveniis, ac præsertim nucibus muricato-rugosis nec lucidis glaberrimis; medium potius tenere videtur inter *officinale* et *arvense*, cujus forsan var:

IX. Pulmonaria Lin: gen: ed: Schreb: n. 244. excl: variis stirpib: = Spr: syst: n. 583. = Lam: ill: t. 93.

» *Cal*: prismatico-pentagonus 5-dentatus. *Cor*: in-
» fundibuliformis fauce pervia pilosa, limbo obtuse
» sub-5-lobo. *Nuces* turbinatæ. Cetera *Lithospermi*. »

Obs: Genus constans ex Spr: 5. stirpibus tantum, ceteris ad *Lithospermum* amandatis vel tamquam varr: consideratis. Herbæ europææ facie *Lithospermi*.

❋ 1. *P. angustifolia* = L. h. Cliff: 44. = Spr: syst: I. 547. = Oed: fl: dan: t. 483. Vern: *Permonaria* (*Eur*: fere tota. *Pedem*: minime rara locis apricis sylvarum editiorum collium *Taurinens*: et montium subalpinorum All: n. 175. Re fl: segus: p. 18. Frequentissima in sylvis *della Mandria* et in apricis collibus *della Maddalena* Re fl: tor: I. p. 116. In sylvis *della Vesca* urbis *Novariæ* Biroli fl: acon: I. p. 59.). Perenn: Piloso-hispida, folia lanceolata inferiora in petiolum attenuata superiora sub-amplexicaulia angustiora, spicæ terminales globosæ, calyx longitudine corollæ violaceæ, faux fasciculato-pilosa.

❋ 2. *P. officinalis* = L. h. Cliff: 44. = Spr: syst: I. 548. = Oed: fl: dan: t. 482. Ic: taur: vol. 2. t. 4. Vern: uti prior (*Eur*: fere tota. *Pedem*: nihil vulgatius in sylvis collinis et montanis All: n. 174. Re

fl: segus: p. 18. et fl: tor: I. p. 116. Biroli fl: acon: I. p. 60.). Distinguitur a priori foliis radicalibus longe petiolatis cordato-ovatis superioribus ovato-oblongis sessilibus nec amplexicaulibus, spicis laxis. Folia serius albo-maculata.

❉ 3. *P. mollis* = R. et S. syst: IV. p. 53. ex Wulff: = Spr: syst: I. 547. *P. officinalis* var: γ L. = Knovr: des Rom: II. t. β II. sec: R. et S. l. c. (*Transylv*:, *Pyren: Pedem*: ex sylvis *Albensib*: retulit Berterus). Magis accedit foliorum forma ad *P. officinalem*, quam ad *angustifoliam*, quibus valde affinis, et medium inter ipsas tenens, sed differt ab utraque herba molliter tomentosa nec piloso-hispida, foliis subtus albidiusculis, corolla longiore et latiore. Forsan ante Berterum a Botanicis nostris confusa cum *P. officinali*; folia in specim: meis sunt immaculata, unde videtur reapse pertinere ad *P. non maculato folio* Clus: hist: II. p. 168. cujus synon: laudant R. et S. l. c.

X. Onosma Lin: gen: ed: Schreb: n. 247. = Spr: syst: n. 586. = Lam: ill: t. 93.

» *Cal*: 5-partitus laciniis erectis. *Cor*: tubuloso-
» campanulata fauce pervia nuda limbo 5-dentato.
» *Anther*: sagittatæ basi lobis nexæ. *Nuces* lapideæ
» ovatæ. Cetera *Lithospermi*. »

Obs: Genus constans 24. stirpibus circiter, quarum major pars asiaticæ, nonnullæ europææ, paucæ ex *Afr*: vel *Amer*: Frutices vel herbæ setoso-pilosæ pilis stellatis vel solitariis, foliis oblongis plus minus angustis integris, inflorescentia varia.

❉ 1. *O. echioides* = L. h. Cliff: 48. = Spr: syst:

I. 549. = Jacq: fl: austr: t. 295. Ic: taur: vol. 18. t. 6. (*Eur*: austr: *Pedem*: frequentissima ad rupes arcis *la Brunetta* et circa *Segusium*, passim in comit: *Nicæensi*, provincia *Astensi* et in valle *Augustæ Prætoriæ*, neque desideratur in vallibus calidioribus Alpium locis apricis et saxosis All: n. 179. Vulgaris ad rupes sole percussas *di Mompantero*, *Foresto*, *Bossoleno*, *Chianoc*, et *Borgone* Re fl: segus: p. 18. In rupibus collium *di Fara*, *Romagnano*, et *Maggiora* locis apricis Biroli fl: acon: I. p. 61.). Perenn: Erecta tuberculata hispida setis solitariis ramosissima, folia lanceolata sessilia stricta, panicula terminalis ramulis sub-spicatis, flores penduli. Polymorpha statura, foliis, florum magnitudine et colore sæpius tamen flavescente.

XI. Echium Lin: gen: ed: Schreb: n. 267. = Spr: syst: n. 587. = Lam: ill: t. 91.

» *Cor*: infundibuliformis vel campanulata limbo 5-
» lobo inæquali. *Stam*: inclusa vel exserta. *Nuces*
» turbinatæ tuberculatæ. Cetera *Lithospermi*. »

Obs: Genus constans 60. stirpibus et ultra, quarum pars maxima ex *Afr*:, præsertim *C. B. S.* et ins: *Canariis*, nonnullæ europææ, paucæ americanæ vel asiaticæ. Frutices vel herbæ hispidæ, foliis oblongis integris, floribus plerumque spicatis, extricatu difficiles ob maximam inter se se similitudinem.

A. *Fruticosa*.

1. *E. candicans* = L. suppl: 131. (*Madera*). Frutex tomentoso-albicans ramosissimus, folia lanceolata

sparsa rigida, spica conica longissima composita spiculis brevibus capitatis, flores mediocres purpureo-cærulei. In hortis cultum ad ornamentum. = 2. *E. lineatum* = Jacq: eclog: p. 68. n. et t. 42. (Ins: *Canariis*). Differt a priori foliis alternis remotiusculis duplo majoribus ovato-lanceolatis valde venosis, spica minori, spiculis longius pedunculatis 2-fidis, floribus minoribus.

B. *Herbacea.*

* 3. *E. italicum* = L. sp: I. 139. = Spr: syst: I. 553. = Engl: bot: t. 2081. Jacq: fl: austr: V. app: t. 16. sub *E. altissimo?* (*Eur*: austr: *Pedem*: in arenoso littore *Duriæ* circa *Taurinum* non infrequens, secus viam prope *Chalmontium*, locis siccis *Nicæensib*: vulgare, secus flumen *Bormida* in *Monteferrato*, et secus flumen *Scriviæ* in agro *Dertonensi* All: n. 180. In pascuis *di Sommo*, *Zinasco* versus *Padum* unice Biroli fl: acon: I. p. 62. *Sardin*: ad margines agrorum Moris st: sard: I. p. 32.). Bienn: Altissimum hispidissimum, folia ligulata tuberculato-hispida, panicula amplissima foliosa ramis spicatis hispido-flavidis uti paniculæ folia et calyces, spiculæ sub-sessiles 2-fidæ densifloræ, flores parvi albidi sub-regulares staminibus longissime exsertis. An *E. altissimum* Jacq: sit verum *italicum* L. ponit in dubio Schult: syst: IV. p. 20. Nunc inter cives agri *Taurinens*: enumerari non posse monet cl: Biroli in mss:; ego reapse numquam vidi neque in locis a præstantissimo All: indicatis. Circa *Pollentium* in *Albensi* prov: invenit

Berterus var: conspicuam spiculis longe pedunculatis conjugatis (*E. pollentinum* Berter: ined:).

* 4. *E. pyrenaicum* = Desf: atl: I. p. 164. = Spr: syst: I. 553. = Lapeyr: fl: pyren: ined: t. 66. sec: R. et S. syst: IV. p. 22. (*Gallia* austr:, *Ital*: merid:, *Afr*: bor: Ex agro *Nicæensi* retulit Re). Priori nimis affine, sed differt caule humiliore rubro punctato, ramis pyramidatis, spiculis longioribus, floribus remotioribus, staminibus paullo brevioribus; hæc omnia e seminibus constantia manere monet W. en: p. 187.

5. *E. pustulatum* = Sibth: prodr: fl: græc: I. p. 125. n. 435. et fl: gr: t. 180. (*Sicil*: *Sardin*: in pascuis maritimis *Schaffa di Cagliari* Moris st: sard: II. p. 7.). Bienn: Simpliciusculum hirtum, folia lineari-lanceolata repanda setis pungentibus verrucisque albidis obsita, panicula elongata ramis strictis, flores sub-secundi purpurei bracteati staminibus corolla vix longioribus.

* 6. *E. vulgare* = L. h. Cliff: 43. = Spr: syst: I. 553. = Fl: dan: t. 445. Ic: taur: vol. 2. t. 6. (*Eur*: passim, *Amer*: bor: *Pedem*: ad semitas locis aridis et saxosis ubique All: n. 181. Re fl: segus: p. 18. et fl: tor: I. p. 119., ubi tres eximias memorat varr: Biroli fl: acon: I. p. 62. *Sardin*: ad oras maritimas ins: *Tavolara* pro var: β Moris st: sard: III. p. 9.). Bienn: Simpliciusculum tuberculato-hispidum, folia lanceolata, spicæ pyramidatæ foliosæ spiculis pedunculatis sub-capitatis, flores cærulei staminibus corolla fere duplo longioribus. Variat fl: albo et rubro; variat etiam caule ramosiore sub-decumbente hispidiore sta-

minibus longius exsertis, ad quam var: referenda stirps sardoa. Huc pertinere videtur *E. tuberculatum* Link quod crescit in *Lusitania*, *Hispania* et *Gallia* merid: sec: R. et S. syst: IV. p. 24., nec non in *Ægypto* monente cl: Savi in schedis specim: humaniter communicati; differt enim tantum tuberculis, quibus insident pili, majoribus, floribus angustioribus (*albis* in specim:), staminibus corollam vix superantibus.

❀ 7. *E. violaceum* = L. mant: 42. = Spr: syst: I. 553. = Ic:? (*Eur*: austr: *Pedem*: ad viam *di Vercelli* et circa urbem *Novariæ* cum *E. vulgari* invenitur, sed minus frequens Biroli fl: acon: I. p. 63. *Nicæa* ex DC. sub *E. australi*). Ab *E. vulgari* vix differt caule magis diffuso, foliis latioribus, corollis violaceis, staminibus glabris corollam non superantibus. *E. australe* DC. fl: fr: n. 2710. reapse distinguitur tantum a *violaceo* staminibus apice villosis; facies eadem. Huc quoque pertinet *E. creticum* Lam: non L. sec: Spr: l. c.

❀ 8. *E. plantagineum* = L. mant: 202. = Spr: syst: I. 554. = Barrel: ic: 145. t. 1026. (Litore maris *Mediterr*: Ubique ad vias et loca sicca *Nicææ* All: n. 183. *Novariæ* inter portam *Mortaræ* et *Mediolani* unicam collegit stirpem Birol: fl: acon: II. p. 62. *Sardin*: ad vias vulgatissimum Moris st: sard: I. p. 32.). Ann: Albo-villosum molli-hispidulum; statim distinguitur foliis radicalibus ovato-oblongis in rosam dispositis lineatis ut in *Plantagine*, panicula ramosa, ramis divaricatis, floribus secus ramos secundis corollæ violaceæ mediocris staminibus sub-æquantibus. Stirps

sæpe confusa cum *E. lusitanico*, *cretico* etc. Cons: R. et S. syst: IV. 18. et 19.

9. *E. elegans* = Lehm: asperif: II. p. 459. n. 339. (*Neap:*, *Hispan:?* sec: Spr: syst: I. 554. *Sardin*: in pascuis montis *Linas* Moris st: sard: I. p. 32.). Specim: e *Sardin*: communicatum a cl: Morisio perfecte quadrat cum descr: Lehm: Planta pilis brevissimis incumbentibus puberula, præterea pilis rectis longioribus rigidiusculis instructa, folia lineari-lanceolata obtusa, spiculæ laterales sub-sessiles, corollæ elongatissimæ calyce 2-3-longiores tubo albido limbo puniceo, staminibus vix exsertis. Huc pertinet sec: R. et S. syst: IV. 734., *E. hispidum* Sibth:, quod ipse *E. Sibtorpi* appellaverat p. 26. ne confunderetur cum antiquiori *E. hispido* Thb: Cultum in h. Ripul: e seminibus missis a cl: Schult:, reapse non differt ab *E. eleganti*, nisi statura undique majori floribusque intentius purpureis, quod forsan culturæ tribuendum.

❋ 10. *E. parviflorum* = Roth: carol: bot: II. p. 14. = Spr: syst: I. 554. = *E. calycinum* Viv: fl: ital: fragm: I. p. 2. t. 4. excl: syn: Cupani. *E. lusitanicum* All: n. 182. excl: omnibus synon: (Litore maris *Mediterr*: In agro *Nicæens*: All: l. c. *Liguria* prope *Genuam* sec: mare *S. Nazaro* Viv: l. c. *Sardin*: ad vias vulgatissimum Moris st: sard: I. p. 32.). Planta admodum dubia, cui auctorantibus cl: Lehm: asperif: II. p. 468. n. 348., et W. l. c. conjungenda sunt *E. lusitanicum* All:, *calycinum* Viv:, *prostratum* Tenor:, *micranthum* Schouzb:, et *ovatum* Poir: Herba annua prostrata valde strigosa, foliis ovato-lanceolatis

obtusis, calycibus maximis, corolla azurea calycem vix superante, staminibus corolla brevioribus.

XII. Lycopsis Lin: gen: ed: Schreb: n. 250. excl: variis stirpib: = Spr: syst: n. 589. = *Anchusæ*, *Onosmæ*, *Noneæ*, et *Lithospermi* spec: quorund: = Gærtn: fr: I. t. 67. f. 2. pro *L. pulla*.

» *Cal*: 5-fidus in fructu inflatus nutans. *Cor:* in-
» fundibuliformis fauce barbata. *Nuces* turbinatæ basi
» perforatæ. Cetera *Lithospermi* »

Obs: Genus nunc constans 15. stirpibus circiter, distinctum præsertim magnitudine calycis fructiferi, ac fauce corollæ utique pervia sed barbata nec fornicibus instructa nec omnino clausa ut in *Anchusa* ad quam nonnullas *Lycopsidis* species referebat L. Herbæ plerumque europææ, paucæ asiaticæ vel africanæ, una tantum ex *Amer*: bor:, inter se valde similes habitu et foliorum forma, determinandæ præcipue a mensura tubi corollæ cum ejus limbo et cum calyce comparata.

1. *L. pulla* = L. syst: V. 444. Sub *Anchusa* M. B. fl: taur: I. p. 125. n. 319. Sub *Nonea* DC. (*Eur*: austr:, *Caucaso*, *Tartar*:). Perenn: Erecta hispidissima, folia lanceolata acuta denticulata, corollæ punctato-purpureæ limbus tubum sub-æquans et calyce longior. = 2. *L. lutea* = Lam: dict: III. p. 629. Sub *Anchusa* M. B. fl: taur: I. p. 126. Sub *Nonea* DC. (*Eur*: austr: *Sardin*: in pascuis arenosis maritimis *S. Antioco* Moris st: sard: II. p. 7.). Ann: Adscendens ramosa, folia prioris sed floralia sub-cordata oblique

acuminata, flores prioris sed colore ab ochroleuco ad sulphureum, et magnitudine variantes.

XIII. Myosotis Lin: gen: ed: Schreb: n. 240. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 593. = Lam: ill: t. 91.

» *Cal*: 5 - divisus. *Cor:* hypocrateriformis, fauce » squamis clausa. *Stam*: inclusa. *Nuces* basi perforatæ » læves vel rugulosæ. Cetera *Lithospermi*. »

Obs: Stirpes 35. circiter per orbem sparsæ, quarum major pars europææ. Herbæ habitu præcedentium, floribus sæpius spicato - secundis terminalibus parvulis.

1. *M. sylvatica* = Ehr: hb: 31. sec: R. et S. syst: IV. p. 102. et Spr: (*Eur*: in apricis montanis sylvaticis). Perenn: Erecta gracilis hispida, folia lanceolata obtusiuscula, racemi elongati axillares et terminales, pedicelli longiusculi, calyces pilosi patuli 5 - partiti laciniis inæqualibus acutis, nuces læves uti in seqq: usque ad n. 5. Possideo specim: a cl: Fisch: *Dahuria* lecta sub nomine in scheda *M. scorpioidi affinis*, quæ differunt tantum caule glabriusculo, foliis vix ciliatis, pedicellis brevioribus. An species media inter *M. sylvaticam* et seq: ?

❋ 2. *M. palustris* = With: 225. = Spr: syst: I. 557. = Engl: bot: t. 1973. Ic: taur: vol. 1. t. 142. 143. *M. scorpioides* δ *palustris* L. sp: 188. Vern: *Carestìa* (*Eur*:, *Asia* et *Amer*: bor: humidis. *Pedem:* ad rivulos et in humectis abunde All: n. 188. Re fl: segus: p. 17. et fl: tor: I. p. 111. Inter varr: *M. scorpioideæ* Biroli fl: acon: I. p. 56. sub *M. scor-*

pioidea. In *Sardin*: humidis Moris st: sard: I. p. 33.). Distinguitur a priori præsertim caule radicante, calyce glabriusculo 5-dentato tantum, dentibus subæqualibus obtusiusculis. Variat foliis et calyce plus minus glabris vel scabriusculis; *M. scorpioides* et *palustris* a cl: Re enumeratæ in fl: segus: l. c. non sunt nisi ejusdem stirpis varr:

❀ 3. *M. arvensis* = Sibth: fl: oxon: p. 68. = Spr: syst: I. 557. *M. scorpioides* α *arvensis* L. sp: 188. = Fl: dan: t. 583. Ic: taur: vol. 1. t. 142. Vern: *Boca d' fea* (Per orbem sparsa. *Pedem*: abunde in agris All: n. 190. Re fl: segus: p. 17. et fl: tor: I. p. 117. Biroli fl: acon: I. p. 56. In *Sardin*: arvis et sylvis Moris st: sard: I. p. 33.). Ann: Uncinato-hirsuta ramosissima, folia oblonga obtusa parva, racemi elongati spiciformes sub-simplices, calyx sub-sessilis 5-fidus, tubus corollæ calyce brevior, limbus patulus laciniis integris vel sub-emarginatis; variat etiam statura et hirsutie. Huc referenda *M. stricta* L., quam cl: Re distincte enumerat inter plantas pedemontanas et vulgarem dicit in arvis *di Druent* (Re fl: tor: I. p. 112. et app: II. p. 193.).

❀ 4. *M. nana* = Vill: delph: II. p. 459. t. 13. = Spr: syst: I. 559. = Hacq: fl: alp: carn: p. 12. t. 2. f. 6. sub *M. terglovensi*. Ic: taur: vol. 13. t. 90. f. 1. (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: abunde in *M. Cenisio*, in alpib: *Graiis* locis editioribus et nivosis All: n. 189. Re fl: segus: p. 17. Alpib: præsertim siccidis frequens Biroli fl: acon: I. p. 57. Ex editioribus montis *Combois* vallis *Augustanæ* retulit Piottaz). Perenn: Vix pollicaris simplicissima sub-lanata, folia parva

ovato-lanceolata crassiuscula confertissima, flores 2-3. ad apicem caulis amæne cærulei fragrantes, nuces margine denticulatæ.

Myosotides novæ vel dubiæ.

5. *M. alba* = Nob: *M.*...? Berter: ined: (*Chili Rancagua*). « Caule simplicissimo erecto villoso; fo-
» liis lanceolatis hirsutis integerrimis, radicalibus in
» rosulam congestis, caulinis alternis gradatim mi-
» noribus; racemo terminali 3-partito ebracteato;
» calycibus 5-partitis sub-sessilibus flavescenti-vil-
» losissimis; corollæ albæ tubo calycem æquante,
» limbo patente lobis rotundatis integerrimis. » Colla pl: rar: chil: fasc: III. t. XLI. f. 1. ined: Missa a Bertero sine nomine specifico cum seqq:; nuces immaturas determinare non potui.

6. *M. linearis* = Nob: *M.*..? Berter: ined: (Cum priori). « Caule simplicissimo erecto villosiusculo;
» foliis alternis linearibus obtusis integerrimis vil-
» losis; panicula terminali ebracteata, ramis spicatis
» apice incurvis; calycibus 5-fidis sessilibus sub-
» secundis flavescenti-villosissimis; corollæ flavæ tubo
» calycem æquante, limbo patente lobis rotundatis
» integerrimis. » Colla l. c. t. XLI. f. 2. Differt a priori, præter characteres allatos, statura undique minori.

7. *M. procumbens* = Nob: *M.*...? Berter: ined: (*Chili* prope *Corcolen*). « Caulibus cæspitosis pro-
» cumbentibus filiformibus villosiusculis; foliis sparsis
» alternisve lineari-lanceolatis obtusissimis integer-

» rimis ciliatis; spicis sub-simplicibus elongatis; ca-
» lycibus 5-partitis sessilibus secundis, laciniis vil-
» losis apice flavo-maculatis; corollæ flavescentis tubo
» calyce breviore, limbo sub-clauso. » Colla l. c.
s. ic: Accedit ad *M. arvensem*, sed caulibus prostratis, villis ciliisve mollissimis, corollis flavescentibus subulatis abunde distincta.

XIV. Borrago Lin: gen: ed: Schreb: n. 248. exclusis 3. stirpib: = Spr: syst: n. 595. = Lam: ill: t. 94.

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: rotata, fauce fornicibus 5.
» emarginatis clausa. *Filam*: subulata conniventia,
» antheris oblongis latere adfixis. *Nuces* turbinatæ
» rugosæ basi imperforatæ. »

Obs: Genus nunc constans ex Spr: stirpibus 7. aliis ad *Trichodesma* amandatis. Herbæ asiaticæ vel europææ vel ex *Afr*: bor:, habitu proprio, præcipue ex forma laciniarum corollæ dignoscendæ.

* 1. *B. officinalis* = L. h. Ups: 34. = Spr: syst: I. 559. = Blachw: t. 36. Ic: taur: vol. 2. t. 5. Vern: *Bouras* (*Asia* min: Ad vias et semitas quandoque occurrit in agro *Pedemont:* et provinc: *Astensis* locis quæ remota ab hortis sunt ita ut indigena videatur All: n. 167. Circa *il Parco* Re fl: tor: I. p. 118. Circa *Novariam* præsertim ad olitoria ubique Biroli fl: acon: I. p. 61. *Sardin*: ad sepes Moris st: sard: I. p. 32.). Ann: Venit olim ex *Asia* min:, nunc in *Eur*: cultis indigena evasit. Aspera, foliis alternis ovatis, floribus sub corymbosis, laciniis corollæ ovatis acutis planis cæruleis raro carneis vel albidis.

2. *B. laxiflora* = Hornm: H. R. Haun: I. p. 181.

Sub *Anchusa* DC. (*Corsica. Sardin*: in irriguis montanis frequens Moris st: sard: I. p. 32.). Foliis sessilibus oblongis, pedunculis elongatis laxifloris nutantibus, corolla parva laciniis ovatis acutis satis distincta; planta gracilis.

XV. Anchusa Lin: gen: ed: Schreb: n. 242. exclusis 3. stirpib: = Spr: syst: n. 596. = Lam: ill: t. 92. = *Lycopsidis*, *Noneæ*, *Myosotidis*, *Buglossii*, et *Asperuginis* spec: Auctor:

» *Cal*: 5 - partitus in fructu erectus vel 5 - fidus » campanulatus nutans. *Cor*: infundibuliformis, fauce » fornicibus erectis obtusis clausa. *Nuces* basi perfo- » ratæ. Cetera fere *Borraginis*. »

Obs: Genus ex Auctoribus valde obscurum, a cl: Lehm: satis determinatum, sed nonnullæ species adhuc dubiæ, nunc constans ex Spr: 35. stirpibus circiter per orbem sparsis herbaceis.

A. *Calyces 5-partiti erecti.*

✻ 1. *A. arvensis* = M. B. fl: taur: I. p. 123. t. 314. = Spr: syst: I. 560. Sub *Lycopside* L. fl: lapp: 77. = Oed: fl: dan: t. 435. Ic: taur: vol. 1. t. 548. Vern: *Bouras dij gerb* uti aliæ species indigenæ et præsertim *A. officinalis* (*Eur*:, *Amer*: bor: *Pedem*: non infrequens ad vias et secus arva collium calidiorum, copiose inter *Pinerolo* et *la Perosa*, abunde locis siccis agri *Nicæens*: All: n. 169. In vineis circa *Segusium* et in arvis *Condoviarum* Re fl: segus: p. 18. In pascuis aridis prope *Caselle* Re fl: tor: I. p.

119. Ad vias collium et ad viam *Mediolani* prope *Ticinum* Biroli fl: acon: I. p. 62. omnes sub *Lycopside*. *Sardin*: in arena mobili maris *Oristano* Moris st: sard: I. p. 32. sub *Anchusa*). Ann: Erecta ramosa hispida, folia lanceolata amplexicaulia undulato-denticulata, flores racemosi, tubus corollæ incurvus unde ad *Lycopsidem* a nonnullis relata, limbus inæqualis pallide azureus.

✻ 2. *A. Barrelieri* = DC. fl: fr: n. 2731. = Spr: syst: I. 560. = Barrel: ic: 333. (*Eur*: austr: *Pedem*: secus viam inter *Roccavion* et *Robillant*, et in valle *Sturæ* prope *Druent* All: n. 164. sub *Buglosso* c. descr:; frequens etiam est secus arva ad vias et secus muros in vallibus *di Vaudier*, *Limone* et *Entraque* All: auct: p. 4. In collibus *di Vergnano* rara Biroli fl: acon: I. p. 58.). Differt a priori radice perenni, caule sub-simplici, foliis sub-integris angustioribus, racemis paniculatis, tubo corollæ recto calyce breviore limbo æquali. Venit in hortis nomine *Myosotidis obtusæ*.

✻ 3. *A. paniculata* = Ait: h. Kew: I. p. 177. = Spr: syst: I. 560. = Sibth: fl: gr: t. 163. *A. italica* Retz: obs: fasc: I. p. 12. (*Eur*: austr:, *Afr*: bor:; *Sibir*: In agro *Nicæens*: prope *Villafranca* Balb: misc: alt: p. 9. In collibus agri *Novariens*: *di Grinasca*, *Ara* etc. Biroli fl: acon: I. p. 58. sub *A. italica*. *Sardin*: in arvis Moris st: sard: I. p. 32. Prope montem *Capucinorum* ac *Mongrano*, speciatim in vinea *Anselmetti*, secus viam *di Chieri* eundo *alle Tavernette*, in arvis prope *la Saffarona* atque in iis dictis *della Regina*, *la Cavaliera* et *la Bergera*, intra *Ve-*

nariam et *Duriam* Re fl: tor: I. p. 114.). Differt a præcedentibus, quibus valde affinis, radice bienni, racemis paniculato-divaricatis, calycibus subulatis tubo corollæ sub-æqualis longioribus, fornicibus penicilliformibus.

* 4. *A. sempervirens* = L. sp: 192. = Spr: syst: I. 560. = Moris: hist: III. p. 437. s. 11. t. 26. f. 2. Ic: taur: vol. 27. t. 95. sub *Buglosso* (*Eur*: austr:, *Anglia*. *Pedem*: in arvis macilentis et ad eorum margines in comit: *Astensi* et *Monteferrato*, etiam in vineis *Taurinensib*: adinvenitur All: n. 166. sub *Buglosso*). Planta dubia pro *Pedem*: quæ nunc in agro *Taurin*: frustra quæritur, et facile confunditur cum *A. Barrelieri*, a qua tamen differt foliis late ovatis, racemis sub-capitatis. Cl: Balbisius dubitavit an *A. sempervirens* All: ad *italicam* (n. 3.) potius pertineret, uti liquet ex schedis specim: ejus hb:; attamen plantæ meæ magis ad *A. Barrelieri* accedunt.

* 5. *A. variegata* = Lehm: asperif: p. 223. n. 167. = Spr: syst: I. 561. = Sibth: fl: gr: t. 198. sub *Lycopside* ex L. (*Ital*:, *Græcia*. In agro *Nicæens*: All: n. 168. sub *Lycopside*). Ann: Decumbens hispida, folia oblonga dentato-spinulosa verrucosa, racemi simplices, flores cærulei striis albis variegatis.

*? 6. *A. tinctoria* = L. mat: med: p. 55. = Spr: syst: I. 561. = Sibth: fl: gr: t. 166. (*Pelopon*:, *Cypro*. *Pedem*: in aridis siccis et arenosis All: n. 165. sub *Buglosso*. Ad viam *Mediolani* versus *Ticinum* Biroli fl: acon: I. p. 58.). Planta L. admodum dubia sec: R. et S. syst: IV. p. 95. Post cl: All: numquam in *Pedem*: inventa a posterioribus Botanicis, si ex-

cipias Birol: l. c., qui tamen in mss: addit « unicum » specim: habuisse proveniens a *Mediolano* lectum » versus *Ticinum* dum Auctor Floram Aconiensem » scribebat, ubi postea sæpe hanc speciem ipse per» quisivit, sed frustra in ditione pedemontana. » Cl: W. sp: I. 758. asserit *Monspelii* incolam esse, at cl: DC. in fl: gall: ipsam non enumerat. Specim: meum ex *Græcia* est undique albo - villosum nec scabrum, caulem habet semi - pedalem versus apicem dichotomum, folia sunt ovato - oblonga sub - amplexicaulia, spica foliosa apice sub-capitata, tubus corollæ cærulеæ calycem acutiusculum parum excedit.

B. *Calyces 5-fidi nutantes.*

* 7. *A. officinalis* = L. h. Cliff: 46. = Spr: syst: I. 561. = Fl: dan: t. 572. (*Eur*: passim. *Pedem*: frequens circa *Venariam* et inter hunc pagum et *Taurinum* ad fossas secus viam Re fl: tor: I. p. 113. In provinc: *Novar*: secus *Padum* non rara Biroli fl: acon: I. p. 58. et secus *Ticinum* Biroli mss: In comit: *Nicæens*: ad vias Bellard: app: 222.). Perenn: Elata strigosa, folia lanceolata, panicula ramosa ramis spicatis sub-secundis, calyces acutiusculi tubum corollæ sub-æquantes bracteati bracteis ovatis. Variat summopere foliorum latitudine et hispiditate, floribus purpureis ochroleucis vel roseis. Huc pertinet sec: Spr: *A. incarnata* Schrad:, quam habeo ex hb: Biroli; refert tamen stylos breviores, calyces profundius 5-fidos, corollas longiores tubo flavo limbo ochroleuco; an species distincta?

✱ 8. *A. angustifolia* = L. sp: 419. non Vill: = Spr: syst: I. 562. = Sibth: fl: gr: t. 164. Ic: taur: vol. 1. t. 144. et vol. 13. t. 90. f. 2. sub *Buglosso* (*Eur*: austr: *Pedem*: ad vias et secus arva All: n. 163. sub *Buglosso*. Agro *Taurinens*: inter *Venariam* et *la Madona dij bosch* ad agrorum limites Re fl: tor: I. p. 114. *Novariæ* secus vias et in urbis circumdariis Biroli fl: acon: I. p. 58.). Valde priori affinis, a qua distinguitur tantum foliis caulinis sub-dentatis, bracteis acutioribus, calycibus obtusiusculis. *A. angustifolia* Vill: spectat ad *officinalem*.

9. *A. Capellii* = Moris st: sard: II. p. 6. (*Sardin*: in pascuis maritimis *Scaffa di Cagliari* Moris l. c.). Procumbens strigosa et insuper pilis raris albis hirtella, folia lanceolata denticulata sub-undulata, panicula laxa foliolosa ramis secundo - spicatis, flores distantes pedicellati, calyx semi-5-fidus corollæ tubo paullo longior fructiferus inflato-nutans.

Anchusæ dubiæ vel novæ.

10. *A. acaulis* = Bellard: hb: ex Bert: (*Ægypto*). » Caule sub-nullo, foliis radicalibus lanceolato-sub- » spathulatis tuberculato-pilosis asperrimis integerri- » mis, floribus sub - spicatis, calycibus 5 - partitis » erectis tubum corollæ æquantibus, bracteis ovato- » lanceolatis calyce duplo longioribus, corollæ infun- » dibuliformis tubo erecto limbi lacinias æquante. » Nob: Planta pollicaris caule fere nullo, spicula e centro foliorum foliis ipsis brevior undique bracteis longissimis tecta, corollæ flavæ tubo filiformi.

11. *A. altissima* = H. Paris: Ita in scheda specim: missi a cl: HUGUENIN ex planta culta. In catal: h. Paris: ex DESF: non enumeratur: ab *A. officinali* n. 7. mihi non videtur differre, nisi corollis majoribus et tubo calycem paullo superante. = 12. *A. dichotoma* = Mikan: Zeyl: sec: Steud: Scannagat: sec: Bellard: hb: Omissa a LEHM:, R. et S. et SPR: « Caule erecto » glanduloso - piloso hispido dichotomo; foliis cau- » linis lineari - lanceolatis obtusis integerrimis sessi- » libus scabris, floralibus late ovatis sub - cordatis » amplexicaulibus acutis; spica terminali foliosa sim- » pliciuscula elongata; calycibus 5 - fidis acutis co- » rollæ tubum æquantibus, fructiferis inflato - sub - » nutantibus; laciniis corollæ inæqualibus rotunda- » tis. » NOB: Habit:? Accepta ex h. Gottingæ a cl: BELLARD: sub allato nomine; corollæ mediocres flavæ.

XVI. SYMPHYTUM Lin: gen: ed: Schreb: n. 245. = Spr: syst: n. 598. = Lam: ill: t. 93.

» *Cal*: 5-fidus. *Cor*: cylindrico-campanulata, tubo » ventricoso, fauce fornicibus subulatis in conum con- » niventibus clausa, limbo 5 - dentato. *Nuces* ovatæ » basi perforatæ. »

Obs: Genus satis determinatum, constans 8-9. stirpibus herbaceis, europæis vel asiaticis, foliis latiusculis sæpe cordatis, floribus plerumque corymbosis ampliusculis.

❋ 1. *S. officinale* = L. h. Cliff: 47. = Spr: syst: I. 563. = Fl: dan: t. 664. Ic: taur: vol. 2. t. 2. Vern: *Consolida maggiour*, *Niù* (*Eur*: passim. *Pedem*: ubique ad fossas, rivulos et loca humecta ALL:

n. 161. Re fl: segus: p. 18. et fl: tor: I. p. 117. Biroli fl: acon: I. p. 60. *Sardin*: in palustribus *Barbagia Seni* Moris st: sard: I. p. 33.). Perenn: Erectum ramosum hirsutum, folia alterna lanceolata acuta in petiolum decurrentia, racemi terminales corymbosi, calyces acuti, corolla plerumque ochroleuca. Variat statura majori floribus purpureis (*S. majus* Tabern:), vel caule angulato floribus rubris, stylo valde exserto (*S. bohemicum* Schmidt:). Prima var: occurrit prope *Albam* ex Bertero, altera in provincia *Novariens*: sec: Biroli.

❀ 2. *S. tuberosum* = L. syst: XII. p. 147. non Ucria = Spr: syst: I. 563. = Jacq: fl: austr: t. 225. Ic: taur: vol. 2. t. 3. (*Eur*: austr: *Pedem*: ad agrorum margines atque etiam in pratis locis montanis, copiosissime in montibus *Monregalensibus*, in montibus *Nicæensib*: ad rivulos All: n. 162. Re fl: segus: p. 18. et fl: tor: I. p. 117. Ad oras sylvarum collium et *della Vesca* urbis *Novariæ* Biroli fl: acon: I. p. 60.). Differt a priori, cui valde affine, radice tuberosa extus alba nec nigra, caule humiliori simpliciusculo, foliis ex lanceolato ovatis, floribus semper ochroleucis.

XVII. Trichodesma R. Br: prodr: I. 496. = Spr: syst: n. 599. = *Borraginis* spec: L. = *Pollichia* Medic: bot: Beob: = *Borraginoides* Boerh: lugd: I. p. 188. c. ic:

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: rotata, fauce pervia, limbi
» laciniis apice subulatis. *Antheræ* exsertæ apice ari-
» statæ, aristis subulatis tortilibus. *Nuces* columnæ
» centrali adfixæ, basi imperforatæ. »

Obs: Genus constans 3 - 4. stirpibus exoticis herbaceis a *Borragine* evulsis præsertim ob corollam perviam et seminum insertionem.

1. *Tr*: *indicum* = Lehm: asperif: p. 193. n. 148. (*Ind*: orient:). Ann: Gracile ramosum callosum, folia opposita lanceolata integra amplexicaulia obtusa, pedunculi solitarii axillares, calyx basi auriculatus, corolla purpurascens intus maculata.

XVIII. Asperugo Lin: gen: ed: Schreb: n. 249. excl: 1. spec: = Spr: syst: n. 600. = Lam: ill: t. 94.

» *Cal*: 5-dentatus in fructu compressus, lamellis pa-
» ralellis irregulariter dentatis. *Cor*: infundibulifor-
» mis, fauce fornicibus clausa. *Nuces Trichodesmæ.* »

Obs: Genus ludens inter *Borraginem* et *Trichodesma*, distinctum præsertim structura calycis, ac modo constans unica stirpe seq:

✻ 1. *A. procumbens* = L. fl: lapp: 76. = Spr: syst: I. 563. = Fl: dan: t. 552. Ic: taur: vol. 2. t. 11. (*Eur*: passim. Copiose nascitur *Nicææ* ad sepes et arva, *Taurini* inter *Portam Novam* et *Segusinam*, secus arva in *Sabaud*: All: n. 173. Prope *Segusium* in regione *delle Blaccie* Re fl: segus: p. 18. *Taurini* extra *Segusii* portam ad sepes Re fl: tor: I. p. 118. In ruderatis et fossis pinguibus *di Borgosesia* et *Varallo* non frequens, ad alpes usque *Sessitis* Biroli fl: acon: I. p. 61. *Sardin*: in arvis frequens Moris st: sard: I. p. 32.). Herba annua procumbens undique scaberrima, foliis sub-oppositis ovato-oblongis carina et margine hastato-ciliatis, floribus axillaribus sub-sessilibus minimis, corollis purpureo-violaceis.

XIX. Cynoglossum Lin: gen: ed: Schreb: n. 243. = Spr: syst: n. 601. = Lam: ill: t. 92. = *Cynoglossi*, *Omphalodes*, *Mattiæ*, *Rinderæ*, et *Picotiæ* spec: quorund:

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: infundibuliformis vel sub-
» rotata, fauce fornicibus clausa vel rarius nuda (in
» *Rindera* Pall:). *Nuces* depressæ echinatæ vel mem-
» brana instructæ columnæ centrali adfixæ basi im-
» perforatæ. »

Obs: Genus ex fructus forma præsertim a duobus præcedentibus distinctum, constans 50. circiter stirpibus, ex nucibus *echinatis*, vel *membranaceo-planis*, aut *membranaceo-urceolatis* facile in 3. sectiones dividendis. Herbæ per orbem sparsæ, caule erecto vel procumbente, staminibus inclusis vel exsertis, floribus racemosis ebracteatis vel bracteatis, unde artificiales sub-divisiones exsurgunt.

A. *Nucibus echinatis.*

1. Caule erecto folioso, racemis ebracteatis, staminibus inclusis.

❄ 1. *C. officinale* = L. mat: med: 56. = Spr: syst: I. 563. = Oed: fl: dan: t. 1147. Ic: taur: vol. 11. t. 18. Vern: *Lenga d' can* (Per orbem passim. *Pedem*: nihil ad vias frequentius All: n. 170. Re fl: segus: p. 17. et fl: tor: I. p. 115. Biroli fl: acon: I. p. 59.). Ann: vel bienn: Canescenti-villosiusculum, folia late lanceolata mollissime utrinque attenuata, panicula ra-

cemosa, flores sub-secundi sordide rubri. Tritum mures redolet et pediculos fugat. Variat foliis superioribus sub-cordatis amplexicaulibus, corolla alba fornicibus rubris (*C. bicolor* W. en: 180. qui tradit per decem annos cultura constans mansisse).

❋ 2. *C. sylvaticum* = Smith fl: brit: I. p. 216. = Spr: syst: I. 564. = Engl: bot: t. 1642. *C. officinale* var: γ L. sp: 193. (*Eur*: passim. *Pedem*: ex valle *Pisii* et in montibus circa *Brigantium* Balb: misc: bot: p. 14. *Sardin*: med: in umbrosis nemorum Moris st: sard: I. p. 32.). Vix differt a priori foliis virentibus superioribus amplexicaulibus, floribus cæruleo-rubentibus. Planta minus fœtens. Huc pertinet *C. montanum* Lam: et DC. nec non *C. Dioscoridis* Balb: non Vill:

❋ 3. *C. pictum* = Ait: h. Kew: I. p. 179. = Spr: syst: I. 564. = Hoff: et Link: ic: fl: port: I. t. 24. excl: f. 3. et 6. sec: R. et S. syst: IV. p. 759. *C. creticum* Vill: fl: delph: II. p. 457. et All: auct: n. 170. p. 4. (*Eur*: austr: *Pedem*: non infrequens locis collinis calidioribus All: l. c. In valle *Salicum*, secus viam *Stupinixii* Re fl: tor: I. p. 116. Ad viam *di Vercelli* et ad fossas urbis *Novariæ* ubi variat corollis calyce duplo longioribus et foliis incanis villosis Biroli fl: acon: I. p. 59. In collinis *Albensib*: reperit Berterus. *Sardin*: in pascuis aridis Moris st: sard: I. p. 32.). A præcedentibus diversum foliis subtomentosis basi cordatis, corollis pallide cæruleis aut carneis venis saturate coloratis pulchre pictis, calycibus fructiferis pendulis. Huc pertinet *C. cheirifolium* Jacq: non L.

4. *C. clandestinum* = Desf: fl: atl: I. p. 159. t. 42. (*Lusitan*:, *Afr*: bor: *Sardin*: australiori in sterilibus Moris st: sard: I. p. 32.). Adscendens dense foliosum undique villosum scabriusculum, folia lanceolata stricta sub-amplexicaulia, racemi terminales foliolosi ramis sub-secundo-spicatis, pedicelli et calyces flavo-sericei, corollæ violaceæ calycem sub-æquantes apice villosiusculæ.

2. Racemis bracteatis.

✻ 5. *C. cheirifolium* = L. h. Cliff: 47. non Jacq: = Spr: syst: I. 565. = Guss: prodr: fl: sic: I. p. 218. ubi iconem citat fl: sic: t. 80. *Anchusa lanata* L. sp: 192.? (*Eur*: austr:, *Asia* min:, *Afr*: bor: *Nicæa* circa *Lucerame* All: n. 171. *Sardin*: in aridis collinis Moris st: sard: I. p. 32.). Planta dubia ob synonymiam. Cl: Lehm: asperif: p. 141. n. 107. hanc demum ita definit: « Caule erecto, foliis lanceolatis obtusis tomen-» tosis incanis, racemis bracteatis, corollis calyce » duplo longioribus. » Cons: insuper R. et S. syst: IV. p. 96. et 770. sub *Anchusa lanata*. Planta nicæensis quam possideo pertinet absque dubio ad hanc stirpem.

B. *Nucibus membranaceo-urceolatis*
(*Omphalodes* Tourn:, Lehm:).

✻ 6. *C. Omphalodes* = L. h. Cliff: p. 47. = Spr: syst: I. 567. = Scop: carn: ed: 2. n. 190. t. 3. Ic: taur: vol. 26. t. 46. *Picotia verna* R. et S. syst: IV.

p. 85. (*Eur*: austr: *Pedem*: in sylvis et dumetis umbrosis circa oppidum *La Cà dj Prà* in provincia *Aquensi* ALL: n. 172. In collibus inter *Pallanza* et *Intra* non frequens BIROLI fl: acon: I. p. 59.). Perenn: Adscendens basi valde stolonifero-repens glabriusculum, folia longe petiolata cordato-ovata, racemi conjugati pauciflori, corolla azurea fauce alba calyce longior.

Cynoglossa dubia vel nova.

7. *C. Triunfetti* = Perret in sched: « Caule erecto » leviter striato glaberrimo lucido, foliis oppositis ses- » silibus lineari - lanceolatis integerrimis obtusis 1 - » nerviis scabriusculis, racemis sub-simplicibus ebra- » cteatis, pedicellis filiformibus longiusculis, calyce » villosiusculo corolla (alba) duplo breviore, nuci- » bus tenuissime echinatis. » NOB: Hab: . . . ?

8. *C. Berteri* = Nob: *C....* an n. sp: Berter: ined: (In præruptis sylvaticis montium editiorum ins: *Juan-Fernandez* BERTER:). « Caule fruticoso erecto ramoso » glabro, foliis alternis sparsisve ellipticis integerri- » mis in petiolum attenuatis acuminatis glabris te- » nuissime punctato-scabridis superne viridibus sub- » tus glaucescentibus, panicula terminali composita » ramis corymbosis calycibusque villoso - canescenti- » bus, corolla (*saturate flava*) calyce duplo longiore, » nucibus (*immaturis*) vix muricatis. » COLLA pl: rar: chil: fasc: III. t. XLII. ined:

XX. ECHINOSPERMUM Lehm: asperif: p. 116. = Spr: syst: n. 602. = *Myosotidis* spec: L. = *Rocheliæ* spec: R. et S.

» *Cor:* hypocrateriformis. *Nuces* compressæ nec de-
» pressæ echinatæ. Cetera *Cynoglossi.* »

Obs: Genus vix a *Myosotide* nucibus columnæ centrali adfixis imperforatis, et a *Cynoglosso* characteribus allatis distinctum, constans 15. stirpibus circiter exoticis, una tantum europæa, herbaceis vel rarius suffruticosis, floribus racemosis ebracteatis vel foliosis, fructibus deflexis aut erectis.

❋ 1. *E. Lappula* = Lehm: asperif: p. 121. n. 94. = Spr: syst: I. 567. = Fl: dan: t. 692. sub *Myosotide* ex L. Ic: taur: vol. 1. t. 147. (*Eur:*, *Asia*, *Amer:* bor: *Pedem*: in agris sterilibus et ad vias frequens ALL: n. 191. sub *Myosotide.* RE fl: segus: p. 17. et fl: tor: I. p. 112. BIROLI fl: acon: I. p. 57.). Ann: Ramosum pilosum, folia lanceolata, racemi foliosi laxi, flores minimi brevi - pedicellati secus racemos solitarii sub - secundi, corollæ azureæ stellula alba vel flava, nuces erectæ glochidibus duplici serie liberis. Variat squamis ex pilis rigidioribus (*E. squamosum* RETZ:).

Genus Borragineis affine.

XXI. Freylinia Spin: Jard: S. Sebast: 1818. p. 13. not. 12. = Colla *Freyliniæ* genus c. icon: = *Buddlejæ* spec: H. B. T. cat: 1821. = *Caprariæ* spec: Link: h. Berol: fasc: I. p. 11. = *Beureriæ* spec: Spr: c. p. p. 66.

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: infundibuliformis. *Stam*: 4. » sub-æqualia perfecta, rudimentum quinti. *Drupa* » nucibus 4. dispermis. »

Obs: Genus ludens inter *Borragineas*, a quibus differt defectu quinti staminis, et *Solanaceas*, quibus habitu persimile, sed fructus structura diversum, constans unica specie sequenti.

1. *Fr*: *cestroides* = Colla l. c. *Fr*: *oppositifolia* Spin: l. c. *Buddleja glaberrima* H. B. T. l. c. *Capraria lanceolata* Link: l. c. *Beureria cestroides* Spr: l. c. (*C. B. S.*). Frutex facie *Cestri salicifolii*, paniculæ ampliusculæ terminales compositæ e racemis brevibus bracteis linearibus suffultis, flores mediocres fœtentes tubo albido limbo croceo.

Obs: geographica circa *Borragineas.*

Borragineæ per orbem sparsæ circiter . . 475

Borragineæ pedemontanæ.

Heliotropium	1
Cerinthe	3
Lithospermum	6
Pulmonaria	3
Onosma	1
Echium	6
Myosotis	3
Borrago	1
Anchusa	8
Symphytum	2
Asperugo	1
Cynoglossum	5
Echinospermum	1
	41

Et sic 11.^{am} circiter partem constituunt.

Ordo CXXIV.

SOLANEÆ

(Juss: gen: p. 124. excl: 2. gener: 1.æ sect: et 3.a sect: = J. S. Hill: fam: I. p. 284. t. 46. = Balsamo-Crivelli de Solan: fam: diss: Ticin: 1824. = Schlecht: obs: in Solanac: gen: Arch: bot: II. p. 537. = Bartl: ord: nat: p. 193.).

Char: essentialis.

» *Cal*: liber 5-raro 3-4-divisus sæpius persistens.
» *Cor*: regularis limbo uti calyx diviso lobis seg-
» mentis calycinis alternis. *Stam*: lobis corollæ nu-
» mero æqualia eisdemque alterna tubo inserta. *Styl*:
» 1. stigmate simplici aut 2-sulco. *Fructus* baccatus
» vel capsularis sæpius 2-rarius 3-5-locularis 2-val-
» vis valvulis dissepimento paralellis quandoque o-
» perculatus. *Sem*: numerosa albuminosa. *Embr*: in-
» clusus arcuatus sæpe excentricus. *Radic*: ad hilum
» posita. *Cotyled*: integræ foliaceæ. »

Obs: Ordo habitu valde naturalis, a *Borragineis* recedens præsertim fructus structura, a *Convolvulaceis* seminibus indefinitis placentatione et cotyledonibus diversis. Herbæ, frutices vel arbores facie plerumque lurida, non raro spinosæ vel aculeatæ, foliis alternis simplicibus quandoque varie incisis, inflorescentia varia; multæ (herbaceæ præsertim) succo narcotico donatæ et inde venenatæ vel suspectæ, non-

nullæ edules. Genera ex Spr: 35. circiter, ex Bartl: 42., facile dividenda in 2. Tribus, scilicet fructibus *baccatis* et fructibus *capsularibus*.

Trib: I.

CESTREÆ (*Fructibus baccatis*).

I. Cestrum Lin: gen: ed: Schreb: n. 342. = Spr: syst: n. 742. = Lam: ill: t. 112.

» *Cal*: brevis urceolatus 5-dentatus. *Cor*: infundi-
» buliformis tubo gracili, limbo pleno plicato laciniis
» ovatis. *Filamenta* sub-denticulata, antheris tetra-
» gonis intra faucem. *Bacca* 1 - 2 - locularis oligo-
» sperma. »

Obs: Genus constans 40. circiter stirpibus exoticis præsertim ex *Amer*: austr: Frutices foliis sæpe fœtentibus oblongis integerrimis glabris vel pubescentibus, inflorescentia varia, filamentis denticulatis vel edentulis, floribus quandoque speciosis suaveolentibus, unde nonnulli culti in calidariis europæis ornamenti gratia.

A. *Filamentis denticulatis, foliis glabris.*

1. *C. Parqui* = L'Herit: stirp: I. p. 73. t. 36. (In humidis *Chili*). Glaberrimum sub-cæspitosum, folia sparsa angusto-lanceolata fœtidissima, panicula terminalis ampla foliosa, filamenta non semper denticulata, corollæ ochroleucæ noctu fragrantes. Cultum in h. Ripul: sub diu, caules hyeme pereunt, sed

radix perennat et vere cæspites plures emittit. Occurrunt insuper in hortis præsertim species seqq: = 2. *C. salicifolium* = Jacq: h. Schoëmbr: III. p. 42. t. 326. (*Caracas*). = 3. *C. undulatum* = R. et P. fl: peruv: II. p. 28. t. 155. (*Peruv*:). = 4. *C. nocturnum* = L. syst: veg: 190. (*Amer*: austr:). = 5. *C. laurifolium* = L'Herit: stirp: I. p. 69. t. 34. (*Amer*: austr:). = 6. *C. macrophyllum* = Vent: choix p. 18. t. 18. (*Ind*: occid:).

B. *Filamentis edentulis.*

α Foliis glabris.

7. *C. diurnum* = L. h. Cliff: 491. (*Cuba*, *Chili*). = 8. *C. vespertinum* = L. mant: 206. (*Ind*: occid:). Venit in h. Patav: et Mediol: sub nomine *C. ramosissimi.* = 9. *C. auriculatum* = L'Herit: stirp: I. p. 71. t. 35. *C. Hediunda* Lam: dict: I. p. 687. n. 2. (*Amer*: austr:). = 10. *C. fœtidissimum* = Jacq: h. Schoëmbr: III. p. 43. t. 329.

β Foliis pubescentibus.

11. *C. cauliflorum* = Jacq: h. Schoëmbr: III. p. 41. t. 325. (*Martinica*). = 12. *C. pendulinum* = Jacq: h. Schoëmbr: III. p. 42. t. 327. (Ad *Caracas*).

II. Lycium Lin: gen: ed: Schreb: n. 343. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 759. = Lam: ill: t. 112. = *Atropæ* et *Cestri* spec: nonnullæ quorund:

» *Cal*: campanulatus 5-raro 3-6-dentatus, sæpe » lateraliter fissus quandoque irregularis. *Cor*: tubu-

» losa fauce sub-clausa villis filamentorum. *Stam*: » inclusa vel exserta. *Stigm*: 2-sulcum. *Bacca* 2-lo- » cularis polysperma. »

Obs: Genus constans 18-20. stirpibus, quarum 2. tantum europææ, ceteræ per orbem sparsæ in regionibus calidis. Arbores aut frutices spinosi vel inermes, foliis plus minus oblongis integris, inflorescentia varia. Ex calycis divisione et staminum longitudine habita ratione ad corollam, 3. divisiones statuit Kunth syn: pl: æquin: II. p. 179.; an characteres constantes? Præsentia vel defectu spinarum melius dividitur.

A. *Spinosa*.

1. *L. afrum* = L. h. Cliff: 57. (*Afr*: bor:, *C. B. S.*, *Palestina*). Frutex ramosissimus cinereus spinis validis patentissimis sub-foliosis, folia fasciculata linearia carnosa, pedunculi laterales sparsi, calyx regularis, corollæ violaceæ, stamina inclusa. In *C. B. S.* maxime variare magnitudine florum, foliorum et ramulorum secundum ætatem solique naturam, monet cl: Lichtenst: in R. et S. syst: IV. p. 690. = 2. *L. barbarum* = L. syst: veg: 190. (*Eur*: austr:, *China*, *Afr*: bor:). Differt a priori caule ramisque debilibus, spinis non tam validis, foliis lanceolatis alternis raro sub-fasciculatis, calyce irregulari, staminibus sub-exsertis; sub dio in hortis nostris hyeme perdurat. Variat fere inerme stylo staminibus longiore (*L. chinense* Mill:, *L. ovatum* Duham:). Plura specim: possideo de hisce varr:, quarum primam tamquam distinctam speciem admittunt R. et S. syst: IV. p. 693., sed

nullam differentiam invenio præter allatas, quæ neque omnino constantes.

* 3. *L. europæum* = L. mant: 47. = Spr: syst: I. 700. = Sibth: fl: gr: t. 236. (*Eur*: austr: In agro *Nicæens:* All: n. 464. *Sardin*: ad sepes frequens Moris st: sard: I. p. 33.). Differt a *L. afro* foliis latioribus, ramulis teretibus flexuosis, calyce obtuse dentato fisso; a *L. barbaro* caule recto non debili, foliis oblique flexis crassioribus sub-tomentosis, staminibus sub-inclusis.

B. *Inermia.*

4. *L. arborescens* = Spr: syst: I. 701. sub *Atropa* L. *Cestrum campanulatum* Lam: (*Jamaica*). Frutex valde medullosus tortuosus, folia elliptica magna tomentosa, pedunculi laterales confertissimi elongati, calyx regularis, corolla alba laciniis revolutis, stamina exserta; facies *Atropæ*, fructificatio *Lycii*. =

5. *L. chilense* = Berter: merc: chil: n. XV. p. 693. ex Miers. *L. nutans* Poëppig: sec: DC. 5.e notic: pl: Genev: 1833. (*Chili* in rupestribus maritimis *Quinteco*). Frutex cinereus ramosus, folia alterna ovato-lanceolata levissime ciliata, pedunculi solitarii 1-flori longitudine florum, calyx regularis semi-5-fidus, corolla glabra viridi-luteola staminibus sub-exsertis. Culta in h. Ripul: ex seminibus missis a cl: Bertero floret primo anno; hyeme servatur in frigidario, sed sub dio facile perit; perdurat tamen in h. Genevens: sec: DC. l. c. (Colla pl: rar: chil: fasc: III. ined: t. XLIV.).

II. Capsicum Lin: gen: ed: Schreb: n. 338. = Spr: syst: n. 748. = Lam: ill: t. 116.

» *Cal*: 5-fidus regularis. *Cor*: rotata. *Antheræ* con-
» vergentes longitudinaliter dehiscentes. *Bacca* sub-
» exsucca forma varia 2-locularis, placenta basilari,
» seminibus plurimis reniformibus superne dissepi-
» mento adnatis. »

Obs: Genus 20. stirpibus circiter constans ex Auctoribus, sed vix extricandum pro maxima earum parte, nam fructus ex seminibus ejusdem speciei modo erecti evadunt modo penduli, forma in infinitum variantes, foliorum florumque forma sæpius in eodem individuo diversa, duratio ipsa varia in eadem specie: prudentissimum igitur cl: Spr: syst: I. 696. consilium qui ad 3. stirpes satis constanter distinctas genus ipsum reduxit, ceteris ad varr: amandatis.

1. *C. annuum* = L. h. Cliff: 59. Vern: *Pouvron* (*Ind*: orient:, *Amer*: austr:). Ann: Fructus sub-solitarii plus minus oblongi sub-penduli, petioli glabri. Varr: plures in hortis coluntur ad usum culinarum, quarum nonnullæ constantes servantur ex seminibus. Cons: R. et S. syst: IV. p. 560. et Fingerhuste monogr: gen: caps: in Arch: bot: II. p. 32. = 2. *C. frutescens* = L. h. Cliff: 59. (*Ind*: orient:, *Amer*: austr:). Fruticulosum, generatim tamen humilius quam *C. annuum*; fructus sub-solitarii minus oblongi sub-erecti, petioli glabri, calyx fere truncatus, caulis duratio et forma calycis characteres magis constantes, ceterum fructus etiam polymorphi. In calidariis coli-

tur ad ornamentum præsertim var: fructibus ovatis parvis maturitate rubris; ex seminibus intra annum fructus perficit.

IV. Solanum Lin: gen: ed: Schreb: n. 337. excl: nonnullis stirpib: = Dunal solan: p. 115. = Spr: syst: n. 747. = Lam: ill: t. 115. excl: f. 2.

» *Cal:* 5-10-divisus. *Cor:* sub-rotata 4-10-fida.
» *Antheræ* conniventes apice poro gemino dehiscen-
» tes. *Bacca* 2-3-4-locularis polysperma, placentis
» septo adnatis. *Sem:* glabra. »

Obs: Genus innumeris constans stirpibus (281. ex Spr:) præsertim ex *Amer:* austr:, perpaucis europæis, difficile determinandis. Arbores, frutices, suffrutices aut herbæ inermes vel aculeatæ, glabræ vel pilosæ, foliis pinnatisectis lobatis dentatis vel integerrimis, inflorescentia varia, ex quibus omnibus plures divisiones sat commode ab Auctoribus statutæ fuerunt. Cons: inter alios Dunal Solan:, et R. et S. syst: IV. p. 569. circa conspectum sectionum. Variæ occurrunt stirpes in hortis nostris vel tamquam plantæ alimentariæ, vel ad ornamentum aut curiositatis gratia; præter pedemontanas unam tantum pro quaque sectione et subdivisione, inter species quas possideo, hic enumerandam duxi.

Sect: I.

Inermia.

✻ Foliis pinnati - sectis.

α *Racemis corymbosis.*

1. S. *tuberosum* = L. sp: I. p. 185. Vern: *Tartifla*, *Poum d' tera* (*Peruv*:, *Chili*, ins: *Juan-Fernandez*). Radix tuberosa edulis, folia interrupte ac profunde pinnati - secta pilosa, pedicelli articulati, corollæ 5-angulatæ. Innotuit Bauhino an: 1590.; nunc ubique in *Eur*: cultum; variat multimode segmentis foliorum, pube, colore florum ab intense cæruleo ad album, forma, magnitudine et colore tuberum quæ plus minusve sapida farinosa vel aquosa. In sylvis umbrosis montium editiorum ins: *J. Fernandez* var: invenit Berterus tuberculis amaris. Ob summam sollertiam et totius propriæ fortunæ dispendium cl: JC: Virginio, utillimæ hujusce stirpis cultura demum recepta fuit in omnibus Patriæ nostræ regionibus non sine magna agricolarum pervicacia. Laus sit cl: Viro, et concivium grati animi demonstratio tenuissima ejus conatum compensatio maneat. Heu! post tot tantosque labores sedem tantum obtinuit in pauperum hospitio ubi elapso anno decessit.

✻ ✻ Foliis sinuato - lobatis.

✻ 2. S. *Dulcamara* = L. h. Cliff: 60. = Spr: syst: I. 678. = Oed: fl: dan: t. 607. Ic: taur: vol. 2. t. 104.

Vern: *Dulcamara*, *Pastamola*, *Argalisia d' mort* (*Eur*: passim. *Pedem*: abunde ad fossas et quandoque ad sepes All: n. 461. Re fl: segus: p. 22. et fl: tor: I. p. 141. Biroli fl: acon: I. p. 77. *Sardin*: ad sepes Moris st: sard: I. p. 33.). Frutescens scandens glabrum, folia cordata subinde auriculato-hastata, racemi oppositifolii. Variat foliis omnibus integerrimis quandoque hirsutis, corollis albis vel variegatis, bacca plus minus intense rubra.

❋ ❋ ❋ Foliis angulato-dentatis.

α *Caule fruticoso.*

3. *S. suffruticosum* = W. en: 236. ex Schousb: (*Afr*: bor:). Villosiusculum, folia ovata, pedunculi extrafoliacei sub-umbellati, flores parvi albi, bacca globosa parva nigra.

β *Caule herbaceo.*

❋ 4. *S. nigrum* = L. mat: med: 66. = Spr: syst: I. 680. = Oed: fl: dan: t. 460. Ic: taur: vol. 2. t. 105. Vern: *Erba morela*, *Erba mora*, *Erba ballonera* (Passim per totum orbem. *Pedem*: locis cultis et pinguibus ruderatis frequentissimum All: n. 462. Re fl: segus: p. 22. et fl: tor: I. p. 142. Biroli fl: acon: I. p. 78. *Sardin*: ad muros et ad sepes Moris st: sard: I. p. 33.). Pedunculis umbellatis extrafoliaceis, forma et colore fructus magis accedit ad *S. suffruticosum*, sed radice annua et foliis sub-tomentosis affinius *Zuccaniano*. Ceterum valde varians ex loco natali magnitudine partium, pube, colore florum et quando-

que ipsius baccæ, unde sub variis speciebus venit apud Auctores. *S. flavum* KIT:, quod cl: SPR: pro specie distincta admittit, huc quoque videtur referendum; baccæ flavescentes maturitate nigrescunt; idem ac *S. miniatum* BERNH: quod in ruderatis *Sardin*: legit MORIS st: sard: I. p. 33.

✱ 5. *S. villosum* = Lam: ill: n. 2338. = Spr: syst: I. 680. *S. nigrum villosum* γ W. sp: I. 1035. = Dill: elth: 366. t. 274. f. 353. (*Eur*: med: *Pedem*: in collibus *Taurinens*: RE fl: tor: I. p. 142.). Vix a *S. nigro* ejusque varr: diversum ramis teretibus nec angulatis, statura majori, foliis magis villosis et canescentibus, corollis amplioribus albis, baccis croceo-rubris.

✱ ✱ ✱ ✱ Foliis integerrimis.

α Calycibus 5-divisis.

A. Staminibus æqualibus.

1. *Caule fruticoso.*

6. *S. betaceum* = Cav: ic: IV. t. 524. (*N. Hispan*:). Elatum ramosum, folia magna cordata pilosiuscula, racemi laterales 2-3-chotomi penduli pauciflori, corolla alba dilute rubens, bacca forma et magnitudine ovi gallinacei maturitate lutescens. = 7. *S. Pseudocapsicum* = L. sp: I. p. 263. (*Madera*). Erectum ramosissimum glabrum, folia lanceolata sub-repanda, pedunculi sub-solitarii 1-flori cernui demum erecti, corolla parva lutea, bacca coccinea cerasiformis. Nunc ubique in hortis cultum sub nomine vern: *Poum*

d' amour, *Ceresin d' Spagna*; in h. Ripul: sub dio contra murum soli expositum hyeme servatur.

2. *Caule herbaceo.*

8. *S. nodiflorum* = Jacq: coll: II. p. 288. (*Ind*: occid:, ins: *Mascaren*:). Ann: Glabrum, folia ovata, umbellæ extrafoliaceæ paucifloræ, corolla minima alba basi flavescens, bacca parva atra.

B. Staminibus inæqualibus.

9. *S. lycioides* = L. mant: 46. (*Peruv*:). Fruticulus facie *Lycii*, ramis sub-spinescentibus, foliis parvis ellipticis subtus canescentibus, pedunculis aggregatis 1-floris, corolla violacea rotata tubo sub-nullo, staminibus 3. majoribus, bacca rubra.

β Calycibus multipartitis.

10. *S. scandens* = L. suppl: 147. (*Surinam*). Volubile glabrum, folia sub-cordato-ovata acuminata, racemi terminales compositi, flores parvi, bacca globosa magnitudine *Cerasi*.

Sect: II.

Spinoso-aculeata.

❋ Foliis pinnati-sectis.

α *Antheris inæqualibus.*

11. *S. heterodoxon* = Dun: sol: p. 235. t. 25. (*Mexico*). Ann: Villosum undique flavo-aculeatissimum, foliorum segmenta rotundato-lobata, pedunculi laterales pauciflori, corolla parva cærulescens, anthera infima longiore incurva, bacca globosa calyce tecta demum nigra.

β *Antheris æqualibus.*

12. *S. Balbisii* = Dun: sol: p. 232. t. 3. *S. decurrens* Balb: ic: et descr: fasc: I. p. 17. t. 1. (*Amer: austr:*). Suffrut: Villosum aculeis basi lutescentibus apice fuscis, petioli decurrentes, foliorum segmenta acutiuscula sinuato-dentata, pedunculi laterales et terminales cymosi, corolla magna alba, bacca ovata crocea. = 13. *S. sodomeum* = L. sp: I. p. 268. (*Calabria, Sicil:, Afr: Sardin:* in pascuis arenosis maritimis *Scaffa di Cagliari* et *Muravera* Moris st: sard: I. p. 33.). Suffrut: Diffusum glabriusculum aculeis rectis flavis, foliorum segmenta rotundato-lobata, pedunculi plerumque 2-fidi incrassati, corolla violacea, bacca globosa magnitudine nucis *Juglandi* variegata demum lutea.

✻ ✻ Foliis lobatis sinuatis.

α *Fruticosa.*

14. *S. marginatum* = L. suppl: 147. (*Afr*: tropic:). Tortuosum undique albido-tomentosum speciatim ramis junioribus foliis subtus pedunculis et calycibus aculeis tenuioribus rectis sparsis, folia sub-cordata ovata sinuato-lobata margine albida subtus tomentoso-candidissima, pedunculi racemosi, corolla purpurascens, bacca globosa magna flava pendula.

β *Herbacea.*

15. *S. mammosum* = L. sp: I. 267. (*Carolin*:, *Ind*: occid:). Ann: Villosissimum spinis flavis rectis recurvisque, folia late ovata lobis angulatis rotundatis, pedunculi 2-fidi ramulo altero 1-floro altero paniculato, corolla mediocris pallide cærulea, bacca lutea mammæformis.

✻ ✻ ✻ Foliis repandis.

α *Fruticosa.*

16. *S. sanctum* = L. sp: I. 269. (*Palest*:, *Ægypt*:). Erectum crassiusculum undique flavicanti-tomentosum aculeis parvis rectis brevibus, folia ovata inferiora lobata superiora sub-angulata, corolla cærulea ampla, bacca rubra globosa magnitudine *pisi*.

β Herbacea.

17. *S. esculentum* = Dun: sol: p. 28. t. 3. f. E. *S. Melongena* L. sp: I. 266. non Murr: *S. insanum* L. mant: p. 46. (*Asia* et *Afr*: tropic:). Ann: Tomentosum undique aculeatum, folia ovata repando - sinuata, pedunculi sub - solitarii, flores magni ex cæruleo albidi, bacca magna edulis colore et forma varia, semina nuda. Cultum in hortis cum seq: ad usum culinarum sub nomine vern: *Marzana.* = 18. *S. ovigerum* = Dun: sol: p. 210. *S. Melongena* Murr: non L. (*Arabia*). Vix a priori diversum defectu aculeorum, baccis ovatis, seminibus pulposis; ceterum variat etiam colore et forma fructus, et quandoque præsentia nonnullorum aculeorum.

**** Foliis integerrimis;
omnia fruticosa.

19. *S. igneum* = L. sp: I. 270. (*Ind*: occid:). Puberulum, aculeis validissimis rectis igneis, folia lanceolata, racemi simplices, corolla alba, bacca rubra globosa magnitudine fere *Cerasi.*

Solana dubia vel nova.

1. Inermia.

20. *S. deltoideum* = Nob: *S. scabrum?* Berter: ined: non Jacq: nec Vahl nec Lam: nec R. et P. (*Chili Quillota*). « Caule herbaceo sub-flexuoso glabro, foliis

» alternis petiolatis deltoideis acutis sinuato-dentatis » glabris inferne pallidiusculis, racemis extrafoliaceis » dichotomis ramis 5-6-floris, corollæ (parvæ albidæ) » laciniis declinatis obtusiusculis, bacca globosa (nigra » magnitudine *Juniperi communis*). » Nob: Cultum in h. Ripul: ex seminibus missis a cl: Bertero sub nomine *S. scabri* cum dubitationis signo, non quadrat cum stirpibus eodem nomine a citatis Auctoribus insignitis.

21. *S. Willdenowii* = R. et S. syst: IV. p. 661. (Patria?). « Caule herbaceo glaberrimo erecto ramoso » ramis fastigiatis, foliis alternis ovato-ellipticis in- » tegerrimis obtusis basi obliquis subtus glaucis, pe- » dunculis extrafoliaceis sub-racemosis paucifloris pe- » dicellis nutantibus, laciniis calycinis ovatis brevis- » simis in fructu reflexis, corolla glabra (parva lu- » tescens), bacca globosa (saturate flava *piso com-* » *muni* parum majore). » Nob: *S. obtusifolium* W. en: suppl: non Bonpl: sec: R. et S. cujus diagnosis manca. Accedit ad *S. Zuccagnianum*, a quo differt ramis fastigiatis, foliis lævibus nec scabriusculis basi non cordatis integerrimis nec unquam lobatis.

22. *S. memphiticum* = Mart: en: h. Erlang p. 63. sec: R. et S. syst: IV. 661. (Patria?). Omissum a Spr: Specim: ex hb: Biroli quadrat cum descr: Martii a R. et S. allata. = 23. *S. Lycollonum* = Hb: Bell. rd: ex Paschal. Specim: sine fructu caulem refert fusi glabrum subinde versus apicem præsertim glanduloso-puberulum, folia alterna elliptica integerrima glabra (juniora puberula) acuminata, racemos axillares folio breviores tomentosos, flores minimos. Patria?

Cultum in h. Parmensi. = 24. *S. Kitaibeli* = R. et S. syst: IV. p. 593. (*Pannonia*). Cult: in h. Ripul: ex seminibus missis a cl: Schultesio, quadrat cum ejus diagnosi exceptis foliis non semper *integerrimis* sed sæpius inferne *sinuato-lobatis*. = 25. *S. hyemale* = Birol: hb: Nullibi sub hoc nomine enumeratum video; in specim: manco caulis glaberrimus videtur fruticosus, folia sunt ovato-elliptica glabra integerrima, pedunculi sub-gemini filiformes 1-flori, calyx 5-partitus brevissimus puberulus laciniis ovato-lanceolatis, corolla ampla flavescens laciniis ovatis, fructus deest. Patria?

2. Aculeata.

26. *S. astroides* = Jacq: ecl: Omissum a R. et S. et Spr: Specim: meum ex hb: Biroli sine fructificatione refert caulem glabrum aculeis sparsis raris brevissimis declinatis flavis, folia magna ovata basi leviter inæqualiter cordata margine sinuato-repanda apice acuta glabra inermia.

27. *S. papillare* = Bellard: hb: (Patria?). « Caule » (fruticoso?) erecto tetragono floccoso-lanato aculeis » sparsis rectis brevibus basi tomentosis, foliis alter- » nis petiolatis inermibus late ovatis integerrimis a- » cuminatis superne glabris viridibus subtus floccoso- » tomentosis, racemis sub-compositis calycibusque » inermibus tomentosis, laciniis calycinis rotundatis, » bacca globosa (minima nigrescens). » Nob: Desunt corollæ, racemus unicus e planta evulsus nescio utrum sit extrafoliaceus axillaris an terminalis.

V. Lycopersicon Tourn: inst: p. 150. t. 63. = Spr: syst: n. 746. = *Solani* spec: Juss: = Lam: ill: t. 115. f. 2.

» *Cal*: 5-6-partitus. *Cor*: rotata 5-6-loba. *Antheræ* » conicæ membrana apice elongata connatæ intus lon- » gitudinaliter dehiscentes. *Bacca* 2-3-locularis. *Sem*: » villosa. »

Obs: Genus constans 7-8. stirpibus a *Solano* divulsis et vix ab eo recedentibus antherarum dehiscentiæ modo, et seminum superficie. Herbæ exoticæ præsertim ex *Amer*: austr:

1. *L. esculentum* = Dun: sol: p. 113. t. 3. f. 3. *Solanum Lycopersicum* L. sp: I. p. 150. Vern: *Toumatica*, *Poum d'amour* (*Amer*: austr:). Ann: Pilosiusculum debile, folia interrupte pinnati-secta segmentis varie incisis subtus glaucescentibus, pedunculi sub-racemosi, corolla parva alba calyce longior, bacca sub-globosa glabra plus minus magna alba, rubra vel lutea esculenta. Nunc undique in hortis europæis cultum ad usum culinarum. = 2. *L. pyriforme* = Dun: sol: p. 112. (*Amer*: austr:). Ann: Valde priori affine, a quo differt præsertim calycis laciniis longissimis corollam fere excedentibus ac baccis obconicis. Huc pertinet *Solanum pomiferum* Cav: et *spurium* Balb:

VI. Witheringia L'Herit: sert: I. 33. t. 1. = Spr: syst: n. 744. = Lam: ill: t. 82. = *Solani* spec: L.

» *Cal*: urceolatus 4-5-fidus. *Cor*: campanulato-ro- » tata, tubo 4-5-gibbo. *Antheræ* longitudinaliter de-

» hiscentes. *Bacca* 2-locularis calyce persistente suf-
» fulta. »

Obs: Genus a cl: L'Herit: statutum pro una tantum stirpe (*W. solanacea*), hinc ad nonnulla *Solana* aliasque novas plantas affines extensum præsertim ex antherarum structura et dehiscendi modo, nunc constans ex Spr: 16. stirpibus fruticosis vel herbaceis facie *Solani*, omnibus *Amer*: austr: incolis.

1. *W. montana* = Spr: syst: I. 676. Sub *Solano* L. sp: 266. (*Peruv*:, *Chili*). Herbacea perennis pilosiuscula, folia late ovata sub-cordata repando-lobata, pedunculi axillares sub-2-flori, flores 5-fidi, corolla alba parva, bacca globosa nigra *piso* communi parum majore. = 2. *W. capsicoides* = Mart: ined: (*Brasil*: *Villanova*). Specim: mancum ex cl: Martio sub allato nomine refert folia plerumque gemina, quorum alterum dimidio majus ovato-elliptica acuminata glaberrima, racemos axillares simplices longitudine folii majoris, flores 4-fidos parvos.

VII. Physalis Lin: gen: ed: Schreb: n. 336. = Spr: syst: n. 749. = Lam: ill: t. 116.

» *Cal*: urceolatus 5-dentatus demum fructifer in-
» flatus sub-clausus. *Cor*: sub-rotata. *Antheræ* con-
» niventes longitudinaliter dehiscentes. *Bacca* 2-lo-
» cularis calyce obtecta. »

Obs: Genus ludens inter *Solanum* et *Witheringiam*, sed structura calycis in fructu satis distinctum, constans 30. circiter stirpibus, quarum plures dubiæ. Frutices vel herbæ, 2. tantum europææ, ceteræ exoticæ plerumque ex *Amer*: austr:

1. *Perennes.*

1. *Ph: somnifera* = L. sp: I. 261. (*Eur:* austr: *Sardin:* ad sepes *Orosei*). Fruticulus cinereo-tomentosus, folia alterna ovata acuta, flores 3-5. aggregati sub-sessiles, calyx viridi-flavescens aut rubellus, corolla flavo-virens, bacca parva rubra.

* 2. *Ph: Alkekingi* = L. sp: I. p. 262. = Spr: syst: I. 697. = Sibth: fl: græc: t. 234. Ic: taur: vol. 2. t. 118. Vern: *Fiac*, *Chichingi*, *Pouvron servaj* (*Eur:* med: *Pedem:* minime rara ad sepes et in sylvis et dumetis umbrosis collinis et montanis ALL: n. 463. RE fl: segus: p. 21. et fl: tor: I. p. 141. BIROLI fl: acon: I. p. 77.). Perenn: Elata ramosa glabriuscula, folia sub-gemina ovata acuta sub-integerrima, pedunculi solitarii, calyx ex rubro flavus, bacca coccinea *Cerasi* magnitudine edulis.

2. *Annuæ.*

3. *Ph: fœtens* = Poir: dict: suppl: II. p. 348. (*Amer:* tropic:). Ramosissima villoso-pubescens fœtidissima, folia oblonga sinuato-dentata, pedunculi solitarii, corolla flavescens basi nigro-maculata, bacca globosa nigra.

Physalides dubiæ vel novæ.

4. *Ph: mexicana?* Habui sub hoc nomine a MOLINERIO, nec illam video enumeratam ab Auctoribus. Caulis herbaceus nodosus sub-aphyllus, rami alterni patensissimi foliis parvis ovato-oblongis repando-dentatis glabriusculis, pedunculi brevissimi solitarii, co-

rolla parva viridi-flavescens, bacca nigrescens *Ceraso* paullo minor. = 5. *Ph: gymnocarpa?* Bellard: hb: ex Vahl. Herbacea glanduloso-villosiuscula, folia sub-gemina inæqualia elliptica repando-sub-sinuata, pedunculi axillares umbellati 4-6-flori, corolla minima albida, bacca saturato-flava magnitudine *pisi.* = 6. *Ph: erecta?* Bellard: hb: Plana undique glabra sub-integerrima, pedunculi sub-3-flori; in ceteris non differt a priori. = 7. *Ph: æquata* = Jacq: fil: sec: Steud: Culta in h. Ripul: ex seminibus missis sub allato nomine a Balbisio, et a Steud: tantum enumerata ut sciam, non videtur differre a *Ph: barbadensi* Jacq: ic: rar: I. t. 39.

8. *Ph: heterophylla* = Nob: *Ph:....?* Mart: ined: (*Brasil: Barra di Coara*). « Caule herbaceo villosiu-» sculo superne dichotomo, foliis sub-geminis glabris » petiolum sub-æquantibus inferioribus sub-orbicu-» latis sub-integris superioribus cordato-ovatis si-» nuato-dentatis integrisve acuminatis, pedunculis » axillaribus solitariis 1-floris calyce fructifero di-» midio brevioribus. » Nob: Ex diversa foliorum forma ab affinibus prima fronte dignoscitur; flores parvi, calyx fructifer albo-viridis glaber semipollicaris, corolla luteola, bacca flavescens *piso* parum major.

9. *Ph: glaberrima* = Nob: *Ph:....?* Mart: ined: (*Brasil: Rio d'oro*). « Undique glaberrima, caule » herbaceo compressiusculo striato ramosissimo, fo-» liis alternis ellipticis denticulatis acutis petiolo lon-» gioribus, pedunculis axillaribus solitariis 1-floris » calycem fructiferum sub-æquantibus. » Nob: Flores

parvi, calyx fructifer sub-orbiculatus vix 2-uncialis, corollæ color non adparet ex sicco, bacca rubra *piso* parum minor.

VIII. NICANDRA Spr: syst: n. 753. ex Adans: = Gærtn: fruct: II. p. 237. t. 131. = *Atropæ* sp: L. = *Calydermos* R. et P. non Lag:

» *Cal*: 5-partitus angulatus. *Cor*: campanulata.
» *Filamenta* basi dilatata. *Bacca* 4-5-locularis pla-
» centis inter dissepimentum. »

Obs: Genus vix a *Physalide* distinctum calyce 5-partito et fere 5-phyllo, filamentorum forma ac numero loculorum in fructu, constans 2. stirpibus exoticis. Possideo *N. physalodem* Gærtn: l. c. (*Atropa* L.). Herba peruviana ann: glabra, folia alterna ovato-oblonga obtuse sinuata, pedunculi axillares solitarii 1-flori, calycis laciniæ sagittato-ovatæ fructum demum tegentes, corolla magna cærulea, bacca flavescens magnitudine *Cerasi*.

IX. ATROPA Lin: gen: ed: Schreb: n. 335. excl: nonnullis stirpib: = Spr: syst: n. 751. = *Atropæ*, *Sarachæ*, *Belliniæ*, et *Physalidis* spec: quorund: = Lam: ill: t. 114.

» *Cal*: campanulatus 5-partitus. *Cor*: sub-infundi-
» buliformis. *Stam*: filiformia sub-exserta. *Bacca* 2-
» locularis placentis liberis (1-locularis in *Bellinia*
» sec: R. et S.). »

Obs: Genus constans 15. circiter stirpibus, quarum 2. tantum europææ, alteræ exoticæ præsertim ex

Amer: austr: Frutices vel herbæ, foliis sparsis ovato-oblongis sub-integerrimis, pedunculis lateralibus solitariis vel aggregatis 1 - vel pluri-floris.

1. *Fruticosæ.*

1. *A. frutescens* = L. sp: I. 260. (*Hispan:*). Fruticulus cortice suberoso, foliis cordato - ovatis supra nitidis subtus pubescentibus, floribus aggregatis flavescentibus.

2. *Herbaceæ.*

* 2. *A. Belladonna* = L. sp: I. 260. = Spr: syst: I. 698. = Jacq: fl: austr: IV. t. 309. Ic: taur: vol. 2. t. 90. (*Eur*: med: *Pedem*: in umbrosis circa *Lucerame*, circa *S. Damian*, in valle *Macræ* et *Lot*, in valle *di Pesio* prope monasterium *Carthusianorum*, supra *Envie* in umbrosissima valle *delle Ulive*, in sylvis umbrosis circa confines provinciæ *Aquensis Genuensi* ditioni conterminis All: n. 459. In comit: *Nicæensi* invenit Franciscus Alexandri sec: Biroli mss: Provinc: *Novariens*: in sylvis *d'Antrona* a *S. Pietro* unice vidit Biroli fl: acon: I. p. 77. *Sardin:* in umbrosis *Monte-Santo*, *Pula*, *Buddui*, montium *Patada* Moris st: sard: I. p. 33.). Perenn: Glabriuscula subtrichotoma, folia plerumque gemina ovato-lanceolata acuta, pedunculi solitarii 1 - flori nutantes, corolla sordide purpurea, bacca nigra magnitudine *Cerasi*. Tota planta maxime virulenta.

X. MANDRAGORA Gærtn: fruct: II. p. 237. t. 131. = Spr: syst: n. 752. = *Atropæ* spec: L.

» *Cal*: turbinatus 5-fidus. *Cor*: campanulata. *Stam*: » basi dilatata conniventia. *Bacca* 1-locularis, se- » minibus periphericis in pulpa nidulantibus. »

Obs: Genus constans 1-2. stirpibus europæis habitu proprio.

❀ 1. *M. officinalis* = Mill: dict: n. 1. 173. = *M. vernalis* et *autumnalis* Spr: syst: I. 699. ex Bertol: *Atropa Mandragora* L. sp: I. 259. = Sibth: fl: gr: t. 232. Ic: taur: vol. 2. t. 94. (*Eur*: austr:, *Græcia. Pedem*: in montibus *Augustæ Prætoriæ* sec: ALL: n. 460., sed postea Botanicos pedemontanos frustra illam perquisivisse asserit BIROLI mss: *Sardin*: in arvis incultis *Decimo*, *Guasila*, *Ussana* MORIS st: sard: I. p. 33.). Perenn: Acaulis, folia magna ovato-oblonga sub-carnosa undulata glabra, scapus 1-florus foliis brevior, flores vernales laciniis calycinis ovatis (*M. vernalis* BERTOL:), vel autumnales laciniis calycinis lanceolatis acuminatis (*M. autumnalis* BERTOL:), an constanter? Contendit cl: TENOR: fl: neap: syll: p. 114. Variat etiam foliis majoribus vel minoribus, floribus albis vel purpurascentibus, sed habitus semper idem.

XI. SOLANDRA Lin: gen: ed: Schreb: n. 1732. non L. fil: nec Lam: = Spr: syst: n. 760. = Swartz: fl: ind: occid: I. p. 387. t. 9.

» *Cal*: 5-dentatus rumpens. *Cor*: clavato-infundi- » buliformis, limbo rotundato-5-fido undulato. *Stig*:

» fissum. *Bacca* exsucca 4 - locularis, loculis 2. in
» placentam abeuntibus. »

Obs: Genus constans 2-3. stirpibus ex *Amer*: austr: Arbores sub-parasiticæ sub-succulentæ glaberrimæ, foliis ovato-oblongis integerrimis, floribus pedunculatis vel sessilibus maximis. *Solandra* L. fil: pertinet ad *Hydrocotylem*, et *Solandra* LAM: ad *Laganæam* W. Colitur plerumque in calidariis europæis *S. grandiflora* SWARTZ: l. c. (*Datura sarmentosa* LAM:) ob magnitudinem florum suavem odorem noctu præsertim spirantium, et commutatur sæpe cum *Portlandia grandiflora*, quæ facie quidem similis, sed ad *Rubiaceas* pertinens. *S. nitida* ZUCCAGN: a SPR: omissa, quam etiam possideo, non videtur differre a *S. grandiflora* nisi antheris 2-cornibus lateralibus.

Trib: II.

NICOTIANEÆ (*Fructibus capsularibus*).

XII. DATURA Lin: gen: ed: Schreb: n. 332. = Spr: syst: n. 670. = Lam: ill: t. 113. = *Daturæ* et *Brugmansiæ* spec: quorund:

» *Cal*: tubuloso-ventricosus basi orbiculata peltata
» persistente. *Cor*: infundibuliformis plicata limbo 5-
» 10-dentato. *Stigm*: 2-lobum. *Caps*: lævis vel echi-
» nata semi-4-locularis 4-valvis, placentis discretis. »

Obs: Genus constans 10-12. stirpibus per orbem sparsis, quarum 3. europææ. Herbæ rarius frutices, foliis sæpe sinuato-angulatis, floribus plerumque solitariis conspicuis quandoque suaveolentibus.

1. *Capsulis lævibus.*

1. *D. arborea* = L. sp: I. p. 2. *Brugmansia candida* Pers: ench: I. p. 216. (*Amer*: austr:). Frutex in calidariis nostris 3-4-pedalis crassiusculus ramosissimus, folia ovato-oblonga integerrima pubescentia vel glabra (in *D. suaveolenti* W.); flores maximi candidi suaveolentes, fructus glabri nutantes.

2. *Capsulis echinatis.*

❋ 2. *D. Stramonium* = L. sp: I. 255. = Spr: syst: I. 627. = Oed: fl: dan: t. 436. Ic: taur: vol. 2. t. 87. (*Eur*:, *Asia*, *Amer*: passim. *Pedem*: in ruderatis et ad vias All: n. 374. sub *Stramonio fœtido*. Re fl: tor: I. p. 140. Biroli fl: acon: I. p. 76. *Sardin*: in ruderatis Moris st: sard: I. p. 33.). Ann: Diffusa glabra, folia magna ovato-oblonga sinuato-dentata, corolla mediocris alba rarius extus rubella, fructus erecti echinato-spinosi spinis divergentibus. Planta fœtens virulenta.

3. *D. Metel* = L. h. Cliff: 55. (*Asia* austr:, *Afr*:, ins: *Canar*:, *Sicil*: *Sardin*: in saxosis juxta *Flumendosa Ballan* Moris st: sard: I. p. 33.). Ann: Undique pubescens, folia ovata basi oblique cordata, corolla mediocris alba fundo virescente, lineis flavidis, fructus nutantes. Habeo ex seminibus sub nomine *D. hybridæ* plantam *D. Metel* simillimam sed evidentius pilosam.

XIII. Nicotiana Lin: gen: ed: Schreb: n. 334. excl: 1. stirpe. = Spr: syst: n. 651. = Lam: ill: t. 113.

» *Cal*: tubulosus 5 - fidus. *Cor*: infundibuliformis » limbo 5-fido sub-plicato laciniis acutis vel obtusis. » *Stigm*: capitatum. *Caps*: 2 - locularis calyce persi- » stente tecta septicido - 2 - valvis, valvulis apice 2 - » partibilibus, placentis ad dissepimentum transver- » sis. *Sem*: creberrima minuta. »

Obs: Genus constans 20. circiter stirpibus, quarum 1. tantum europæa, ceteræ exoticæ præsertim ex *Amer*: austr:, nonnullæ valde dubiæ, et forsan varr: vel hybridæ. Herbæ aut suffrutices sæpissime glutinoso-pilosæ, foliis oblongis sub-integerrimis, floribus terminalibus racemosis vel paniculatis. Cons: Lehm: hist: Nicot:

1. *N. Tabacum* = L. sp: 258. (*Amer*: æquin:). Ann: Glabra, folia magna ovato - oblonga acuminata sub - decurrentia, bracteæ lineari - lanceolatæ, calyx viscidus inæqualis, corollæ faux inflata, laciniæ acuminatæ roseæ. Nunc undique culta (ubi permittitur) ad *Tabacum* conficiendum. Variat multimode præsertim cultura. Cons: Schrank: in R. et S. syst: IV. p. 315. = 2. *N. glauca* = Grah: et bot: mag: t. 2837. (Patria?). Suffrut: Glaberrima glauca, folia ovato - lanceolata nitida petiolata, panicula terminalis amplissima, calycis laciniæ acutæ sub-inæquales, corollæ aureæ tubus longissimus extus villosiusculus, limbus brevis laciniis rotundatis. Stirps inter omnes pulcherrima, culta in h. Ripul: cum aliis quamplurimis ad ornamentum.

XIV. Petunia Juss: ann: mus: II. p. 214. t. 47. = Spr: syst: n. 652. = *Nicotianæ* sp: Lam: et Lehm:

» *Cal*: profunde 5-partitus. *Cor*: infundibuliformis » limbo 5-lobo, lobis brevibus inæqualibus. *Stam*: » inæqualia. *Stigm*: 2-lobum. *Caps*: 2-locularis apice » 2-valvis. »

Obs: Genus vix a *Nicotiana* distinctum, constans 2-3. stirpibus ex *Amer*: austr:, inter quas sequens novissima.

1. *P. viscosa* = Miers sec: Berter: ined: « Herba- » cea undique pilis glanduloso-viscosis obsita, foliis » sparsis oppositisve integerrimis inferioribus lanceo- » latis petiolatis superioribus angustioribus sub-ses- » silibus, pedunculis 1-floris foliis brevioribus, co- » rollæ tubo calyce duplo longiore. » Nob: Culta in h. Ripul: ex seminibus missis a Bertero *Chili* lectis in sylvaticis sabulosis collium *Quillota* (Colla pl: rar: chil: ined:).

XV. Hyosciamus Lin: gen: ed: Schreb: n. 333. = Spr: syst: n. 650. = Lam: ill: t. 117.

» *Cal*: tubulosus inferne ventricosus 5-fidus. *Cor*: » infundibuliformis, tubo brevi, limbo oblique inæ- » qualiter 5-fido interdum lateraliter fisso. *Stam*: sub- » inæqualia inclinata. *Stigm*: capitatum. *Caps*: oper- » culata circumscissa, receptaculis dimidio ovatis dis- » sepimento affixis. »

Obs: Genus constans 12. circiter stirpibus europæis vel asiaticis. Herbæ luridæ narcoticæ habitu proprio, foliis plerumque ovatis vel cordatis integris vel plus

minus sinuatis, inflorescentia varia, floribus sæpius colore vario lineatis.

✱ 1. *H. niger* = L. h. Cliff: 56. = Spr: syst: I. 615. = Fl: dan: t. 1452. Ic: taur: vol. 11. t. 88. Vern: *Giusquiamo*, *Erba dl' mal dj dent* (*Eur*: fere tota. *Pedem*: abunde locis pinguibus ruderatis et suburbanis ALL: n. 375. RE fl: segus: p. 21. et fl: tor: I. p. 140. BIROLI fl: acon: I. p. 76. *Sardin*: ad vias et ad muros MORIS st: sard: I. p. 33.). Ann: vel bienn: Elatus pilosiusculus, folia sub-decurrentia inæqualiter sinuato-dentata, spicæ terminales simplices foliosæ, flores sub-secundi sordide flavescentes venis violaceis vel lividis. Tota planta fœtidissima. *H. agrestis* KIT: non differt nisi statura minori, foliis glabriusculis, floribus axillaribus non reapse spicatis, corollis dilutioribus magis albicantibus.

✱ 2. *H. albus* = L. h. Cliff: 56. = Spr: syst: I. 615. = Lam: ill: t. 117. f. 2. Ic: taur: vol. 2. t. 89. et vol. 21. t. 85. (*Eur*: austr: In *Liguria* et comit: *Nicæensi* ALL: n. 376. Secus *Verbanum* potius rarus BIROLI fl: acon: I. p. 76. *Genuæ* in mæniis maritimis, et in litore *alla Foce* BERTOL: am: ital: p. 133. Ex prov: *Albensi* retulit BERTERUS. In *Sardin*: ad muros MORIS st: sard: I. p. 33.). Distinguitur a *H. nigro* præsertim foliis petiolatis sub-cordatis, floribus axillaribus sæpe pedunculatis, corolla demum alba 1-colore.

✱ 3. *H. aureus* = L. h. Cliff: 56. = Spr: syst: I. 615. = Sibth: fl: gr: t. 231. Ic: taur: vol. 21. t. 83. (*Eur*: austr:, *Creta*, *Oriente*. Ad muros *Uneliæ* et *Nicææ* ALL: n. 377.). Bienn: Totus piloso-visco-

sus, folia petiolata ovato-oblonga sinuato-dentata undulata, flores axillares pedunculati, corolla aurea fundo violacea lateraliter fissa, lobis 3. majoribus undulatis.

Species dubia.

4. *H. pictus* = Bernh: sec: Steud: Nullibi inveni enumeratam hanc stirpem sub allato nomine, nisi a Steud: Videtur valde accedere ad *H. agrestem*, qui forsan var: *H. nigri* n. 1., sed nonnullis notis recedit; phrasis hæc erit: « *H.* caule erecto simplicissimo » villosiusculo, foliis sub - sessilibus glabriusculis ad » venas tantum subtus villosiusculis ovato - oblongis » sinuato - dentatis, floribus sub - sessilibus, corolla » sub-campanulata (alba violaceo-picta fundo atrato » 1-colori) limbo patulo laciniis sub - æqualibus ro- » tundatis. » Nob: Hab: . . . ?

Obs: geographica circa *Solaneas.*

Soloneæ per orbem sparsæ circiter . . . 480

Solaneæ pedemontanæ.

Lycium	1
Solanum	3
Physalis	1
Atropa	1
Mandragora	1
Datura	1
Hyosciamus	3
	11

Ordo CXXV.

SCROPHULARINÆ

(R. Br: prodr: p. 433. et Bartl: ord: nat: p. 169. = *Pediculares* sect: I. II. excl: *Polygala* et *Piripea* tum *Scrophulariæ* excl: *Columnea*, *Besleria*, et *Cyrtandra* Juss: gen: = *Personatæ*, *Antirrhineæ* et *Rhinanthaceæ* quorund: = J. S. Hill: fam: I. p. 227. t. 40. pro *Rhinanthaceis* et p. 272. t. 45. pro *Personatis*).

Char: essentialis.

» *Cal*: liber persistens sæpe 4-5-divisus. *Cor*: ir- » regularis 4-5-fida sæpissime 2-labiata ringens seu » personata lobis æstivatione imbricatis. *Stam*: tubo » corollæ inserta ejusdemque laciniis alterna libera » quandoque 2. vel 4. æqualia, sæpius 4. didynama » (an *stam*: 5. quorum 1. vel 3. abortiva?), anthe- » ris 2 - raro 1-locularibus loculis rima dehiscentibus. » *Ovar*: 2. connata. *Styl*: 1. *Stygm*: 2-lobum aut rarius » simplex. *Fructus* capsularis 2 - locularis (rarissime » sub-baccatus indehiscens) 2-4-valvis, dissepimento » modo valvulis paralello modo eisdem opposito, pla- » centis adnatis vel demum solutis. *Sem*: numerosa » scrobiculata vel striata albuminosa quandoque aril- » lata. *Embr*: rectus. *Radic*: juxta hilum minutum » posita centripeta rarius eidem contraria et tunc » supera centrifuga. *Cotyl*: foliaceæ. »

Obs: Ordo habitu naturalissimus et vastissimus, constans 80. generibus circiter satis determinatis, 30. fere quoad ordinem dubiis, varie ab Auctoribus divisis in plures ordines, melius tamen ne affinitas removeatur in unum retinendis, admissis sectionibus a cl: BARTLING statutis, quas commodiores arbitror. Herbæ, rarius frutices per orbem sparsi, caule tereti enodi vel tetragono nodoso, foliis in hisce oppositis vel verticillatis in illis sparsis simplicibus integris vel varie incisis sessilibus vel in petiolum attenuatis, floribus sæpissime axillaribus inter folia superiora non raro in bracteas permutata.

Trib: I.

VERBASCEÆ

» *Cor*: sub-regularis non ringens. *Stam*: 5. uno » interdum sterili vel deficiente, antheris 1-loculа» ribus. *Dissepim*: duplicatum ex endocarpio ortum. » *Sem*: exarillata raphe et calaza destituta. *Radic*: » centripeta. »

I. VERBASCUM Lin: gen: ed: Schreb: n. 331. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 654. = Lam: ill: t. 117. (*Pent*: *mon*: L., inter *Solaneas* Juss:).

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: rotata limbo sub-inæqua» liter 5-lobato. *Stam*: 5. sub-inæqualia filamentis » inclinatis sæpius basi barbatis. *Caps*: 2-valvis val» vulis inflexis in placentam incrassatis. »

Obs: Genus transitum efficiens a *Solaneis* ad *Scrophularinas*, nunc constans 50. circiter stirpibus valde inter se affinibus et extricatu difficillimis, fere omnibus europæis, paucis ex *Asia* vel *Africa* bor:, bienn: raro perenn:, foliis decurrentibus vel sessilibus, floribus plerumque racemosis conspicuis sæpius flavis.

A. *Foliis decurrentibus.*

✻ 1. *V. Thapsus* = L. h. Cliff: p. 55. = Spr: syst: I. 618. = Fl: dan: t. 631. Ic: taur: vol. 2. t. 96. Vern: *Fior d' Luvion*, *Erba d' Lion*, *Candlè* etc. (*Eur*: fere tota. Vulgare secus vias et in pascuis saxosis agri *Pedem*: atque etiam secus fossas All: n. 378. Re fl: segus: p. 21. Secus *Sturam* prope *Venariam* et rarissime prope *Taurinum* inter *Valentinum* et *Portam Padi* Re fl: tor: I. p. 136. Ad vias glareosas Biroli fl: acon: I. p. 75. In pascuis *Sardin*: med: Moris st: sard: I. p. 34.). Bienn: Sub-simplex dense tomentosum, foliorum decurrentia valde protensa ut caulis alatus adpareat, unde *V. alatum* salutavit cl: Lam: fl: fr: I. p. 259., qua nota, monente cl: Re in fl: tor: l. c., facile distinguitur a seq:, quod dicit confusum fuisse ab All: aliisque Botanicis pedemontanis cum vero *V. Thapso* L. rarissimo in *Pedem:* Variat caulis simplicitate et altitudine, foliis superioribus acuminatis, foliis viridibus, florum magnitudine etc. Huc pertinet sec: Spr: *V. thapsoides*. Cons: tamen Schrad: monogr: Verbasc: p. 21. t. 5. f. 2.; hoc invenitur in locis saxosis et collinis præsertim ad oras sylvarum (All: n. 379.). Caulis magis ramosus quam in typo.

❋ 2. *V. phlomoides* = L. sp: 253. = Spr: syst: I. 619. = Mill: ic: t. 273. (Cum priori. In aridissimis et saxosis comit: *Nicæensis* et *Liguriæ*, abunde circa *Ormea* et *Villafranca*, in sterilibus agri *Canapiciensis* non procul a *Candia* All: n. 380. Nihil frequentius ad vias circa *Taurinum*, *Venariam* alibique, et vulgo falso pro *V. Thapso* creditum Re fl: tor: I. 137. *Sardin*: in pascuis montanis vulgatissimum Moris st: sard: II. p. 7.). Distinguitur a priori, cui valde affine, præsertim foliis vix decurrentibus nec alis protensis. Variat fl: flavo et rarissime albo. Huc, sed forsan perperam, refert Spr: *V. rotundifolium* Tenor: quod humaniter communicatum a cl: Auctore, prima facie differt foliis omnibus petiolatis rotundatis ac albo - non flavo - tomentosis. Cons: insuper syll: fl: neap: p. 111.

❋ 3. *V. sinuatum* = L. sp: 254. = Spr: syst: I. 618. = Sibth: fl: gr: t. 227. Ic: taur: vol. 19. t. 97. (*Eur*: austr:, *Afr*: bor: *Pedem*: in saxosa ripa *Padi* inter *Valentinum* et *Portam Padi*, ad maris litus et *Savonæ* frequens uti in comit: *Nicæensi* All: n. 383. *Genuæ* ubique in viis campestribus Bertolon: pl: gen: ed: 1. p. 39. n. 77. *Sardin*: ad vias frequens Moris st: sard: I. p. 33.). Statim distinguitur foliis radicalibus et caulinis inferioribus obtuse sinuato-pinnatifidis, superioribus oblongis crenulatis vix decurrentibus, caule paniculato multifloro.

B. *Foliis non decurrentibus.*

❋ 4. *V. floccosum* = Kit: pl: rar: hung: I. p. 81. = Spr: syst: I. 819. = Kit: l. c. t. 39. (*Hungar*:,

Eur: austr: *Pedem*: frequens ad arvorum margines Re fl: tor: I. p. 138., ad fossas inter *Venariam* et *Taurinum* Re app: alt: p. 195. *Albæ* secus *Tanarum* prope *Pollenzo* reperit Berterus et dedit sub nomine *V. pulverulenti*). Folia oblonga acuta crenulata floccosa densissime lanata, caulis ramosissimus, florum fasciculi racemosi, filamenta omnia barbata. Huc pertinet *V. pulverulentum* Sm: et Botanic: Ital: non Vill: quod in *Pedem*: non invenitur sec: Re l. c. et app: I. p. 15., nec non *V. mixtum* DC. sec: Spr: Possideo sub hoc nomine specim: lectum a cl: Re secus viam in regione *della Mandria* dicta *Vanseuja*, sed folia refert radicalia longissime petiolata superiora sub-sessilia omnia subtus tantum albo-tomentosa superne viridia, nec omnino quadrat cum vero *V. floccoso*; potius accedere videtur ad *V. nigrum*.

❋ 5. *V. Lychnitis* = L. sp: 253. = Spr: syst: I. 619. = Fl: dan: t. 586. Ic: taur: vol 2. t. 95. 97. 100. et vol. 13. t. 54. (*Eur*: fere tota. *Pedem*: vulgare locis aridis et ad vias All: n. 382. Re fl: segus: p. 21. et fl: tor: I. p. 137. Biroli fl: acon: I. p. 75.). Folia ovato-oblonga superne nudiuscula inferiora petiolata duplicato-crenata superiora sub-sessilia vix crenulata, panicula ramosa, fasciculi florum remotiusculi, pedicelli calyce longiores, flores quandoque albi, filamenta omnia barbata flavescentia. Huc referendum sec: Spr: *V. Alopecurus* Thuill: quod differt tamen spica elongata sub-simplici, filamentis purpureis. Cons: insuper DC. fl: fr: n. 2676.

❋ 6. *V. majale* = DC. fl: fr: suppl: n. 2673. = Spr: syst: I. 620. = Ic: ? (*Gallia* austr: Circa *Nicæam*

fide cl: DC.). Folia oblongo-lanceolata acuta supra virentia subtus albida tomento deciduo inæqualiter dentata inferiora petiolata superiora sessilia, caulis simplicissimus demum purpurascens, spica simplex, filamenta 3. flavo-pilosa 2. longiora glabra.

* 7. *V. nigrum* = L. syst: XII. p. 169. = Spr: syst: I. 620. = Fl: dan: t. 1088. Ic: taur: vol. 13. t. 53.? (*Eur*: fere tota. *Pedem*: passim secus viam quæ ab *Aug: Taurin*: ducit ad pagum *di Lanzo*, frequens in asperis lapidosis apricis ad radices montium subalpinorum All: n. 382. Re fl: segus: p. 21. Prope *Venariam* sed rarum Re fl: tor: I. p. 138. Secus *Ticinum alla Costa* Biroli fl: acon: I. p. 75.). Perenn: Foliis radicalibus ovato-oblongis longe petiolatis cordatis dignoscitur præcipue a seq: cum quo confusum fuerat a Botanicis nostris utpote frequentius. Huc pertinet secus R. et S. syst: IV. p. 345. *V. parisiense* Thuill:, quod reapse vix differt foliis caulinis obverse ovatis acuminatis.

* 8. *V. rubiginosum* = Kit: pl: rar: hung: II. = Spr: syst: I. 621. = Kit: l. c. t. 197. (*Hungar*:, *Podol*: *Pedem*: vulgatissimum in sylvis *della Mandria* Re fl: tor: I. p. 138. Frequens prope *Venariam* et in universis vallibus *di Lanzo* Re app: alt: p. 194.). Valde priori affine, sed foliis radicalibus oblongioribus non cordatis ac brevius petiolatis satis distinctum. Huc, nec ad *V. floccosum* refert cl: Re *V. mixtum* DC.

* 9. *V. Blattaria* = L. sp: 254. = Spr: syst: I. 620. = Engl: bot: t. 393. Ic: taur: vol. 2. p. 102. (*Eur*: fere tota. *Pedem*: copiose in alveis siccis tor-

rentium et ad vias in collinis et montanis All: n. 385. Re fl: segus: p. 21. et fl: tor: I. p. 193. Biroli fl: acon: I. p. 75. *Sardin*: in arvis *Oristano*, *Pula* Moris st: sard: I. p. 33.). Ann: vel bienn: Glabriusculum, folia sub-sessilia inæqualiter crenata radicalia sub-lyrata caulina sub-cordata, racemi simplices elongati, pedunculi 1-flori calyce longiores, stamina æqualia.

* 10. *V. Chaixii* = Vill: delph: II. p. 491. = Spr: syst: I. 621. sub *V. gallico* ex W. = Vill: l. c. t. 13. (*Gallia* austr: *Pedem*: locis montanis saxosis apricis All: auct: p. 8. n. 382. *). Folia radicalia pinnatifida, ceterum a *V. nigro* n. 7. vix distinctum.

* 11. *V. phœniceum* = L. syst: XII. p. 169. = Spr: syst: I. 621. = Jacq: fl: austr: t. 125. Ic: taur: vol. 2. t. 101. (*Eur*: med: *Pedem*: in collibus aridis apricis *Montisferr*: et *Astens*:, in colle *Taurin*: *Superga* dicto, circa *Segus*:, in agro *M. Calerii* prope villam Monacorum *S. Bernardi*, in collibus oppidi *la Morra*, in ericetis *Canapiciensib*: All: n. 384. In pascuis aridis ac declivibus *di Borgone* in regione dicta *di Pietra Cullera* Re fl: segus: p. 21. In parvo pascuo supra *l'Idraulica* atque in pascuis *della Mandria*, *di Alpignano* et *della Molinetta* Re fl: tor: I. p. 139. In ericetis *Ticini* ubique Biroli fl: acon: I. p. 75.). Glabriusculum, folia radicalia ovata vix crenata brevi-petiolata caulina cordato-oblonga sessilia, racemus simplex, pedunculi elongati solitarii 1-flori, corolla saturate purpurea, filamenta inæqualia barbata. Huc pertinet *V. cisalpinum* Biroli. Cons: Colla obs: in act: Acad: Taur: vol. XXVII. p. 507.

Species dubiæ

12. *V. ramosum* = Schrad: ined: Ita in scheda specim: ex hb: Biroli. Sub hoc nomine nullibi video enumeratam hanc speciem; nec ad *V. ramosissimum* Poir: nec ad *ramigerum* Link:, quæ ad *V. Lychnitis* amandat cl: Spr:, ipsa pertinere potest; si nova, sequenti modo definienda: « *V.* undique albido-tomen- » tosum, foliis oblongis sub-decurrentibus repando- » denticulatis obtusis, racemo altissimo (2-pedali) » simplici, florum glomerulis approximatis, pedicellis » calycem lanatum sub-æquantibus. » Nob: (Patria?).

13. *V. Hornemanni* = Besser: sec: Steud: « *V.* » caule villoso tereti ramoso, foliis lanceolato-ovatis » cordato-amplexicaulibus crenulatis glabriusculis, » racemo simplici, pedunculis sub-solitariis alternis » remotiusculis 2-bracteatis calyce villoso breviori- » bus. » Nob: (Patria?).

14. *V. adulterinum?* Ita in scheda ex hb: Biroli. » *V.* undique floccoso-tomentosum, foliis lanceolatis » acutis integerrimis subtus reticulato-venosis, race- » mo simplici, florum glomerulis approximatis, pe- » dicellis inæqualibus. » Nob: (Patria?).

II. Ramondia Rich: apud Pers: syn: I. p. 216. = Spr: syst: n. 629. = Mill: dict: n. 13. t. 277. sub *Verbasco* (*Pent*: *monog*: et *Solaneæ* Spr:, *Gesnerieæ* Bartl:, *Scrophularieæ* Juss:).

» *Cal*: et *cor*: *Verbasci*, sed hæc basi ad loborum » sinus hirsuto-maculata. *Stam*: 5. æqualia approxi-

» mata antheris apice perforatis. *Caps*: 2-valvis val-
» vulis margine introflexis septiferis. »

Obs: Genus constans unica stirpe rite characteribus allatis a *Verbasco* dirempta.

❀ 1. *R. pyrenaica* = Rich: l. c. = Spr: syst: I. 583. = Bot: mag: t. 236. sub *Verbasco Myconi* (*Pyrenæis. Pedem*: rara in umbrosa sylva alpis pago *Pralles* imminentis All: n. 386.). Plantula perennis facie potius *Primulæ* quam *Verbasci*, foliis omnibus radicalibus rotundato-ovatis rosulatis late et profunde crenatis, subtus margine et secus petiolum rufo-barbatis supra albo-tomentosis, scapo pubescente plerumque 1- raro 2-5-floro, corollis purpureis.

III. Celsia Lin: gen: ed: Schreb: n. 1015. = Spr: syst: n. 2188. = Lam: ill: t. 532. (*Didyn*: *angiosp*: L., *Solaneæ* sect: I. Juss: gen:, *Personatæ Scrophularinæ* Spr:).

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: rotata inæqualiter 5-loba.
» *Stam*: 4. didynama filamentis barbatis. *Caps*: 2-lo-
» cularis dissepimento placentifero. »

Obs: Genus facie *Verbasci* sed staminibus didynamis præsertim distinctum, constans 8. circiter stirpibus herbaceis raro suffruticosis ex *Oriente* vel *Afr*: bor:, 2. tantum etiam europæis.

❀ 1. *C. orientalis* = L. sp: 866. = Spr: syst: II. 809. = Buxm: cent: I. p. 14. t. 20. Ic: taur: vol. 14. t. 89. sub *Verbasco* (*Asia* min:, *Græcia. Pedem*: circa *Augustam Prætoriam* All: n. 387.). Ann: Glabra, folia 2-pinnatifida laciniis lanceolatis dentatis, race-

mus simplex, pedunculi 1-flori flore breviores, corolla luteola.

2. *C. Arcturus* = L. syst: veg: p. 469. (*Creta*, *Asia* min:, *Ind*: orient: *Sardin*: in saxosis sterilibus Moris st: sard: I. p. 33.). Bienn: Glabriuscula, folia radicalia lyrata caulina opposita petiolata ovato-oblonga foliolis lateralibus minutis adaucta summa gradatim minora sub-sessilia, racemus elongatus simplex, pedunculi 1-flori flore luteo amplo valde longiores.

Species dubia.

3. *C. sinuata* = Targion: ind: sem: et Colla h. Ripul: app: II. p. 344. (Patria?). « *C.* undique gla-
» berrima; foliis alternis, inferioribus oblongis pe-
» tiolatis sinuato-pinnatifidis laciniis rotundatis cre-
» nulatis, superioribus ovato-lanceolatis sub-ample-
» xicaulibus dentatis; racemo elongato simplici; pe-
» dunculis flore duplo longioribus, laciniis calycinis
» ovatis integerrimis. » Nob: Affinior videtur *C. laciniatæ* Poir: dict: II. p. 147. n. 8., sed differt foliorum laciniis obtusis *rotundatis* nec *acutis*, pedunculis bracteis multoties *longioribus* nec illos *sub-æquantibus*, calyce demum *glaberrimo* nec *hirsutiusculo*.

IV. Hemimeris Lin: gen: ed: Schreb: n. 1016. excl: 1. spec: = Spr: syst: n. 2187. = Lam: ill: t. 532. (*Didyn: angiosp*: L., *Scrophularieæ* sect: I. Juss:, *Personatæ Scrophularinæ* Spr:).

» *Cal*: 5-partitus æqualis. *Cor*: rotata 2-labiata 2/3.

» *Stam:* 4. didynama, filamentis declinatis glabris,
» antheris didynamis. *Caps*: 2-locularis placenta septo
» adnata. »

Obs: Genus *Celsiæ* affine sed corolla evidentius 2-labiata ac filamentis glabris præcipue distinctum, nunc constans stirpibus 7 - 8. ex *Amer*: austr: fruticulosis vel herbaceis, foliis simplicibus ovatis vel oblongis, pedunculis solitariis axillaribus vel racemosis, floribus plerumque miniatis conspicuis.

1. *H. urticæfolia* = W. sp: III. 282. (*Amer*: austr:). Suffrut: Glabra, folia opposita vel alterna petiolata ovata acuta inciso - serrata, racemi terminales, pedunculi elongati 1-flori, flores læte coccinei. Possideo specim: missum a BERTERO e *Chili* sine nomine specifico, quod forsan cl: Inventor credidit stirpem novam constituere; sed ab *H. urticæfolia* quam idem Auctor refert in Merch: chil: n. XIV. p. 647., non videtur differre nisi foliis omnibus alternis, character fallacissimus in hocce genere. = 2. *H. coccinea* = W. l. c. 283. (Cum priori). Differt foliis omnibus linearibus vel lineari-lanceolatis plerumque ternis remotissime denticulatis, pedunculis longioribus, floribus majoribus. Utraque culta in h. Ripul:

V. SCROPHULARIA Lin: gen: ed: Schreb: n. 1014. = Spr: syst: n. 2162. = Lam: ill: t. 533. (*Didyn*: *angiosp*: L., *Scrophularieæ* sect: I. Juss: gen:, *Personatæ Scrophularinæ* Spr:).

» *Cal*: 5 - fidus. *Cor*: ventricosa, limbo contracto
» 2-labiato, labio superiore 2-lobo appendice intus
» sæpe interjecta, inferiore breviori 3-lobo. *Stam*: 4.

» didynama filamentis declinatis. *Caps*: acuminata » valvis introflexis dissepimentum formantibus. »

Obs: Genus facillime ex corollæ structura determinandum, sed pro numerosis stirpibus (50. circiter) extricatu valde difficile. Herbæ vel rarius suffrutices per orbem sparsi, caule tetragono, foliis sæpius oppositis simplicibus integris vel vario modo incisis aut pinnatis, pedunculis 2-bracteatis, floribus solitariis racemosis vel paniculatis.

A. *Foliis simplicibus indivisis.*

❋ 1. *Scr*: *ramosissima* = Lois: fl: gall: II. p. 381. = Spr: syst: II. 784. et DC. fl: fr: suppl: p. 406. = Ic: ? (*Corsic*:, *Gallo-prov*: In agro *Nicæens*: DC. l. c. *Sardin*: in arenosis maritimis *Oristano* Moris st: sard: II. p. 7.). Suffrut: Humilis ramosissima glabra, folia oblonga obtusa serrulata succulenta, pedunculi simplices 1-flori, ex quibus præsertim distinguitur a *Scr*: *frutescente* L. sæpe cum *ramosissima* confusa, in qua pedunculi 2-fidi multiflori, flores parvi atro-purpurei.

B. *Foliis cordatis.*

❋ 2. *Scr*: *peregrina* = L. sp: II. 866. = Spr: syst: II. 784. = Camer: hort: 157. t. 43. (*Ital*:, *Gallo-prov*: In umbrosis agri *Nicæens*: All: n. 254. *Sardin*: ad vias et margines sylvarum Moris st: sard: I. p. 35.). *Scr*: *marilandicæ* L. affinis, sed differt radice annua, foliis ovatis, pedunculis axillaribus.

❋ 3. *Scr*: *nodosa* = L. mat: med: 256. = Spr:

syst: II. 784. = Blackw: t. 87. Ic: taur: vol. 5. t. 40. Vern: *Erba dle moroide, d' S. Felice, dle tajure* etc. (*Eur:* fere tota. *Pedem*: passim ad vias et sepes in collinis et montanis All: n. 348. Re fl: segus: p. 53. et fl: tor: I. p. 336. Biroli fl: acon: I. p. 215.). Perenn: Glabra, folia cordato-oblonga acuta argute serrata 3 - nervata, panicula ramosa ramis racemosis, radix nodosa.

* 4. *Scr*: *aquatica* = L. h. Ups: 177. = Spr: syst: II. 784. = Blackw: t. 86. Ic: taur: vol. 5. t. 42. (*Eur*: fere tota. *Pedem*: ubique ad fossas et aquas lente fluentes et arva sub-humida All: n. 249. Re fl: segus: p. 53. et fl: tor: I. p. 326. Biroli fl: acon: I, p. 215.). Differt a priori foliis angustioribus vix cordatis, radice fibrosa nec nodosa, pedunculis axillaribus racemosis.

5. *Scr*: *rivularis* = Moris st: sard: II. p. 8. *Scr*: *oblongifolia* Loisl: (*Sardin*: juxta rivulos in montibus). Priori valde affinis, et primum cum ipsa confusa a cl: Morisio fasc: I. p. 34.; sed differre postea agnovit præsertim caule petiolorumque ala magis conspicua, foliis dentibusque obtusis, corolla obscure purpurea labello virescente.

* 6. *Scr*: *vernalis* = L. mant: 418. = Spr: syst: II. 784. = Barrel: ic: 273. Ic: taur: vol. 15. t. 1. (*Ital:*, *Helvet:*, *Austria*. *Pedem:* in montibus *Vinadii* prope balnea, circa *Limone*, passim in *Liguria* locis sylvestribus et umbrosis, copiose in montibus *Monregalensib*: et *S. Michaëlis Maurianens*: All: n. 253.). Bienn: Puberula, folia cordato-ovata sub-sinuata inæqualiter duplicato-dentata, pedunculi axillares corym-

bosi, flores lutei. Variat bracteis linearibus integris vel ovatis dentatis (var: β W. sp: III. 275.).

❋ 7. *Scr: Scorodonia* = L. sp: 864. = Spr: syst: II. 784. = Moris: hist: II. p. 482. s. 5. t. 35. f. 6. Ic: taur: vol. 19. t. 56. (Ins: *Jersey*, *Cornubia*, *Ital*: Agro *Nicæensi* All: n. 351.). Perenn: Villosiuscula, folia cordato-oblonga subtus villosa sub-lobata lobis serratis, panicula elongata foliosa ramis racemosis, flores parvi purpurei.

❋ 8. *Scr: betonicæfolia* = L. mant: 87. = Spr: syst: II. 785. = Barr: ic: 274. (*Lusitan:*, *Ital*: Ex agro *Nicæens*: missa All: n. 212.). Vix differt a priori caule petiolisque purpurascentibus, foliorum dentibus integerrimis, panicula sub-nuda seu vix foliolosa.

C. *Foliis appendiculatis vel ternatis.*

❋ 9. *Scr: Balbisii* = Hornm: in Spr: syst: II. 785. = *Scr: auriculata* All: n. 250. non L. = Ic: taur: vol. 19. t. 57. (*Italia.* Ad fossas in agro *Nicæens*: All: n. 250.). Perenn: Folia oblonga obtusa grosse crenata utrinque glabra dilatato-petiolata appendiculata, panicula terminalis ramis corymbosis. Vera *Scr: auriculata* L. (Lobel: ic: 533.) *Hispaniæ* incola differt ab *auriculata* All: foliis duplicato-dentatis subtus hirsutis, petiolis rotundatis.

D. *Foliis incisis laciniatis.*

10. *Scr: variegata* = M. B. Casp: p. 116. n. 20. (*Caucaso*). Suffrut: Sub-pubescens, folia profunde

pinnati-secta laciniis decurrentibus sinuatis, racemi terminales elongati pedicellis inæqualibus, flores minimi albidi.

E. *Foliis pinnatis.*

11. *Scr: mellifera* = Vahl: symb: II. p. 88. (*Corsic:*, *Afr*: bor: *Sardin*: ad sepes in humidis montanis Moris st: sard: II. p. 7.). Perenn: Glabra elata, foliola ovata dentata sub-petiolata, pedunculi axillares et terminales cymosi, flores ampli ex viridi purpurascentes. = 12. *Scr: sambucifolia* = L. sp: 865. (*Hispan:*, *Lusitan:*, *Oriente.* Ad vias in *Sardin*: med: Moris st: sard: I. p. 35.). Perenn: Villosiuscula, folia pinnata vel ternata foliolis oblongis inæqualiter sinuatis, racemus terminalis pedicellis racemulorum 2-3-floris, flores ampli purpurei.

❋ 13. *Scr: canina* = L. h. Cliff: 322. = Spr: syst: II. 786. = Lobel: ic: II. 55. Ic: taur: vol. 5. t. 43. Vern: *Louvet* (*Eur:* austr: *Pedem*: ubique in arenosis fluminum et torrentium All: n. 255. Nihil vulgatius in pascuis saxosis et arenosis Re fl: segus: p. 53. In *M. Musiné* Re fl: tor: I. p. 327. In glareosis *Aconiæ*, *Terdopii* etc. Biroli fl: acon: I. p. 215. *Sardin*: in aridis saxosis Moris st: sard: I. p. 35.). Ann: Glabra, folia pinnata foliolis lanceolatis varie incisis, panicula terminalis elongata ramis dichotomis filiformibus pedicellis 1-floris in dichotomia et secus ramos solitariis, flores parvi purpurascentes. Variat foliis minoribus acute profunde dentatis inferioribus 2-pinnatifidis, floribus minimis (var: *β Scr: lucida* Pall: non

L. sec: W. sp: III. p. 277.); hanc ipse legi in collibus *Bugellensib*: Huc pertinet sec: STEUD: *Scr*: *juratensis* SCHLEICH:; specim: meum ex PERRET non differt.

✻ 14. *Scr: lucida* = L. syst: nat: XII. p. 414. = Spr: syst: II. 786. = Bocc: mus: II. p. 166. t. 117. Ic: taur: vol. 24. t. 66. (*Ital*:, *Græcia*, *Tauria*, *Asia* min: In agro *Nicæens*: locis sabulosis ALL: n. 256.). Bienn: vel. perenn: Glaberrime sub-carnosa, folia pinnata foliolis pinnatifidis segmentis ovatis denticulatis, panicula terminalis foliosa ramis dichotomis, flores parvi purpurei.

15. *Scr*: *sub-verticillata* = Moris st: sard: II. p. 8. (*Sardin*: juxta rivulos circa *Ozieri*, *Bono* MORIS l. c.). Perenn: Glanduloso-punctata glabra, folia sub-pinnata duplicato-dentata foliolo supremo ovato-lanceolato valde majori, racemus terminalis elongatus sub-nudus, racemuli valde distantes cymæformes rachidem eodem puncto fere tegentes ut racemus verticillatus adpareat.

Trib: II.

ANTIRRHINEÆ

» *Cor*: ringens. *Stam*: didynama rarius diandra in-
» terdum 1. in primis 3. in secundis sterilibus ad-
» jectis, antheris 2-locularibus loculis discretis diva-
» ricatis. Cetera ut in *Verbasceis*. »

VI. CHELONE Spr: syst: n. 2196. = *Chelone* et *Pentstemon* L. = Lam: ill: t. 528. (*Didyn: angiosp*: L., *Personatæ Scrophularinæ* Spr:).

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: ventricosa 2-labiata. *Stam:* » didynama cum filamento 5. sterili glabro (in *Chelone*), vel superne barbato (in *Pentstemone*). *Caps*: » dissepimento lateribus placentifero. »

Obs: Genus satis naturale, constans, incluso *Pentstemone*, 20. circiter stirpibus herbaceis vel rarius fruticulosis, omnibus americanis, foliis oppositis oblongis indivisis, floribus racemosis vel paniculatis plerumque conspicuis.

A. *Filamento 5. glabro*
(*Chelone* L.).

1. *Ch: glabra* = L. h. Cliff: 493. (*Amer*: bor:). Perenn: Glaberrima, folia brevi-petiolata lanceolata argute serrata, panicula terminalis simplex densa, flores ampli albi vel purpurei in var: *β* (*Ch*: *obliqua* L.), quæ refert quoque folia latiora. In hortis europæis culta sub dio ornamenti gratia.

B. *Filamento 5. superne barbato*
(*Pentstemon* L.).

2. *Ch*: *campanulata* = Cav: ic: I. p. 18. t. 29. (*Mexico*). Perenn: Glabriuscula, folia lineari-lanceolata acuta argutissime serrata, panicula terminalis

elongata debilis, flores sub-campanulati purpurei. Colitur in ollis.

VII. Digitalis Lin: gen: ed: Schreb: n. 1017. = Spr: syst: n. 2163. = Lam: ill: t. 525. (*Didyn*: *angiosp*: L., *Scrophular*: sect: I. Juss: gen:, *Personatæ Scrophularinæ* Spr:).

» *Cal*: 5-partitus sub-inæqualis. *Cor*: sub-campa-
» nulata limbo oblique 5-lobo inæquali. *Stam*: didy-
» nama declinata, antheris late 2-partitis. *Caps*: acu-
» minata valvis introflexis dissepimentum formanti-
» bus. »

Obs: Genus naturale formosissimum, constans 30. circiter stirpibus europæis, nonnullis asiaticis, rarissime ex *Afr*: bor:, herbaceis, inter se habitu simillimis et difficile distinguendis præcipue ex corollæ segmentis aliisque levibus notis in foliis.

❋ 1. *D. purpurea* = L. h. Ups: 178. = Spr: syst: II. 787. = Fl: dan: t. 74. (*Eur*: austr: montib: *Pedem*: ad rupes *di Cima Mulera* in valle *Ossulæ* unice observavit Biroli fl: acon: I. p. 215.). Bienn: Pubescens, folia ovato-oblonga rugosa crenulata, racemus terminalis elatus pedunculis rectis calycem æquantibus, corolla purpurea intus maculata. Planta officinalis, prudenter adhibenda uti plures aliæ species. Typus forsan nonnullarum stirpium.

❋? 2. *D. Thapsi* = L. sp: 867. = Spr: syst: II 787. = Bocc: mus: II. p. 107. t. 85. (*Hispan*: *Sabaud*: locis frigidis collegit Boccone All: n. 259.) Vix a priori diversa, cujus forsan var:, petiolis decurrentibus, floribus secundis in specim: meo, pe-

dunculis longioribus sub-arcuatis; laciniæ calycinæ, quas cl: Spr: dicit magis acutas, non differunt in specim:

3. *D. tomentosa* = Spr: syst: II. 787. ex Link: (*Lusitan*: *Sardin*: in montanis humidis frequens Moris st: sard: I. p. 34.). Non differt a præcedentibus nisi foliis latioribus evidentiusque tomentosis, pedunculis patulis.

* 4. *D. grandiflora* = Lam: fl: fr: 387. 3. = Spr: syst: II. 787. = Tabern: ic: 507. Ic: taur: vol. 5. t. 44. *D. ambigua* Murr: non Schk: Vern: *Digital*, *Erba dl Moné* (*Eur*: med: *Pedem*: in subalpinis locis umbrosis et saxosis ac pratis declivibus minime pinguibus All: n. 258. Re fl: segus: p. 53. et fl: tor: I. p. 327. sub *D. ambigua*. Biroli fl: acon: I. p. 216.). Folia angustiora quam in præcedentibus et vere lanceolata serrulata vix subtus puberula, corolla amplior sed brevior labio superiore præmorso sordide lutea intus maculis purpureis adspersa. *D. ambigua* Schk: pertinet ad *D. ochroleucam*.

* 5. *D. ferruginea* = L. syst: 470. non Sm: = Spr: syst: II. 787. = Moris: hist: II. p. 478. s. 5. t. 8. f. 2. n. 3. Ic: taur: vol. 28. t. 110. (*Caucaso*, *Ital*: *Pedem*: in collibus *di Bobbio* et *Cavatore* in provincia *Aquensi* All: n. 260. c. descr:). Folia subtus hirsutiuscula, pedunculi sub-conferti, laciniæ calycinæ obtusæ, corolla ferruginea.

* 6. *D. lutea* = L. h. Ups: 178. = Spr: syst: II. 789. = Jacq: h. Vind: t. 105. Ic: taur: vol. 5. t. 95. sub *D. parviflora* (*Gallia*, *Ital*: *Pedem*: in dumetis et umbrosis saxosis collium *Taurin*: et montium subalpinorum All: n. 257. sub *D. parviflora*. In sylvis

prope *Segusium*, in saxosis *della Brunetta* Re fl: segus: p. 53. In nemoribus collium et *della Mandria* ubi variat foliis ovatis non serratis Re fl: tor: I. p. 327. In valle *di Strona* promiscue cum *D. ambigua* ut varietates non species dixeris Biroli fl: acon: I. p. 216. In collibus *Albensib*: reperit Berterus. In *Sabaud*: loco dicto *la Trinité près de la Rochette* invenit Perret et male pro *Scrophulariæ* nova specie habuit). Perenn: Glabra, folia plus minus late lanceolata serrulata vel integra, racemus sub-secundus, corollæ mediocris luteæ tubulosæ lobis acutis labio inferiore erecto vel reflexo sub-barbato. *D. media* Roth: non videtur bonam speciem constituere, habitu enim simillima, et differt tantum labio inferiore erecto, spica (in specim: meis) integra. Quid dicendum de altera obs: cl: Biroli circa connexitatem inter *D. luteam* et *ambiguam* quæ toto cœlo differunt?

VIII. Maurandia Jacq: h. Schoëmbr: III. p. 20. t. 288. = Spr: syst: n. 2199. = *Usteriæ* sp: Cav: = *Reichardiæ* sp: Roth: (*Didyn*: *angiosp*:, *Personatæ Scrophularinæ* Spr:).

» *Cal*: 5-partitus sub-æqualis. *Cor*: tubo ventricoso » limbo 2/3. *Stam*: didynama inclusa, filamentis basi » callosis. *Antheræ* lobi divaricati. *Caps*: 2-locu- » laris (*caps*: 2. *coalitæ* W.) apice dentibus 10. de- » hiscens. »

Obs: Genus constans 2. stirpibus mexicanis, perenn: scandentibus, foliis alternis hastatis, floribus axillaribus solitariis conspicuis, lobis corollæ emarginatis (*M. semperflorens* Jacq: l. c.) vel integerrimis (*M.*

antirrhiniflora H. et B. pl: æquin: II. 362.). Ambæ cultæ in h. Ripul:

IX. Linaria Tourn: et W. en: 639. = Spr: syst: n. 2164. = Lam: ill: t. 531. f. 3. = *Antirrhini* sp: L. (*Didyn*: *angiosp*: L., *Personatæ Scrophularinæ* Spr:).

» *Cal*: 5-partitus irregularis. *Cor*: personata limbo » 2/3 fauce clausa raro sub - pervia basi calcarata. » *Stam*: didynama inclusa sæpius cum rudimento quin- » ti. *Caps*: 2-locularis apice dentibus dehiscens. »

Obs: Genus a Tourn: statutum, a L. cum *Antirrhino* conjunctum, demum a recentioribus Botanicis iterum disjunctum, præsertim ratione *calcaris* ad basim corollæ, et capsulæ *dehiscendi modo*, nunc constans 100. circiter stirpibus per orbem sparsis plerisque europæis, herbaceis vel raro frutescentibus, foliis alternis vel rarius sparsis inferioribus interdum oppositis aut verticillatis, floribus spicatis bracteatis aut axillaribus solitariis sæpissime flavis rarius cæruleis albis vel purpureis, caule prostrato vel erecto.

❀ *Fruticosæ.*

1. *L. dalmatica* = Spr: syst: II. 789. ex Buxm: (*Dalmat*:, *Transylv*:, *Armen*:). Glabra ramosa, folia cordato-amplexicaulia integerrima acuta, flores racemosi ampli, calcare recto corollam sub-æquante.

✻✻ *Herbaceæ.*

A. Caule prostrato.

α Foliis lobatis, angulatis, dentatis.

✻ 2. *L. Cymbalaria* = W. en: 639. = Spr: syst: II. 790. = Riv: t. 86. Ic: taur: vol. 5. t. 27. (*Eur*: fere tota. *Pedem*: vulgaris ad muros et rupes locis umbrosis et sub-humidis ALL: n. 232. sub *Antirrhino* cum aliis stirpibus pedemontanis. RE fl: tor: I. p. 311. BIROLI fl: acon: I. p. 212. *Sardin*: ad vias in umbrosis *Belvi* MORIS st: sard: I. p. 34.). Perenn: Glabra, folia cordata 5-loba, flores axillares longe pedunculati sub-solitarii parvi brevi-calcarati. Variat habitu graciliori, foliorum lobis acutioribus (*L. acutangula* TENOR: syll: fl: neap: p. 302.).

3. *L. æquitriloba* = Spr: syst: II. 790. (*Corsica. Sardin*: ad rupes locis umbrosis montanis MORIS st: sard: I. p. 34.). Affinis priori, sed differt caule foliisque pilosis 3-lobis lobis rotundatis.

✻ 4. *L. Elatine* = Desf: atl: II. p. 37. = Spr: syst: II. 790. = Oed: fl: dan: t. 426. (*Eur*:, *Asia* med:, *Afr*: bor: *Pedem*: in arvis abunde ALL: n. 233. RE fl: segus: p. 52. et fl: tor: I. p. 322. BIROLI fl: acon: I. p. 213. *Sardin*: in pascuis saxosis MORIS st: sard: I. p. 34.). Ann: Pilosiuscula, folia parva ovato-hastata, pedunculi axillares filiformes longissimi 1-flori, flores minimi luteoli vel pallide cærulei.

5. *L. cirrhosa* = W. en: 639. (*Ægypt*: *Sardin*: inter segetes *Monastir* MORIS st: sard: I. p. 34.). Differt a

priori, cui admodum affinis, foliis lanceolato-hastatis, petiolis passim cirrhosis, floribus minutissimis.

β Foliis sub-integerrimis.

* 6. *L. spuria* = Mill: dict: n. 15. = Spr: syst: II. 791. = Fl: dan: t. 913. Ic: taur: vol. 25. t. 37. (*Eur*: passim. *Pedem:* in arvis collinis abunde All: n. 234. Re fl: segus: p. 52. et fl: tor: I. p. 322. Biroli fl: acon: I. p. 213. *Genuæ* in littore *alla Foce* sub mœniis Bertol: am: ital: p. 161. *Sardin*: in arvis et in pascuis Moris st: sard: I. p. 34.). Ann: Villosa, folia sub-rotunda sub-sessilia, pedunculi filiformes elongati axillares 1-flori, flores parvi flavi lobo superiore violaceo-nigrescente.

B. Caule erecto.

a Foliis inferioribus oppositis s. verticillatis plus minus ovatis.

7. *L. triphylla* = W. en: 639. (*Eur*: austr:, *Asia* min: *Sardin*: in arvis Moris st: sard: I. p. 34.). Ann: Scabriuscula, folia sub-terna ovato-oblonga, flores racemosi brevi-pedunculati mediocres flavi longe calcarati. = 8. *L. reflexa* = Desf: atl: II. p. 42. (*Ital*: austr:, *Afr*: bor: *Sardin*: in arvis frequens Moris st: sard: I. p. 34.). A priori, cui habitu affinis, differt præsertim pedunculis sub-corymbosis elongatis demum reflexis.

* 9. *L. origanifolia* = W. en: 641. = Spr: syst: II. 791. = Barr: ic: 598. (*Gallia* austr:, *Lusitan:*, *Hispan*: *Pedem*: ad rupes meridiem spectantes supra

Tenda et *l'Escarena* All: auct: p. 5. n. 234.). Ann: Puberula, folia caulina opposita florifera alterna ovato-oblonga vel lanceolata, flores racemosi mediocres fauce sub-pervia calcare abbreviato recto. Planta polymorpha.

10. *L. flava* = Desf: atl: II. p. 42. t. 136. (*Afr*: bor:, *Corsica*. *Sardin*: in arenosis maritimis *Porto Scuso*, *Bari* Moris st: sard: I. p. 34.). Ann: Glaucescens, folia sæpius terna ovato-oblonga, flores subcapitati mediocres aurei calcare corollam sub-æquante.

= 11. *L. rubrifolia* = DC. fl: fr: suppl: p. 410. (*Gallia* austr: *Sardin*: ad rupes *Tonneri d'Irgini* Moris st: sard: I. p. 34.).

ß Foliis lanceolatis.

12. *L. parciflora* = Desf: atl: II. p. 44. t. 137. (*Afr*: bor: *Sardin*: in pascuis *S. Elia*, *Orri* Moris st: sard: I. p. 34.). Ann: Glabra glaucescens, folia verticillata vel sparsa sessilia, flores sub-spicati sub-sessiles parvi calcare brevissimo.

γ Foliis lineari-lanceolatis.

❋ 13. *L. minor* = W. en: 641. = Spr: syst: II. 793. = Fl: dan: t. 502. Ic: taur: vol. 5. t. 37. (*Eur*: passim. *Pedem*: in agris præcipue montanis et apricis frequentissima neque rara ad muros All: n. 245. Re fl: segus: p. 52. et fl: tor: I. p. 323.). Ann: Ramosissima glanduloso-pilosa, folia sparsa obtusiuscula, pedunculi axillares solitarii elongati, flores parvi brevi-calcarati rubro-violacei labio inferiore albescente.

❋ 14. *L. chalepensis* = Mill: dict: n. 12. = Spr:

syst: II. 793. = Moris: hist: III. p. 502. s. 5. t. 35. f. 9. (*Ital*:, *Gallia* austr: In vinetis circa *la Briga* comit: *Nicæens*: Re reliq: Bellard: p. 4. In pascuis *Sardin*: med: Moris st: sard: I. p. 34.). Ann: Erecta glabra sub-simplex, folia linearia obtusiuscula carnosula, flores laxe racemosi pedunculis alternis 1-floris, calycis laciniæ 4. corolla sub-longiores quinta fere evanida, corolla parva alba demum flavida calcare incurvo prælongo.

❋ 15. *L. alpina* = W. en: 641. = Spr: syst: II. 794. = Jacq: fl: austr: t. 58. Ic: taur: vol. 5. t. 38. et vol. 15. t. 106. f. 2. (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: in Alpium scopulosis humentibus jugis et torrentium alveis inter saxa All: n. 241. Copiose *all'Assiette* et in *M. Cenisio* atque ad planitiem etiam descendens in saxosis secus *Duriam* Re fl: segus: p. 52. Secus *Sturam* prope *Taurinum* reperta olim fuit sec: Re fl: tor: I. p. 323. In umbrosis jugis alpium prov: *Novariens*: Biroli fl: acon: I. p. 213.). Ann: vel bienn: Valde diffusa gracilis glabra, folia sub-quaterna subcarnosa glauca, flores racemosi mediocres cærulei palato aurantiaco calcare rectiusculo corollam æquante, ceterum valde varians statura, foliorum crassitie, florum colore plus minusve intenso etc.

❋ 16. *L. Pelisseriana* = DC. fl: fr: III. p. 589. et VI. p. 408. = Spr: syst: II. 795. = Barr: ic: 1162. (*Gallia*, *Ital*: In agro *Nicæens*: All: n. 239. *Sardin*: in saxosis collinis frequens Moris st: sard: I. p. 34.). Ann: Erecta gracillima sub-simplex, folia inferiora sub-quaterna superiora sparsa, flores nunc in racemo brevissimo et fere capitati nunc laxi in racemo elon-

gato parvi purpurei calcare recto corolla longiore; stirps polymorpha.

δ *Foliis omnibus exacte linearibus.*

✻ 17. *L. striata* = DC. fl: fr: n. 2641. = Spr: syst: II. 795. *Antirrhinum repens* et *monspessulanum* L. sp: 854. *Antirrhinum striatum* et *galloides* Lam: dict: IV. p. 226. n. 11. et 12. = Dill: elth: 198. t. 163. f. 197. et ic: taur: vol. 24. t. 13. pro *A. repente*, vol. 25. t. 36. pro *A. monspessulano* (*Anglia*, *Gallia*, *Ital*: In agro *Nicæens*: *A. repens* All: n. 235. Eodem loco et frequens quoque in saxosis aut arenosis apricis calidioribus secus flumina *A. monspessulanum* All: n. 236. Re fl: segus: p. 52. *Alla fica della Dora* in agro *Taurinensi* Re fl: tor: I. p. 322. Ad rupes magnæ *Ossulæ* vallis et in pascuis secus flumen *Atison* Biroli fl: acon: I. p. 213.). Perenn: Glabra glaucescens, folia verticillata vel sparsa, racemi paniculati, corolla striata calcare calycem æquante. Bene videntur allatæ stirpes in unam conjunctæ, differentiæ enim ab Auctoribus allatæ parvi ponderis ceu jam judicaverat All: l. c. Cons: tamen Poir: dict: suppl: IV. p. 18. in obs: 4.

✻ 18. *L. supina* = Desf: atl: II. p. 44. = Spr: syst: II. 795. = Moris: s. 5. t. 12. f. 17. Ic: taur: vol. 15. t. 106. f. 3. (*Eur*: austr:, *Afr*: bor: *Pedem*: non rara in apricis arenosis torrentium ad radices Alpium, frequens circa *Segusium* et *Exilles*, in arenosis *Duriæ* All: n. 240. Re fl: segus: p. 52. Prope *S. Mauro* sec: *Padum* et secus *Sturam* prope *Venariam* Re fl: tor: I. p. 323. In pascuis *Padi* et *Ticini*

nec deest ad rupes magnæ vallis *Ossulæ* Biroli fl: acon: I. p. 213.). Ann: Glabra diffusa, folia quaterna vel sparsa abbreviata, flores racemosi mediocres lutei calcare sub-reflexo corolla longiore.

*? 19. *L. bipunctata* = Spr: syst: II. 795. = Sub *Antirrhino* L. sp: 853. = Vent: h. Cels: p. 82. t. 82. (*Hispan*:, *Ital*:, *Gallia* austr: sec: Lam: In arvis collium *Nicæens*: All: n. 238.). Ann: Fide cl: All: refero hanc stirpem inter nicæenses, quam ipse numquam vidi, nec ex illa regione curare mihi datum fuit. Cons: descr: in W. sp: III. 241.

* 20. *L. arvensis* = Bauh: pin: 213. = Spr: syst: II. 795. = Dill: elth: 199. t. 163. f. 198. Ic: taur: vol. 18. t. 19. f. 1. (*Eur*: passim. *Pedem*: circa *Taurinum* et in arvis comit: *Nicæens*: et *Liguriæ* non infrequens All: n. 237. In arvis *di Mompantero* et *di Foresto* Re fl: segus: I. p. 52. In arvis et fossis prov: *Novariens*: Biroli fl: acon: I. p. 213. *Sardin*: in arvis Moris st: sard: I. p. 34.). Ann: Glabra, folia verticillata vel sparsa, flores sub-racemosi parvi cærulei vel raro lutei in var: *β* calyce viscoso - villosiusculo calcare recurvo.

21. *L. simplex* = W. en: 640. (*Gallia Narbonens*:, *Ital*: merid: *Sardin*: in pascuis et in arvis Moris st: sard: I. p. 34.). Vix a priori diversa, cujus sola var: habita fuit a L. (*Antirrhinum arvense* var: *β*), caule simpliciori, flore minore constanter flavo, calcare recto; cultura hosce characteres servare observavit W. sp: III. 244.

* 22. *L. glauca* = Spr: syst: II. 796. ex W. = Buxb: cent: IV. p. 23. t. 37. sec: W. sp: III. 248.

sub *Antirrhino* (*Eur*: austr:, *Asia* min: *Pedem*: in arvis prope *Supergam* Re fl: tor: I. p. 323. Ad rupes collium *di Romagnano* et *Prato* Biroli fl: acon: I. p. 213.). Ann: Glabra glaucescens, folia quaterna carnosa, flores sub-spicati parvi calcare striis cæruleis notato.

ε *Foliis omnibus sparsis.*

❋ 23. *L. genistæfolia* = Mill: dict: n. 14. = Spr: syst: II. 796. = Jacq: fl: austr: t. 344. Ic: taur: vol. 27. t. 76. (*German*: med:, *Helvet*:, *Sibir*: *Pedem*: abunde circa *Segusium* All: n. 243. c. descr: Re fl: segus: p. 52. Prope *Venariam* Re fl: tor: I. p. 323. In summis rupibus vallis *di Formazza*, *alle Casere* et in valle *di Vedra* versus *Clarasca* Biroli fl: acon: I. p. 214.). Perenn: Ex specim: meis maximam habet affinitatem cum priori, folia tamen parum latiora sc: lanceolato-linearia, flores fere duplo majores, quod mihi magis dubiam reddit stirpem præcedentem.

❋ 24. *L. vulgaris* = Bauh: pin: 212. = Spr: syst: II. 769. = Riv: t. 83. Ic: taur: vol. 5. t. 35. sub *Antirrhino Linaria* ex L. Vern: *Pelion*, *Cacaputa* (*Eur*:, *Amer*: bor: *Pedem*: vulgaris ad fossas in ruderatis et ad vias in collinis, secus *Padum* in declivibus uberrime All: n. 242. Prope *Segusium* in arvis declivibus *di Croale* Re fl: segus: p. 53. Prope *Taurinum* Re fl: tor: I. p. 324. Ad vias ubique Biroli fl: acon: I. p. 214. *Genuæ* ubique in hortis et collibus cultis Bertol: am: ital: p. 161.). Perenn: Glabra, folia elongata acuta sub-conferta, flores mediocres spicati

sub-sessiles sub-imbricati lutei calcare recto corolla breviore.

* 25. *L. angustissima* = Re fl: tor: I. p. 324. = Sub *Antirrhino* Loisl: fl: franc: suppl: p. 167. (*Gallia. Pedem*: frequens in arenosis secus *Sturam* et in arvis prope ædem *S. Pancratii* loco dicto *il Trucetto* Re l. c.). Nimis præcedenti affinis, cujus probabilius var: ; differt tamen foliis angustioribus uti caulis cinarescentibus, spica laxiore, floribus pedicellatis paullo minoribus intensiusque flavis.

Species dubiæ vel novæ:

26. *L. filiformis* = Nob: *L. odora* Mart: in sched: seminum, non *Antirrhinum odorum* M. B.? « *L.* caule » adscendente filiformi ramoso, ramis strictis, foliis » sparsis distantibus filiformibus elongatis acutis, ra- » cemis terminalibus simplicibus paucifloris, pedicel- » lis calyce sub-æquali longioribus, calcare recto co- » rollam flavam sub-æquante. » Nob: Ab *Antirrhino odoro* M. B. (*L. Loeselii* Schweig: sec: Spr: syst: II. 797.) quod etiam possideo ex hb: Biroli, differt habitu et præsertim foliis duplo longioribus *filiformibus* nec *lineari - lanceolatis planis*, racemo simplicissimo ac valde breviori, floribusque fere duplo minoribus. Species nostra culta in h. Ripul: per multos annos e seminibus missis a cl: Martio nullomodo variat. (Patria?).

27. *L. acutiloba* = Fisch: in sched: (*Dahuria*). « *L.* » caule erecto simplicissimo foliisque glabris sparsis » lanceolato - linearibus obtusiusculis 1-nerviis, ra-

» cemo terminali elongato simplici, pedicellis 1-bra-
» cteatis calyce inæquali longioribus, calcare recto
» corolla breviori (corollæ flavæ lobi acutiusculi). »

28. *L. sexpartita* = Nob: Sub *Antirrhino* Bellard: hb: ex Vent: « *L.* caule erecto uti tota planta gla-
» berrimo superne ramoso, ramis strictis, foliis al-
» ternis sparsisve sessilibus linearibus acutis, race-
» mis terminalibus simplicissimis, pedicellis alternis
» calyce sub-æquali duplo longioribus, calcare in-
» curvo corollam æquante (corolla pallide flava parva). »
Nob: Retinui nomen triviale in scheda inscriptum ne confusio oriatur, etsi incongruum, folia enim integerrima, calyx et corolla 5- non 6-partiti.

X. Antirrhinum Lin: gen: ed: Schreb: n. 1007. excl: stirpib: ad *Linariam* amandatis. = Spr: syst: n. 2166. = Lam: ill: t. 531. f. 1.

» *Cor*: personata basi gibba nec calcarata. *Caps*:
» apice poris nec dentibus dehiscens. Cetera *Lina-*
» *riæ*. »

✻ 1. *A. majus* = L. h. Ups: 175. = Spr: syst: II. 797. = Riv: t. 82. Ic: taur: vol. 5. t. 28. 29. Vern: *Goula d' Lion*, *Bouca d' Ours*, *Erba Can* (*Eur*: med: et austr: *Pedem*: ad muros vetustos ubique All: n. 246. Re fl: segus: p. 52. et fl: tor: I. p. 325. Biroli fl: acon: I. p. 214. *Sardin*: ad rupes murosque *Calari* Moris st: sard: I. p. 34.). Perenn: Glabrum, folia opposita oblongo-lanceolata, flores racemosi magni laciniis calycinis glanduloso-pubescentibus brevibus, corolla purpurea intus flava; ex situ et cultura admodum varians statura et florum colore. Inter

hasce varr: notatu digna quæ venit sub nomine *A. latifolii* Balb: el: III. ex Mill: non W.; lecta olim fuit supra muros propugnaculi *Taurinens*: inter *Portam Palatii* et *Padi*; differt a typo caule versus apicem villoso, foliis ovalibus, floribus majoribus flavis interdum leviter rubro-lineatis (Re fl: tor: I. p. 325.).

* 2. *A. Orontium* = L. h. Ups: 176. = Spr: syst: II. 798. = Riv: t. 82. Ic: taur: vol. 5. t. 34. (*Eur*: passim. *Pedem*: in agris macilentis et vinetis All: n. 244. Abunde in arvis *Condoviarum* in regione dicta *la Grangietta* prope *la Roccéa* Re fl: segus: p. 53. In agris collium prope *Revigliasco*, atque etiam prope *Venariam nelle rive di Druent* sed potius rarum Re fl: tor: I. p. 326. In arvis collium *Novariens*: nec deest circa urbem Biroli fl: acon: I. p. 214. In arvis collium *Albensium* reperit Berterus. In arvis *Sardin*: Moris st: sard: I. p. 34.). Ann: Sub-simplex villosiusculo-cinerascens, folia opposita vel sparsa lineari-lanceolata, flores sparsi vel sub-sessiles laciniis calycinis corolla longioribus; variat fl: purpureo vel albo.

Species dubiæ vel novæ.

3. *A. montevidense* = Mart: in sched: seminum. » *A.* caule erecto sub-simplici puberulo, foliis plerumque quaternis lanceolatis sub-falcatis 4-5-linearibus brevioribus intermixtis, racemo terminali simpliciusculo, laciniis calycinis ovato-oblongis obtusis glanduloso-pubescentibus corolla multoties brevioribus. » Nob: Cultum in h. Ripul: ex seminibus missis a cl: Martio sub allato nomine, non dif-

fert ab *A. majore*, cujus forsan var:, nisi forma et dispositione foliorum.

4. *A. jamaicense* = Fisch: sec: Steud: « *A.* caule » elato ramoso glaberrimo, foliis caulinis oppositis » floralibus alternis lanceolatis in petiolum attenuatis » glabriusculis, racemo folioso sub-simplici, pedun- » culis alternis sub-solitariis brevibus, laciniis caly- » cinis lineari-lanceolatis villoso-viscosis corollam sub- » æquantibus altera longissima. » Nob: Cultum cum priori ex seminibus missis a cl: Fischer: sub allato nomine, accedere videtur ad *A. angustifolium* Poir: dict: suppl: IV. p. 27. n. 95., sed statura majori, foliis latioribus et præsertim calycis longitudine satis distinctum adparet.

XI. Anarrhinum Desf: atl: II. p. 51. t. 141. 142. = Spr: syst: n. 2167. = *Antirrhini* spec: Auctor:

» *Cor*: basi gibba fauce pervia. *Caps:* valvis 4. inæ- » qualibus dehiscens. Cetera *Antirrhini.* »

Obs: Genus characteribus allatis et habitu ab *Antirrhino* et *Linaria* recedens, constans ex Spr: 3. stirpibus, quarum 1. fruticosa asiatica, 2. herbaceæ europææ, foliis divisis, floribus racemosis parvis.

✻ 1. *A. bellidifolium* = W. sp: III. 260. = Spr: syst: II. 798. = Bauh: prodr: 106. t. 106. Ic: taur: vol. 27. t. 93. (*Helvet:*, *Eur*: austr: In *Liguriæ* collibus circa *Uneliam*, in sylvis ceduis secus *Ticinum*, atque supra oppidum *Grognard* in *Monteferr*:, inter *Borgenaria* et *Cossan* All: n. 247. In ericetis *Ticini* præsertim versus *Cerano* vulgare Biroli fl: acon: I. p. 214.). Bienn: Glabrum erectum, folia radicalia lan-

ceolata in petiolum longum attenuata obtuse inæqualiter dentata caulina filiformi-partita, racemi elongati foliolosi, flores minuti cærulescentes.

XII. Nemesia Vent: jard: malm: I. p. et t. 41. = Spr: syst: n. 2165. = *Antirrhini* sp: L.

» *Caps*: compressa truncata 2-locularis loculis ab » apice ad medium dehiscentibus. *Sem*: 4-seriata » marginata. Cetera *Linariæ*. »

Obs: Genus vix a *Linaria* distinctum capsulæ dehiscendi modo et seminibus evidentius marginatis, constans ex Spr: 4. stirpibus ex *C. B. S.*, fruticosis vel herbaceis, inter quas possideo *N. chamædrifoliam* Vent: l. c. (*Antirrhinum macrocarpon* Ait:); planta herbacea glabra diffusa ramosissima, folia opposita brevi-petiolata ovata basi integerrima sursum serrata, pedunculi axillares solitarii 1-flori, corolla luteola vix calcarata.

XIII. Browallia Lin: gen: ed: Schreb: n. 1036. = Spr: syst: n. 2186. = Lam: ill: t. 535. (*Didyn: angiosp*: L., *Scrophulariis* affinis sect: IV. Juss: gen:, *Personatæ Scrophularinæ* Spr:).

» *Cal*: tubulosus 5-fidus. *Cor*: tubulosa limbo hy- » pocrateriformi sub-æqualiter 5-lobo. *Stam*: didy- » nama inclusa antheris inæqualibus. *Caps*: 2-locu- » laris 2-valvis dissepimento valvis paralello et ab » iisdem mox solubili (unde *caps*: 1-locularis ex L.). »

Obs: Genus habitu proprio, constans 3-4. stirpibus ex *Amer*: austr:, herbaceis, foliis alternis, floribus axillaribus vel terminalibus.

1. *Br*: *Linnæana* = Spr: syst: II. 808. *Br*: *elata* et *demissa* L. Herba humilis ann: puberula, folia ovato-oblonga denticulata, pedunculi axillares sæpius 1-flori, corolla mediocris cæruleo-violacea. Rite stirpes linnæanæ in unam conjunctæ, pedunculos enim etiam in *Br*: *demissa* cultura multiflores et caules firmiores evadere in plantis iterum iterumque satis in h. Ripul: observavi.

XIV. Mimulus Lin: gen: ed: Schreb: n. 1049. = Spr: syst: n. 2168. = Lam: ill: t. 523. (*Didyn*: *angiosp*: L., *Scrophulariis* affinis sect: III. Juss: gen:, *Personatæ Scrophularinæ* Spr:).

» *Cal*: prismaticus 5-dentatus. *Cor*: sub-campanu-
» lata limbo 2-labiato 2/3. sub-æquali. *Stam*: didy-
» nama antheris reniformibus. *Stigm*: 2-lamellatum.
» *Caps*: 2-locularis 2-valvis dissepimentis lateribus
» placentiferis. »

Obs: Genus constans 10-12. stirpibus americanis vel australasicis, sæpius herbaceis raro suffruticosis erectis vel repentibus, foliis oppositis, floribus sæpius axillaribus plerumque conspicuis; nonnullæ cultæ ad ornamentum, inter quas excellit *M. glutinosus* = Wendl: obs: 51. *M. aurantiacus* Curt: (Patria?). Suffr: Totus viscosus glaber erectus, folia lanceolata cum minoribus commixta ut fere verticillata adpareant, pedunculi flore breviores, corolla magna aurantiaca.

XV. Lindernia Lin: gen: ed: Schreb: n. 1031. = Spr: syst: n. 2146. = Lam: ill: t. 522. (*Didyn: angiosp:* L., *Scrophulariis* affinis sect: III. Juss: gen:, inter *Primuleas* Spr:).

» *Cal:* 5-partitus corolla longior. *Cor:* tubo ven-
» tricoso limbo 4-lobo sub-2-labiato. *Stam:* didyna-
» ma inclusa 2. inferiora dente terminali antheraque
» sub-laterali. *Caps:* 2-valvis placenta libera. »

Obs: Genus obscurum circa nonnullas stirpes, bene determinatum pro seq:

❀ 1. *L. Pyxidaria* = L. syst: 475. = Spr: syst: II. 769. = Lindern: alsat: I. p. 152. t. 1. et 2. Ic: taur: vol. 16. t. 84. (*Eur:* med: *Pedem:* secus flumen *Sessitem* ad urbem *Vercellarum*, circa *Frossasco* et *la Marsaja* in palustribus, similibus locis circa *Envie* et in finibus *Bargiarum*, circa lacum *di Mojon* et inter *Gayanì* et *Candiel*, secus *Padum* in agro *Taurin:*, in pratis paludosis ad oppida *Bollengo* et *Azeglio*, circa lacum *di Candia* et *di Vivrone* All: n. 203. In locis humidis secus *Padum* Re fl: tor: I. p. 328. In oryzis vulgatissima ubi altitudine maxime variat Biroli fl: acon: I. p. 216.). Herbula ann: procumbens, folia opposita sessilia ovato-oblonga 3-nervia, pedunculi axillares solitarii 1-flori folio demum sub-longiores, corolla parva purpurea. *L. involucrata* et *operculata* ex hb: Bellardi meræ varr: in oryzetis.

XVI. Herpestes Gærtn: fr: III. p. 187. t. 214. = Spr: syst: n. 2173. = *Herpestes*, *Monneriæ*, et *Gratiolæ* spec: quorund: (*Didyn*: *angiosp*: L., *Personatæ Scrophularinæ* Spr:).

» *Cal*: 5-partitus inæqualis laciniis 2. interioribus
» minoribus obtectis. *Cor*: tubulosa sub-2-labiata.
» *Stam*: didynama inclusa. *Stigm*: emarginatum. *Caps*:
» 2-locularis 2-valvis, valvis 2-fidis dissepimento pa-
» ralello demum libero, placentis adnatis. »

Obs: Genus constans ex Spr: 17. stirpibus exoticis plerumque ex *Amer*: austr: paucis e *N. Holl*:, herbaceis oppositifoliis procumbentibus raro erectis, floribus axillaribus solitariis bracteatis vel ebracteatis.

1. *H. cuneifolia* = Spr: syst: II. 801. ex Pursh: *H. Monnieria* Kunth. *Gratiola Monnieria* L. (*Amer*: bor: et austr:). Perenn: Prostrata glaberrima sub-carnosa, folia cuneata integerrima, pedunculi 1-flori folio longiores, calyx bracteatus.

XVII. Gratiola Lin: gen: ed: Schreb: n. 37. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 76. = Lam: ill: t. 16. (*Diand*: *monog*: L., *Scrophulariis* affinis Juss: gen: sect: III., *Personatæ* Spr:).

» *Cal*: 5-partitus sub-æqualis. *Cor*: resupinata inæ-
» qualiter 4-5-loba. *Stam*: didynama quorum 2. bre-
» viora prorsus sterilia, quandoque rudimentum quinti.
» *Caps*: ovato-oblonga 2-locularis septicido-2-valvis,
» valvis 2-fidis, placenta centrali demum libera. »

Obs: Genus priori proximum sed sat distinctum

præsertim calyce æquali et duorum tantum staminum fertilium præsentia, ex quo in methodo sexuali inter diandras enumeratum; filamenta sterilia quandoque 2-fida adparent, quandoque integra; constat autem 30. circiter stirpibus per orbem sparsis, paucis europæis, herbaceis oppositifoliis, floribus axillaribus plerumque 2-bracteatis rarissime racemosis.

* 1. *Gr*: *officinalis* = L. sp: 24. = Spr: syst: I. 39. = Fl: dan: t. 363. Ic: taur: vol. 1. t. 20. Vern: *Grasięta*, *Grasiosina*, *Folietta* (*Eur*: fere tota. *Pedem*: in pratis humidiusculis collium *Taurinens*: præcipue in convallibus All: n. 261. Circa *Avilianæ* lacus, in uliginosis *di Prato molle* et *di Prato Donio* prope *Segusium* Re fl: segus: p. 8. Passim in uliginosis *della Praglia di Pianezza* et *della Mandria* Re fl: tor: I. p. 34. In oryzis Biroli fl: acon: I. p. 7. *Sardin*: in palustribus vallis *Bono* Moris st: sard: I. p. 34.). Perenn: Erecta sub-ramosa glabra, folia sessilia decussata lanceolata sub-3-nervia, pedunculi axillares solitarii oppositive folio breviores 1-flori, calyx bracteatus, corolla albo-rosea calyce duplo longior.

XVIII. Bonnaya Spr: syst: n. 77. ex Link: = *Gratiolæ* spec: Auctor:

» *Cor*: 2-labiata 2/3. *Caps*: linearis placenta libera. » Cetera *Gratiolæ*. »

Obs: Genus in dispendium *Gratiolæ*, cujus habitum refert, allatis levibus differentiis statutum, constans ex Spr: 16. stirpibus ex *Ind*: orient:, inter quas possideo *B. grandifloram* = Spr: syst: I. p. 41. *Gra-*

tiola Retz. Plantula digitalis procumbens glabra, folia oblonga obtusiuscula serrata, pedunculi oppositi longitudine foliorum, flores pro genere magni.

XIX. HORNEMANNIA W. en: 653. = Spr: syst: n. 2148. = *Gratiolæ* sp: Hornem:

» *Cor*: personata 2/3. *Stam*: didynama. Cetera fere » ut in *Gratiola*. »

Obs: Genus statutum a W. pro 2. *Gratiolæ* stirpibus, quarum altera ad *Tittmanniam* a REICH: amandata; restat ex SPR: *H. bicolor* W. en: 654., quam possideo sub nomine *Gratiolæ goodenifoliæ* HORNEM: Plantula ann: divaricata, foliis obovatis inæqualiter dentatis, racemis axillaribus terminalibusque, pedicellis 1-floris alternis, floribus albo-flavis (*Ind*: orient:).

XX. STEMODIA Lin: gen: ed: Schreb: n. 1043. = Spr: syst: n. 2191. = Lam: ill: t. 534. (*Didyn*: *angiosp*: L., *Scrophulariæ* sect: I. Juss: gen:, *Personatæ Scrophularinæ* Spr:).

» *Cal*: 5-partitus æqualis. *Cor*: 2-labiata labio su- » periore emarginato inferiore 3-fido. *Stam*: didyna- » ma singula 2-anthera (*antheræ* loculis remotis » KUNTH). *Stigm*: emarginato-2-lobum. *Caps*: 2-lo- » cularis septicido-2-valvis, placenta centrali demum » libera. »

Obs: Genus constans 15. circiter stirpibus ex utraque *India*, herbaceis rarius suffruticosis, foliis oppositis aut ternatis verticillatisve, floribus plerumque axillaribus.

1. *St*: *ruderalis* = Retz: obs: V. p. 25. (*Ind*: orient:). Ann: Pumila puberula, folia opposita petiolata oblonga obtuse dentata, pedunculi axillares solitarii 1-flori folio sub-breviores.

Species nova.

2. *St*: *macrotricha* = Nob: *St*:...? Mart: in scheda. » *St*: caule herbaceo erecto villosiusculo, foliis ternis » lanceolato-ovatis in petiolum attenuatis serratis in- » terrupte longe pilosis, pedunculis axillaribus sub- » ternis brevissimis, calycibus hispidulis. » Nob:

Obs: Missa sine nomine specifico a cl: Martio et lecta in *Brasiliæ* arenosis ad *Rio Belmonte*, accedere magis videtur ad *St*: *verticillatam* Link: quam ad ceteras hujusce generis stirpes; differt tamen foliis non *verticillatis* sed *ternis* immo interdum simpliciter oppositis nec *amplexicaulibus*, pedunculisque *brevissimis;* insuper folia sunt hinc inde pilis rarissimis sed longissimis adspersa, ex quo nomen triviale μακρος (longus) τριχῖς (pilus).

XXI. Trevirania W. en: 637. non Roth: = Spr: syst: n. 2195. = L'Herit: st: nov: I. p. 147. t. 71. sub *Cyrilla pulchella* = *Achimenes*, *Cyrillæ*, *Gesneriæ*, *Columneæ*, et *Buchneræ* stirp: alior: (*Didyn*: *angiosp*: W., *Personatæ Scrophularinæ* Spr:).

» *Cal*: 5-sepalus. *Cor*: infundibuliformis limbo 5- » lobo sub-æquali. *Stam*: didynama cum rudimento » filamenti quinti. *Caps*: semi-2-locularis. »

Obs: Genus constans unica stirpe (*Tr*: *coccinea*) ex *Jamaica*, perenni, radice turberculis amentiformibus imbricato-squamosis, quibus planta singulis annis regeneratur, caule erecto debili ramoso pilosiusculo, foliis ternatis ovatis dentatis villosis subtus rubescentibus, pedunculis axillaribus sub-ternis, floribus pulcherrime coccineis. Ubique nunc culta in calidariis ob amœnitatem et numerum florum quibus tota æstate luxuriat.

XXII. Russelia Lin: gen: ed: Schreb: n. 1041. = Spr: syst: n. 2192. = Lam: ill: t. 539. (*Didyn*: *angiosp*: L., *Scrophulariæ* sect: I. Juss:, *Personatæ Scrophularinæ* Spr:).

» *Cal*: 5-partitus subulatus. *Cor*: ventricosa 2-la-
» biata 2/3 fauce barbata. *Stam*: didynama anthera-
» rum loculis patulis. *Caps*: rostrata 2-locularis 2-
» valvis, valvis 2-partibilibus, placenta centrali
» demum libera. »

Obs: Genus *Stemodiæ* affine, sed præsertim corolla intus *barbata* et capsula *rostrata* distinctum, constans 7-8. stirpibus herbaceis aut fruticulosis ex *Amer*: æquin: Nunc culta invenitur in nonnullis calidariis *Europæ* ad ornamentum *R. multiflora* = Sims: bot: mag: t. 1528. (*Vera-Crux*, *Mexico*). Suffrut: Subscandens glabriuscula, folia opposita late ovata crenata, racemi terminales compositi compacti, flores coccinei (*R. coccinea* h. Spin:).

XXIII. CALCEOLARIA Lin: gen: ed: Schreb: n. 39. = Spr: syst: n. 84. = Lam: ill: t. 15. (*Diandr*: *mon*: L., *Scrophulariæ* sect: II. Juss:, *Personatæ* Spr:).

» *Cal*: 4-partitus sub-æqualis, lacinia superiore » sæpius paullo latiore. *Cor*: 2-labiata, labiis sub-in- » tegris superiore abbreviato, inferiore maximo con- » cavo calceiformi. *Stam*: 2. antheris 2-locularibus, » loculo altero sæpius sterili. *Caps*: semi-2-valvis, » valvis 2-fidis placentis septo adnatis. »

Obs: Genus ob corollæ structuram singularissimum et ab affinibus distinctissimum (1), constans 70. circiter stirpibus herbaceis aut fruticosis, omnibus ex *Amer*: merid: præsertim e regionibus chilensibus et peruvianis, extricatu difficillimis, foliis oppositis interdum ternis rarissime alternis integerrimis vel dentatis pinnatisve, pedunculis 1- aut multi-floris, floribus sæpissime luteis. Colo in h. Ripul: = 1. *C. pinnatam* = L. mant: 171. = 2. *C. integrifoliam* = L. syst: non L. fil: a Spr: omissam, quam dubito ad *C. rugosam* R. et P. esse referendam; hæc est suffruticosa, foliis ovatis rugosis sub-integris, pedunculis terminalibus 3-fidis; floret fere toto anno. Possideo insuper seqq: quæ dubiæ vel novæ videntur.

3. *C. Berteri* = Nob: *C. sessilis?* Berter: in sched: » *C.* caule suffruticoso erecto ramoso glabriusculo, » ramis strictis, foliis oppositis ovato-lanceolatis in

---

(1) Cons: cl: GUILLEMIN *considér: sur l'irrégularité de la corolle du Calceolaria* in Arch: bot: tom: II. p. 1. et 136., quam ipse monstruosam appellat (*monstruosité congéniale!*).

» petiolum attenuatis acutis serratis glabris subtus » pallidioribus, paniculis terminalibus ramis sub-co- » rymbosis. » Colla pl: rar: chil: ined:

Obs: Missa a Bertero e *Rancagua* sub nomine *C. sessilis* cum dubitationis signo, est revera ei valde affinis, sed differt foliis *in petiolum attenuatis* nec *sessilibus semi-amplexicaulibus*, non *rugosis* etsi *reticulato-venosis*, non *incanis* sed *superne viridibus inferne pallidiusculis*, inflorescentia reapse *paniculata*.

4. *C. nitida* = Nob: *C....*? Berter: in sched: « *C.* » caule suffruticoso erecto ramoso diffuso glabro ramis » striatis, foliis oppositis sessilibus nitidis ovato-lan- » ceolatis inferioribus et caulinis remote serratis, su- » perioribus integerrimis acuminatis, panicula termi- » nali laxa foliosa, ramis sub-corymbosis. » Colla l. c.

Obs: Differt a priori, præter characteres allatos, panicula breviori et magis laxa, ac floribus paullo minoribus. Hab: c. priori.

5. *C. ferruginea* = Nob: non Cav: *C....*? Berter: in sched: « *C.* caule suffruticoso elato glabro rigido » ramoso, foliis oppositis lanceolato-linearibus in pe- » tiolum attenuatis obtusiuscule denticulatis superne » glabris inferne ferrugineis reticulato - venosissimis » lacunosis, panicula terminali laxa, ramis sub-co- » rymbosis, pedicellis 1 - floris. » Colla l. c. c. ic: t. XLVI.

Obs: Affinis videtur *C. salicifoliæ* R. et P., sed non *viscosa*, folia *lineari* - non *ovato* - lanceolata subtus *ferruginea* nec *cinerea*, caulis *paniculatus* pedunculis 1-floris nec simpliciter *pedunculi gemini*. *Ferrugineam* dixi, stirps enim ejusdem nominis Cav: a nostra valde

diversa pertinet ad *rosmarinifolium* LAM: antiquiorem. Hab: in saxosis humidis collium *Valparaiso.*

6. *C. salviæfolia* = Nob: non Pers: *C....?* Berter: in sched: « *C.* caule fruticoso rigidiusculo ramoso la-
» nato lana demum decidua, foliis oppositis sub-ses-
» silibus ovato-lanceolatis basi dilatatis sursum atte-
» nuatis obtusiusculis serrulatis superne glabriusculis
» inferne cinereo-puberulis cum foliis 5-6-linearibus
» commixtis, panicula terminali sub-simplici foliosa,
» pedicellis 1-floris. » COLLA l. c.

Obs: A ceteris prima facie distinguitur foliorum dispositione, quorum 2. valde majora opposita, 5-6. linearia duplo breviora fasciculata inter illorum axillas. *C. salviæfolia* PERS: omissa a SPR: eadem est ac *rugosa* R. et P.

7. *C. aurea* = Nob: *C....?* Martius in sched: « *C.*
» undique densissime aureo-pilosa sub-simplex ere-
» cta, foliis alternis approximatis sub-sessilibus ovatis
» argute serratis, pedunculis axillaribus solitariis 1-
» floris. » NOB:

Obs: Pulcherrima ac novissima stirps communicata a cl: MARTIO ac lecta in *Brasiliæ* arenosis *Mururi*; pili aurei adpressi longissimi, quibus omnes plantæ partes obteguntur, folia in hocce genere rarissime alterna et hic valde approximata singularem prorsus adspectum ei exhibent.

Trib: III.

VERONICEÆ

» *Cor*: 2 - labiata sub - æqualis. *Stam*: diandra vel » didynama, antheris 2-locularibus, loculis paralellis » basi distinctis superne contiguis rima longitudinali » introrsum dehiscentibus. *Fructus* varie dehiscens. »

XXIV. Veronica Lin: gen: ed: Schreb: n. 32. exclusis paucis stirpib: = Spr: syst: n. 100. = Lam: ill: t. 13. (*Diandr*: *monog*: L., *Pediculares* sect: I. Juss: gen:, *Rinantheæ* Kunth, *Personatæ* Spr:).

» *Cal*: 2 - 4 - 5 - partitus sub-inæqualis. *Cor:* sub - » rotata 4 - loba lobo 1. angustiore rarius ringens. » *Stam*: 2. antheris incumbentibus. *Caps*: 2 - locula- » ris, dissepimento in verticales sibi impositas pla- » centas abeunte aut placenta demum libera. »

Obs: Genus numerosissimum constans 100. stirpibus circiter sæpe variantibus, indeque extricatu difficillimum, circa quod consulendi, inter alios, perillustres Aug: Duvan (considér: sur le genre *Veronica* in ann: sc: nat: 1826. Juin p. 163.), Bertolonium (fl: ital: I. p. 60.), Moretti (syn: *Veronicarum* quæ in Italia sponte nascuntur - Ticini 1834.), et demum eundem Bertolon: (cur: poster: ad I. vol. fl: ital: p. 841. ad 848.). Herbæ vel rarius suffrutices per orbem sparsi plerumque europæi (in sola Italia 33. ex Bertol:, 40. ex Moretti), foliis oppositis subinde ver-

ticillatis vel rarius alternis sæpius simplicibus vel in paucis pinnatifidis, floribus spicato- vel corymboso-racemosis, racemis terminalibus aut lateralibus, vel pedunculis solitariis, ex quibus exsurgunt optimæ generis divisiones.

1. Racemis terminalibus spicatis.

α *Foliis verticillatis oppositisque.*

* 1. *V. ticinensis* = Pollin: fl: veron: III. app: p. 768. et Bertol: fl: ital: I. p. 61. *V. Hostii* et nunc *V. falcata* ex Mart: = Morett: syn: veron: p. 7.? = Ic: ? (Circa *Ticinum*). Specim: mea ex Balbis: sub nomine *V. maritimæ* magis quadrant cum descr: Bertol: l. c. quam cum vera *V. maritima* L. Folia sæpius opposita rarius verticillata, foliorum serraturæ æquales et profundiores quam in *spicata*, corolla cærulea. Omissa a Spr: et forsan confusa cum *maritima*. Alia specim: possideo spontanea ex hb: Biroli sub nomine *V. Hostii* ei a cl: Moretti communicatis quæ magis recedunt a *V. maritima* L. foliis fere linearibus; etsi cl: Bertol: archetypa habuerit tantum ex pratis paludosis sitis inter nemora quæ sunt a flumine *Ticino* ad rivum *Gravellona*, eandem tamen inter plantas pedemontanas memorare fas est, dum cll: Nocca et Balb: in fl: ticin: I. p. 6. generaliter asserunt crescere in sylvis circa *Ticinum*. Circa synon: *V. Hostii* et *falcatæ* cons: Bertol: fl: ital: I. cur: post: p. 341. 342.

β Foliis oppositis.

❀ 2. *V. spicata* = L. fl: suec: II. n. 10. = Spr: syst: I. 71. = Oed: fl: dan: t. 52. Ic: taur: vol. 12. t. 92. f. 7. (*Eur*: passim. *Pedem*: in apricis rupestribus circa arcem *la Brunetta* copiosissima, nec rara in pascuis siccis montanis et secus flumina in sabulosis declivibus All: n. 263. Abunde in rupibus prope *Segusium* ad meridiem *di Prato Donio* Re fl: segus: p. 7. In locis aridis secus *Sturam* prope *Taurinum* Re fl: tor: I. p. 4. *Liguria* occidua ad *Intermelium* Bertol: fl: ital: I. p. 64[?]). Perenn: Pubescens adscendens, folia oblonga plus minus lata varie crenulata obtusiuscula 1 - polystachia floribus cæruleis rarius albidis vel carneis. Circa varr: hujusce polymorphæ stirpis cons: Bertol: l. c. Huc referendam esse *V. argutam* Moretti non Schrad: (*V. spicata* var: α Bertol:), quæ obviam venit in macilentis pascuis prope *Venariam*, ac etiam circa *Taurinum*, monente Re fl: tor: I. p. 27., censuit idem Re l. c. p. 359. magisque nuperrime demonstrasse videtur Bertol: l. c. p. 843.

❀ 3. *V. bellidioides* = L. mant: 316. = Spr: syst: I. 72. = Hall: helv: n. 543. t. 15. f. 1. Ic: taur: vol. 10. t. 6. f. 1. (*Eur*: med: *Pedem*: minime rara in pascuis et saxosis summarum Alpium All: n. 267. In pascuis *M. Cenisii* Re fl: segus: p. 7. In circumdariis *d'Allagna* Biroli fl: acon: I. p. 4. In summis pascuis *M. Sempronii* et ex *M. Rosa* Bertol: fl: ital: I. p. 84.). Perenn: Pumila pubescens, folia obovato-cuneata fere ut in *Bellide*, racemi simplices sub-corymbosi pauciflori.

❀ 4. *V. saxatilis* = L. suppl: p. 83. = Spr: syst: I. 72. = Engl: bot: t. 1027. Fl: dan: t. 340. sub *V. fruticulosa.* Ic: taur: vol. 12. t. 92. f. 3. (*Eur:* alpibus. *Pedem:* in alpibus atque etiam montibus subalpinis ad rupes et scopulos editiores ubique abunde All: n. 268. In saxosis *M. Cenisii* et *all'Assiette* Re fl: segus: p. 7. In alpibus *di Monastero* in valle *Lancei* et speciatim prope *l'Alpe grosso* Re app: I. p. 8. Rupibus alpinis præsertim *del Sempione* frequens Biroli fl: acon: I. p. 4., omnes sub *V. fruticulosa*). Suffrut: Cæspitosa humilis decumbens, folia inferiora obovata superiora oblonga omnia obtusa, racemi pauciflori pube brevissima sursum incurva præditi. Confusa a Botanicis nostratibus cum *V. fruticulosa* L. quam in *Pedem:* numquam vidi, differt præsertim statura undique minori et debiliori, pubescentia racemi breviore non patula nec articulata nec glandulifera. Cons: Bertol: fl: ital: I. p. 85. 86.

❀ 5. *V. alpina* = L. sp: 15. = Spr: syst: I. 72. = Fl: dan: t. 16. et 1921. All: fl: ped: t. 22. f. 5. Ic: taur: vol. 13. t. 107. f. 1. sub *V. pumila.* Ibid: vol. 12. t. 92. f. 4. 5. 8. 10. sub *V. alpina* (Alpib: *Eur: Pedem:* in saxosis et ad scopulos non infrequens in summis alpibus All: n. 269. pro *V. alpina.* In saxosis summæ alpis *Albergian* dictæ All: n. 270. pro *V. pumila.* In alpibus *di Limone*, *della valle d'Ala* et *di Monastero* nec non in pratis alpinis *di Locana* prope *la Tola* et *Usel* pro eadem Re app: III. p. 4. ubi tres alias exhibet varr: In frigidis et humidis pascuis *M. Cenisii* Re fl: segus: p. 7. Nil frequentius in alpib: *Novariens:* ubi variat foliis acutis et

obtusissimis BIROLI fl: acon: I. p. 5.). Perenn: Adscendens, folia ovata integra vel plus minus dentata obtusiuscula vel acuta, racemus hirsutus pauciflorus. Planta valde varians ex statione: modo omnes conveniunt, *V. alpinam* L. et *pumilam* ALL: pro eadem stirpe habendas.

❀ 6. *V. aphylla* = L. sp: 14. = Spr: syst: I. 72. = Bocc: mus: p. 17. t. 1. et 9. Ic: taur: vol. 12. t. 90. f. 2. (*Eur*: alpibus. *Pedem*: in *M. Cenisio* vulgaris neque infrequens ad nivem deliquescentem in summitatibus saxosis reliquarum Alpium ALL: n. 266. RE fl: segus: p. 7.). Perenn: Vix palmaris inferne repens cæspitosa pilosa, folia elliptica vel obovata radicalia sub-conferta caulina pauca opposita vel nulla, caulis vel scapus filiformis apice 2-6-florus, flores cærulei ratione plantæ grandiusculi.

❀ 7. *V. serpyllifolia* = L. sp: 15. = Spr: syst: I. 72. = Fl: dan: t. 492. All: fl: ped: I. 22. f. 1. pro *V. tenella*. Ic: taur: vol. 1. t. 7. (*Eur*: passim, *Amer*: bor: et austr: *Pedem*: in pratis et pascuis ubique ALL: n. 271. In umbrosa sylva alpis *Albergian* et prope arcem *Fenestrelle* præsertim pro *V. tenella* ALL: n. 272. RE fl: segus: p. 7. et fl: tor: I. p. 27. BIROLI fl: acon: I. p. 5. *Sarzanæ* in canaliculis sub colle *di Sarzanello* et monte *Darme*, *Liguria* occidua, *Pegli* BERTOLON: fl: ital: I. p. 90. In *Sardin*: med: ad margines sylvarum MORIS st: sard: I. p. 35.). Perenn: Glabriuscula adscendens sub-simplex, folia ovato-oblonga 3-nervia sub-integra, racemus valde elongatus pedicellis alternis bracteis sub-longioribus, corolla albida cæruleo-striata. *V. tenellam* ALL: so-

lam var: constituere undique minorem foliisque rotundioribus jam monuerat cl: BERTOL: am: ital: p. 2., quod hodie magis comprobat in fl: ital: l. c. cui assentit cl: MORETTI syn: veronic: p. 13.

2. Racemis lateralibus.

❋ 8. *V. Beccabunga* = L. sp: 16. = Spr: syst: I. 72. = Fl: dan: t. 511. Ic: taur: vol. 1. t. 12. Vern: *Beccabunga*, *Favas* (*Eur*: humidis. *Pedem*: ad fontes et puras fluentes aquas ubique nec Alpes ascendit ALL: n. 273. RE fl: segus: p. 7. et fl: tor: I. p. 28. BIROLI fl: acon: I. p. 5. *Sarzanæ* rivulis frequens BERTOLON: fl: ital: I. p. 70.). Perenn: Basi repens radicans glabra succulenta, folia elliptica obtusa crenulata, racemi axillares solitarii oppositi. Variat statura minori, foliis oblongioribus.

❋ 9. *V. Anagallis* = L. sp: 16. = Spr: syst: I. 73. = Fl: dan: t. 903. Ic: taur: vol. 1. t. 11. 12. (Iisdem fere locis innascitur ac prior ALL: n. 274. RE fl: segus: p. 7. et fl: tor: I. p. 29. *Sardin*: juxta rivulos MORIS st: sard: I. p. 35.). Differt a priori, cui valde affinis, caule crassiori erecto, foliis lanceolatis acutis quandoque superioribus præsertim verticillato-ternis quaternisve; uti prior ludit statura. *V. anagallideam* GUSS: et MORETTI quibus certis characteribus distinguatur a *V. anagallide*, difficile determinandum tradidit MORETTI ipse in syn: veron: p. 12. n. 10.

❋ 10. *V. scutellata* = L. sp: 16. = Spr: syst: I. 73. = Fl: dan: t. 209. Ic: taur: vol. 17. t. 41. (*Eur*:

pratis humidis. *Pedem*: in stagnis et fossis agri *Cheriensis* et ad oras lacuum et aquarum lentissime fluentium communis All: n. 275. In aquis stagnantibus *della Praglia di Pianezza*, et in nemoribus *della Mandria* Re fl: tor: I. p. 29. Ad argines oryzarum præsertim *di Obbiate* Biroli fl: acon: I. p. 5.). Perenn: Glabra decumbens radicans, folia lanceolato-linearia sessilia, racemi alterni floribus longe pedicellatis, capsula compressa orbicularis.

❄ 11. *V. officinalis* = L. sp: 14. = Spr: syst: I. 73. = Fl: dan: t. 248. Ic: taur: vol. 1. t. 3. Vern: *Veronica* (*Eur*: passim. *Pedem*: abunde in sylvis collinis potissimum et montanis All: n. 264. Re fl: segus: p. 7. et fl: tor: I. p. 28. Biroli fl: acon: I. p. 4. *Sarzanœ* in sylvis *di Murano* Bertol: fl: ital: I. p. 66. In *Sardin*: sylvis *Tempie*, *Gimbara* Moris st: sard: III. p. 10.). Perenn: Procumbens demum adscendens hirsuta, folia ovato-oblonga serrata sub-petiolata, racemi solitarii initio densi- demum laxi-flori floribus brevi-pedicellatis, capsula ob-cordato-3-gona. Pro *Theæ* succedanea habetur. Huc referenda *V. prætutiana* Morett: sec: Bertol: l. c. p. 844.

❄ 12. *V. Allionii* = Sm: act: soc: Lin: Lond: I. p. 189. = W. sp: I. p. 59. = All: pedem: n. 265. t. 4. f. 3. sub *V. pyrenaica*. Vern: *Veronica d' montagna* (*Delphinat*:, *Gallo-prov*: *Pedem*: in omnibus pratis et pascuis alpinis vulgatissima All: n. 265. et auct: p. 5. Re fl: segus: p. 8.). Vix differt ab *officinali* (var: β L. sp: 14.) rigiditate ac glabritie partium, floribus duplo majoribus in spicam fere ovatam semipollicarem congestis.

⁂ 13. *V. latifolia* = L. sp: 18. non Scop: nec All: = Spr: syst: I. 73. = Jacq: fl: austr: I. p. 37. t. 60. Ic: taur: vol. 1. t. 5. sub *V. Teucrio* (*Austria, Helvetia, Tauria, Ital: Pedem*: in pratis montanis apricis vulgatissima, in collinis *Astensibus* et circa Sanctuarium *dell'Oropa*, secus viam quæ ducit ad pagum *le Jambon* inter oppidum *Exilles* et *Chalbertrand* All: n. 276. Re fl: segus: p. 7. In pratis *del Margozzolo* frequens Biroli fl: acon: I. p. 5., omnes sub *V. Teucrio*). Perenn: Erecta undique pubescens, folia sessilia sub-amplexicaulia cordato-ovata grosse dentata, racemi oppositi calyce 5-partito. Male ab All: relata sub *V. Senecione* L. forsan ob synonymum Mattioli. *V. latifolia* All: pertinet ad *urticæfoliam*.

⁂ 14. *V. Teucrium* = L. sp: 16. non All: = Spr: syst: I. 73. = Plenck: ic: pl: med: I. p. 7. t. 13. sec: Bertol: (*German*: med: et austr:, *Ital*: rara. *Pedem*: abunde in *M. Musinè* et etiam prope *Supergam* secus viam Re fl: tor: I. p. 29. sub *V. dentata*. E *Sabaud*: circa *Aix* habeo ex Perret). Vix a priori diversa, cujus forsan var:, foliis angustioribus dentibus remotioribus ac sursum versis. An huc referenda *V. dentata* Moretti syn: veron: n. 16. in *Carnia* reperta? Plantam non vidi.

⁂ 15. *V. Chamædrys* = L. sp: 17. = Spr: syst: I. 73. = Fl: dan: t. 448. Ic: taur: vol. 1. t. 4. Vern: *Veronica dj prà, Cresson magior* (*Eur*: passim. *Pedem*: ad sepes dumeta et pascua in collinis frequentior All: n. 279. Re fl: segus: p. 8. et fl: tor: I. p. 30. Biroli fl: acon: I. p. 6. *Sarzanæ* ad sepes um-

brosas collium *di Sarzanello* et *Monterosso* Bertolon: fl: ital: I. p. 81.). Accedit magis ad *V. latifoliam* quam ad *Teucrium*, quibus valde affinis, sed caule bifariam piloso, calyce 4-partito facile distinguitur.

❀ 16. *V. prostrata* = L. sp: 17. = Spr: syst: I. 73. = Riv: t. 95. (*Eur*: passim. *Pedem*: in valle *Ulciensi* All: n. 277. Secus viam inter *Venariam* et *Druent*, inter hunc pagum, et sacellum *S. Pancratii*, in sterilibus pascuis *Alpiniani* regione dicta *di Campagnole* Re fl: tor: I. p. 30. *Liguria* occidua *al Capo delle Mele* Bertol: fl: ital: I. p. 77. In collibus prope *Albam* legit Berterus). A *V. Teucrio* parum distincta foliis latioribus, caulibus sterilibus prostratis proliferis adsurgentibus. *V. Teucrium* ß All: n. 276. et auct: p. 5. huc videtur pertinere.

❀ 17. *V. urticæfolia* = L. fil: suppl: p. 83. = Spr: syst: I. 73. = Jacq: fl: austr: I. p. 37. t. 59. *V. latifolia* All: n. 278. non L. (*Bohem*:, *Austria*, *Transylvan*:, *Ital*: *Pedem*: in sylvis umbrosis locis montanis et subalpinis All: l. c. non in collibus *Taurinensib*: uti ipse tradidit. Re fl: segus: p. 8. similiter sub *latifolia*. In montibus *di Fiano* et in sylvis *della Mandria* Re fl: tor: I. p. 31. et app: I. p. 8. *Liguria* occidua in sylvis *di Guadebella* prope *Oneglia* Bertol: fl: ital: I. p. 82.). Perenn: Erecta simplex glabriuscula, folia pro genere maxima sub-sessilia late sub-cordata ovato-lanceolata (superiora præsertim) acuminata profunde et argute serrata, racemi oppositi longissimi superne sæpius dichotomi pedicellis fructiferis incurvis, calyx 4-partitus, corolla parva carnea.

❀? 18. *V. austriaca* = L. sp: 17. = Spr: syst: I. 74. = Jacq: fl: austr: IV. p. 16. t. 329. f. 1. 5. pro *V. multifida* et *austriaca* (*Eur*: austr: et orient: *Pedem*: lecta in pascuis *di Roasca* a Bellard: fide All: n. 280.). Perenn: Erecta canescenti-pubescens, folia sub-sessilia sub-pinnatifida laciniis angustis inæqualibus, racemi sub-solitarii, calyx 4-5-partitus valde inæqualis, corolla grandiuscula pallide cærulea. Variat foliis 2-pinnatifidis, pinnatifidis, vel tantum inciso-dentatis, unde rite *V. austriaca* L. cum *multifida* Jacq: conjuncta a cl: Bertol: fl: ital: I. p. 74. Specim: mea ex plantis cultis, non ex loco natali; cl: Bertolon: l. c. non monet stirpem hanc crescere etiam in *Pedem*: In hb: autem cl: Bellardi nullam vidi mentionem loci natalis ab All: indicati; ceterum de illa silent alii Botanici nostrates.

3. Pedunculis solitariis.

❀ 19. *V. arvensis* = L. sp: 18. = Spr: syst: I. 75. = Fl: dan: t. 515. Ic: taur: vol. 1. t. 9. (*Eur*: passim, *Amer*: bor: *Pedem*: in arvis et hortorum areis ubique ac etiam secus prata All: n. 585. Re fl: segus: p. 8. et fl: tor: I. p. 31. Biroli fl: acon: I. p. 6. *Sarzanæ* ubique inter sata Bertol: fl: ital: I. p. 92. In *Sardin*: arvis Moris st: sard: I. p. 35.). Ann: Erecta cæspitosa pubescens, folia inferiora ovata petiolata superiora majora cordato-ovata sessilia, pedunculi axillares secus caulem (*corymbo-racemus* Bertol:) brevissimi, calyx inæqualiter 4-partitus corolla cærulea longior.

✻ 20. *V. acinifolia* = L. sp: 19. = Spr: syst: I. 75. = Bocc: mus: p. 19. t. 9. et 102. Ic: taur: vol. 1. t. 10. f. 1. 2. (*Gallia*, *Ital*: *Pedem*: prope *Exilles* ad radices montis *Collisée*, circa *Moncrivello* et *Borgomasino* All: n. 288. Re fl: segus: p. 8. Ubertim in arvis *di Druent*, prope *Taurinum*, in arvis circa *la Molinetta* et *l'Idraulica* Re fl: tor: I. p. 33. Circa *Novariam* in locis umbrosis *della Bicocca* Biroli fl: acon: I. p. 7. *Sarzanæ* in arvis inter sata *al Corso* copiosissima Bertol: fl: ital: I. p. 94. *Sardin*: in pascuis montis *Linas* Moris st: sard: I. p. 35.). Differt a priori, cui valde affinis, statura minori, foliis carnosulis glabriusculis cuneatis, pedunculis elongatis, calyce corollam saturatius cæruleam sub-æquante. Huc perperam referunt W. et Spr: *V. romanam* All:, quam ad var: β *V. triphyllos* esse amandandam evidenter demonstravit cl: Bertol: fl: ital: I. p. 94. 97.

✻ 21. *V. præcox* = All: auct: p. 5. n. 285. = Spr: syst: I. 75. = All: l. c. t. 1. f. 1. (*German*:, *Helvet*:, *Tauria*, *Ital*: *Pedem*: in agris circa *August*: *Taurinor*: All: l. c. c. descr: In *Exillarum* valle secus arva sed admodum rara Re fl: segus: p. 8. In arvis inter *Grugliasco* et *Rivalta*, inter segetes in loco dicto *i Caset di Lucengo* atque fide Baleisii prope caseale *d'Arbaudi* Re fl: tor: I. p. 31.). Cum priori confusa a W. sp: I. p. 75. 76. Differt præsertim hirsutie glandulosa qua tegitur, foliis minus rotundatis basi cordatis, pedunculis folio brevioribus, capsulis turgidis nec compressis. Eandem plane possideo sub nomine *V. ocymifoliæ* Thuill:

✻ 22. *V. agrestis* = L. sp: 18. = Spr: syst: I. 75.

= Fl: dan: t. 449. Ic: taur: vol. 1. t. 15. (*Eur*: passim. *Pedem*: ubique in hortis et ruderatis All: n. 284. Re fl: segus: p. 8. et fl: tor: I. p. 31. Biroli fl: acon: I. p. 6. *Sarzanæ* observavit Bertol: fl: ital: I. p. 101. sub *V. didyma* Tenor: In *Sardin:* arvis Moris st: sard: I. p. 35.). Ann: Procumbens cæspitosa puberula, folia petiolulata plus minus oblonga sub-cordato-deltoidea superiora alterna, pedunculi folia subæquantes vel superantes, calycis laciniæ plus minus acutæ, capsula turgida loculis 4-8-spermis. Cl: Bertol: auctoritate All:, Tenor: et Spr: *V. agrestem* a *didyma* distinguit, sed accuratissima ejus descriptio de utraque suadere videtur ita polymorphas esse quandoque etiam in eodem individuo, ut satius forsan sit exemplo etiam cl: Moretti syn: veron: p. 23. (1) sub una specie eas retinere; ceterum habitu simillimæ, et differentiæ præcipuæ a cl: Tenore allatæ in syll: fl: neap: p. 13. 14. satis constantes non adparent uti eruitur ex citatis descriptionibus; quidquid tamen sit de conjunctione vel disjunctione harum plantarum, circa quas novas addidit observationes cl: Bertol: l. c. p. 846., facti est specim: pedemontana magis quadrare cum descr: *V. didymæ*.

❋ 23. *V. hederæfolia* = L. sp: 19. = Spr: syst: I. 75. = Fl: dan: t. 428. Ic: taur: vol. 1. t. 14. (*Eur*:

---

(1) Cons: tamen eundem Moretti l. c. p. 23. 24. ubi *V. agrestem* All: aliorumque Botanicorum italicorum ad *V. politam* Fries amandat eandem ac *V. didyma* Bertolon: non Tenore, ex quo synonymia ita esset emendanda: *V. agrestis* L. *V. didyma* Tenor: non Bertol: = *V. agrestis* All: *V. polita* Fries. *V. didyma* Bertol: non Tenor:

cultis et agris. *Pedem*: locis iisdem quibus innascitur *V. arvensis* All: n. 286. Re fl: segus: p. 8. et fl: tor: I. p. 32. Biroli fl: acon: I. p. 6. *Sarzanæ* in arvis Bertol: fl: ital: I. p. 105. In *Sardin*: arvis Moris st: sard: I. p. 35.). Ann: Cæspitosa prostrata villosa, folia petiolata sub-cordata semi-orbiculata 3-5-loba, pedunculi folium sub-æquantes, calycis laciniæ strictæ æquales corollam ex albo cæruleam superantes. Semina umbilicata huic stirpi propria sec: W. sp: I. 74. Var: lectam in collibus *Taurin*: eundo ad *Eremum* statura vix pollicari, foliis uno dentium pari semper sinuatis radicalibus ovato-lanceolatis constanter integerrimis memorat Biroli in mss:

* 24. *V. Buxbaumii* = Tenor: fl: nap: I. p. 7. et syll: fl: neap: p. 14. = Spr: syst: I. 75. = Fl: dan: t. 1982. *V. persica* Moretti ex Poir: (*German*:, *Tauria*, *Græcia*, *Ital*: *Pedem*: in arvis inter *Taurin*: et *la Madonna di Campagna*, nec non inter *Taurinum* et *Montemcalerium* atque prope *Venariam* Re fl: tor: I. p. 32. et app: II. p. 190. In campis et hortis circa urbem *Novariæ* Biroli fl: acon: I. p. 6. sub *V. filiformi* Bess: non Sm: nec Spr: In agro *Clavarensi Liguriæ* orient: Bertol: fl: ital: I. p. 103.). A priori, cui affinis, statim distinguitur foliis ovato-serratis nec lobatis, pedunculis folio duplo longioribus, calycinis laciniis acutioribus sub-inæqualibus corolla brevioribus. *V. filiformis* Spr: ex Sm: quam non possideo, videtur alia planta ex phrasi; reapse non invenitur inter synonyma a Bertol: citata.

* 25. *V. cymbalaria* = Bertol: mem: della soc: med: d'emul: di Gen: t. I. et fl: ital: I. p. 105. =

Spr: syst: I. 76. = Fl: gr: I. p. 7. t. 9. *V. cymbalariæfolia* Vahl: en: I. p. 81. (*German*:, *Tauria*, *Thracia*, *Ital*: *Liguria Sarzanæ*, *Lunæ* portu et *Genuæ* præcipue a *Cornegliano* in rure *Durattiano* fere semper ad muros campestres vetustos Bertol: fl: ital: I. p. 106. *Sardin*: in umbrosis et ad sepes Moris st: sard: I. p. 35.). Ludit inter *V. hederæfoliam* et *Buxbaumii*; ad primam magis accedit (*V. hederifolia* var: *β* L. sp: 19.), sed differt præcipue foliis sub-septemdentatis non reapse lobatis, pedunculis folio longioribus, calycinis laciniis patentibus nec strictis, capsulis hirsutis non glabris. Cons: insuper memoratum Bertol: fl: ital: l. c. nec non am: ital: p. 56. 57.

❋? 26. *V. digitata* = Vahl: symb: I. p. 2. = Spr: syst: I. 78. = Ic: ? (*Hispan*:, *Gallia* austr: *Pedem*: ad *Venariam* secus muros et in area R. Collegii Veterinarii semel tantum lecta Re fl: tor: I. p. 33. et app: II. p. 190.). Ann: Erecta pilosiuscula ramosa sub-fastigiata, folia infima 3-fida laciniis ovato-oblongis superiora 3-5-7-digitato-partita laciniis linearibus, flores parvi sessiles laciniis calycinis lanceolatis capsulam ob-cordatam æquantibus. Utrum stirps Vahl: admittenda sit inter spontaneas, acerrima (heu nimium!) lis pendet inter perillustres Moretti et Bertol: (Moretti syn: ver: p. 21. n. 30., Bertol: fl: ital: I. p. 847.); facti, est *semel* tantum inventam fuisse a cl: Re loco indicato, specim: de eadem ipsum mihi humaniter communicasse, ac neque a me neque ab aliis ut sciam nec ibi nec alibi in *Pedem*: postea occurrisse.

❋ 27. *V. triphyllos* = L. sp: 19. = Spr: syst: I.

76. = Fl: dan: t. 627. Ic: taur: vol. 1. t. 8. (*Eur:* passim. *Pedem:* in arvis apricis collium *Taurinens:* All: n. 287. Uberrime in arvis Re fl: segus: p. 8. et fl: tor: I. p. 32. Circa urbem *Novariæ* in campis frequens Biroli fl: acon: I. p. 6. Ex *Sardin:* a Morisio habuit Bertol: fl: ital: I. p. 97. sed enumerata non est in el: st: sard:). Affinis priori, at differt præcipue foliis infimis indivisis ovatis superioribus brevius digitatis laciniis latiusculis, floribus pedunculatis, habitu demum. Huc referunt cll: Bertol: l. c. et Moretti syn: veron: p. 22. *V. romanam* All: n. 289. t. 85. f. 2. lectam in ericetis et pascuis sterilibus *Ciliani;* equidem ico All: et specim: quæ possideo referunt plantam valde graciliorem et simplicissimam ac foliorum structuram potius ad *acinifoliam* n. 20. referendam auctorante etiam Spr: syst: I. 75., sed habitu ac florum dispositione ad *V. triphyllos* magis accedere videtur. A *V. romana* L. quam habeo sub nomine *V. peregrinæ* ejusdem Auctoris toto cœlo diversa.

* 28. *V. verna* = L. sp: 19. = Spr: syst: I. 76. = Fl: dan: t. 252. (*Eur:* passim. *Pedem:* secus arva locis collinis ac in pascuis apricis All: n. 281. In pascuis prope arcem *Fenestrellarum* All: n. 282. t. 85. f. 1. pro *V. Bellardi*, in saxosis apricis circa thermas *Valderianas* All: n. 283. t. 22. f. 4. et ic: taur: vol. 13. t. 106. f. 5. pro *V. succulenta.* Re fl: segus: p. 8. ubi refert etiam *V. Bellardi* repertam in apricis aridis montanis *di Chiaure*, nec non locis siccis calidisque *di Condove*, in sterilibus agris *della Molinetta*, in arvis ad *Stupinixium* et secus *Sturam*

Taurinensem Re fl: tor: I. p. 33. In sylvis *della Bicocca* urbis *Novariæ* Biroli fl: acon: I. p. 6.). Ann: Erecta rigidiuscula tenuiter pubescens, folia inferiora ovata petiolata superiora pinnatifida sessilia floralia (*bracteæ* Bertol:) linearia indivisa, pedicelli calyce breviores, calycis laciniæ inæquales lineares corolla cærulea longiores. *V. succulenta* All: non differt nisi foliis magis succulentis, *V. Bellardi* ejusdem Auctoris a Spr: omissa caulem habet simpliciorem totum florigerum, folia linearia non digitato-partita omnia alterna; an igitur admittenda tamquam species distincta? Non audeam post ea quæ diligentissime more suo observavit cl: Bertol: fl: ital: I. p. 93. et 96. a lectore consulendus.

Veronicæ magis dubiæ (1).

29. *V. ruthenica* = R. et S. syst: I. p. 96. ex h. Vindeb: (Patria?). « Perennis erecta ramosa puberula; foliis brevi - petiolatis inferioribus oppositis » lanceolatis inæqualiter argute serratis, superioribus » alternis gradatim minoribus, summis linearibus » sub - integerrimis; racemo terminali subinde cum » lateralibus; bracteis linearibus pedicellos sub - æ-

(1) Multas in herbario possideo et in horto Ripulensi colo *Veronicæ* stirpes præcipue ad *spicatas* spectantes sub variis nominibus quæ non inveni in libris botanicis, vel quandoque vidi adhibita in hortulanorum catalogis. *Sed in tanto Veronicarum agmine* (ajebat Schult:) *hybridas intercurrere species indubitatum nobis videtur.* Hinc duas tantum refero, quæ forsan pro distinctis stirpibus recensendæ.

» quantibus; calyce 4-partito sub-æquali corolla (cæ-
» rulea) duplo breviori; capsula glabra. » Nob:

30. *V. capitata* = Fisch: in scheda (*Altaï*). « Pumila gracilis basi radicans adscendens simplex villosiuscula; foliis oppositis sub-sessilibus ellipticis obtusis serrulatis; racemo terminali simplici solitario capituliformi; bracteis ovatis calycem 4-partitum tegentibus; floribus sub-sessilibus congestis. » Nob: Inflorescentia vere capitata a ceteris facile distinguitur; corolla calyce duplo longior cærulea; stamina vix exserta; capsulam maturam non vidi. Affinis videtur *V. Allionii* n. 12., sed caule graciliore, foliis minoribus, ac spica fere orbiculari nec ovata distinguitur.

XXV. Pæderota Lin: gen: ed: Schreb: n. 33. = Spr: syst: n. 81. = Lam: ill: t. 13. = *Pæderotæ* et *Walfeniæ* spec: Smith.

» *Cal:* 5-partitus æqualis. *Cor:* ringens fauce pervia, labiis varie divisis. *Stam:* juxta labium inferius adscendentia, antheris sagittatis. *Caps:* apice dehiscens placenta demum libera. »

Obs: Genus allatis notis a *Veronica* distinctum, constans 2. stirpibus ex alpib: *Carniol:* perennibus, foliis oppositis sub-rotundo-ovatis in *P. Bonarota* L. sp: 20., ovato-lanceolatis in *P. Ageria* L. mant: II. p. 171., calycibus hirsutis in prima, glabriusculis in alteris. Cons: quæ de hisce stirpibus diffuse disseruit cl: Bertol: fl: ital: I. p. 108. ad 112.

XXVI. SIBTHORPIA Lin: gen: ed: Schreb: n. 1038. = Spr: syst: n. 2204. = Lam: ill: t. 535. (*Didyn*: *angiosp*: L., *Pediculares* sect: I. Juss: gen:, *Personatæ desciscentes* Spr:).

» *Cal*: 5-partitus æqualis. *Cor*: calycem æquans
» tubo brevi limbo 5-fido sub-regulari. *Stam*: didy-
» nama paribus remotis. *Stigm*: capitatum. *Caps*: 2-
» locularis ob-cordata 2-valvis, dissepimento valvis
» contrario. »

Obs: Genus constans una stirpe europæa, cui cl: KUNTH duas addidit ex *Amer*: æquin:; in systemate sexuali haud admittendæ utpote pentandræ nec didynamæ, habitu tamen non separandæ.

1. *S. europæa* = L. am: acad: III. p. 22. (In hudis *Angliæ*, *Lusitan*:). Herba perennis repens pusilla villosula, folia alterna peltata cordato-reniformia 7-9-loba, pedunculi axillares erecti demum nutantes solitarii, corolla purpurascens.

XXVII. MANULEA Lin: gen: ed: Schreb: n. 1032. = Spr: syst: n. 2147. = Lam: ill: t. 520. (*Didyn*: *angiosp*: L., *Pedicul*: sect: II. Juss: gen:, *Primuleæ* Spr:).

» *Cal*: 5-partitus. *Cor*: tubulosa limbo 5-partito
» subulato, lacinia infima distantiore. *Stam*: didy-
» nama antheris inæqualibus. *Caps*: 2-locularis pla-
» centa libera centrali. »

Obs: Genus cum seq: habitu ludens inter *Gentianeas* et *Primulaceas*, sed staminibus didynamis ad *Personatas* magis accedens, constans 35. stirpibus circiter ex *Afr*: austr: et *C. B. S.* fruticosis vel her-

baceis, foliis oppositis alternis vel fasciculatis, floribus bracteatis plerumque racemosis. In calidariis europæis sæpe colitur *M. oppositifolia* VENT: malm: p. et t. 15. Fruticulus ramosissimus puberulus, foliis oppositis brevi-petiolatis ovatis inciso-serratis, pedunculis oppositis fere in omnibus foliorum axillis solitariis 1-floris, corolla lactea tubo gracillimo.

XXVIII. ERINUS Lin: gen: ed: Schreb: n. 1034. exclusis paucis stirpib: = Spr: syst: n. 2145. = Lam: ill: t. 521.

» *Cor*: limbus 5-fidus æqualis, lobis cordatis. Ce-
» tera *Manuleæ*. »

Obs: Genus vix a priori distinctum, constans 15. circiter stirpibus pariter africanis, una tantum europæa.

❋ 1. *E. alpinus* = L. syst: p. 477. = Spr: syst: II. 769. = Lam: ill: t. 521. (Alpib: *Eur*: med: Ad rupes in *Sabaud*: prope *Menton*, prope *Chambery* et *Salanche*, uti etiam inter *Tenda* et *Saorgio*, circa thermas *Vinadii* atque supra *Pertus d' Margon* ALL: n. 262. In valle *Formazza* supra *Crodum*, in illa *di Bugnanco* circa montem *Ossulanum* non frequens BIROLI fl: acon: I. p. 216. *Sardin*: inter rupium fissuras in summo monte *Oliena* MORIS st: sard: III. p. 10.). Perenn: Pubescens, folia radicalia fasciculata caulina alterna omnia oblongo-spathulata crenata, racemus terminalis sub-simplex foliosus, pedunculi alterni solitarii 1-flori. Variat floribus purpureis vel albidis (*Ageratum minus saxatile flore albo* BARR: ic: rar: 23. t. 1192.).

XXIX. Buchnera Lin: gen: ed: Schreb: n. 1035. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 2182. = Gærtn: fr: I. p. 259. t. 55. (*Didyn: angiosp*: L., *Pedicul*: sect: II. Juss: gen:, *Personatæ Scrophularinæ* Spr:).

» *Cal*: 5-dentatus 10-striatus æqualis. *Cor*: infun-
» dibuliformis limbo 5-fido sub-inæquali. *Stam*: di-
» dynama inclusa antheris linearibus. *Stigm*: sub-
» clavatum. *Caps*: 2-locularis 2-valvis valvis medio
» septiferis, placenta columnari demum libera. »

Obs: Genus duobus præcedentibus valde affine, constans 35. circiter stirpibus exoticis præsertim ex *Afr*: austr: et *N. Hollandia*. Herbæ oppositifoliæ sæpe scabræ, floribus plerumque spicatis 3-bracteatis, in 2. sectiones dividendæ ex corollæ limbo sub-æqualiter 5-fido vel evidenter 2-labiato 2/3. Possideo inter omnes pulcherrimam *B. hermonticam* = Delil: fl: ægypt: p. 66. n. 560. pl: gravées p. 245. planch: t. 34. f. 3. Perenn: Erecta tetragona ramosula calloso-hispida, folia lanceolata sessilia, spica terminalis pyramidalis, flores majusculi in bractearum axillis oppositi, corolla purpurea 2-labiata labio superiore retuso inferiore 3-lobo æquali (*Ægypt*: super:, *Nubia*). Specim: optima ex Donat: et Savi.

Trib: IV.

BUDLEJEÆ

» *Cor*: 4-5-fida æqualis. *Stam*: 4. æqualia antheris
» incumbentibus 2-locularibus loculis oppositis rima
» longitudinali dehiscentibus. *Columna* placentifera
» lata dissepimentum constituens. *Sem*: exarillata. »

XXX. Budleja Lin: gen: ed: Schreb: n. 184. = Spr: syst: n. 452. = Lam: ill: t. 69. (*Tetr*: *monog*: L., *Scrophularinæ* sect: I. Juss:, *Personatæ* Spr:).

» *Cal*: 4-fidus. *Cor*: tubulosa limbo 4-fido. *Stam*:
» plerumque inclusa receptaculo inserta. *Caps*: 2-lo-
» cularis septicido-2-valvis, valvis 2-fidis. *Sem*: pa-
» leacea. »

Obs: Genus constans 40. circiter stirpibus exoticis præcipue ex *Amer*:, arboreis fruticosis vel herbaceis, foliis oppositis integris vel dentatis, floribus plerumque spicatis quandoque capitatis aut verticillatis rarius solitariis. Nonnullæ in calidariis nostris cultæ ad ornamentum, inter quas dubiam enumero.

Species dubia.

1. *B. nepalensis* = Hortul: ? « *B.* caule ramisque
» teretibus glabris junioribus rufo-tomentosis; foliis
» breviter petiolatis rotundato-ovatis integerrimis vel
» superne sinuato-dentatis, junioribus rufo-tomentosis
» subinde glaberrimis nitidis; corymbis axillaribus sub-

» pedunculatis paucifloris rufescentibus, corolla in-
» fundibuliformi limbo patente brevissimo. » Nob:
Non videtur differre a *B. diversifolia* Vahl: symb: III. p. 15. quam ipse eandem esse asserit et a *B. indica* Lam: dict: I. p. 507.; sed Vahl: folia *sub - repanda* dicit uti in nostra, quod non indicat Lam: folia absolute *integra* describens. Habui viventem ex h. Littæ sub nomine *B. nepalensis*, ac ex h. Zalderæ sub *B. diversifolia*.

Trib: V.

RHINANTHEÆ

» *Cor*: 2-labiata labio superiore sæpius compresso
» galeato. *Stam*: didynama antheris 2-locularibus lo-
» culis oppositis basi distinctis et in calcar seu mu-
» cronem deorsum productis. *Capsulæ* dissepimentum
» duplicatum utrinque placentiferum. *Sem*: arillata. »

XXXI. Euphrasia Lin: gen: ed: Schreb: n. 998. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 2159. = Lam: ill: t. 518. (*Didyn*: *angiosp*: L., *Pedicul*: sect: II. Juss: gen:, *Personatæ Rhinantheæ* Spr:).

» *Cal*: tubulosus 4-fidus seu laciniis 2. lateralibus
» 2-fidis. *Cor*: 2 - labiata labio superiore emarginato
» vel denticulato inferiore 3-partito. *Antherarum* lo-
» culi basi mucronati. *Stigm*: capitatum oblique emar-
» ginatum. *Caps*: compressa. *Sem*: sulcato-striata. »

Obs: Genus constans 30. circiter stirpibus per orbem sparsis, permultis europæis, omnibus herbaceis,

foliis sub-oppositis simplicibus oblongis plus minus angustatis sæpe incisis, floribus plerumque sub-spicatis.

α Foliis linearibus.

❋ 1. *E. linifolia* = L. sp: 842. = Spr: syst: II. 775. = Col: ecphr: II. p. 68. t. 69. (*Ital:*, *Gallia* austr: *Pedem:* in collibus locisque sylvaticis *Burgimasini*, *Moncrivelli* et totius provinc: *Canapiciensis*, in sylvis inter *Buttiglieram* et *Ripam Cheriensem*, neque rara in montibus *Bovisii* BELLARD: app: p. 32.). Ann: Pubescens ramosissima ramis virgatis, folia omnia linearia integerrima scabra, flores secus apicem ramorum sub-alterni parvi breviter pedunculati solitarii calycibus glabriusculis.

❋ 2. *E. tricuspidata* = L. sp: 841. = Spr: syst: II. 775. = Pluk: alm: 142. t. 177. f. 1. (*Ital:* super: *Pedem:* alpib: *Vinadiensib:* ALL: n. 214.). Differt a priori caule humiliori vix ramoso, foliis versus apicem denticulis 2. præditis unde 3-cuspidata adparent, floribus paucioribus ex albo purpureis valde majoribus.

❋ 3. *E. lutea* = L. sp: 842. = Spr: syst: II. 775. = Jacq: austr: t. 398. Ic: taur: vol. 8. t. 44. (*Eur:* austr: *Pedem:* locis montanis apricis atque in arvis etiam editiorum montium frequens ALL: n. 216. RE fl: segus: p. 51. Frequens *alla Colma di Varallo* BIROLI fl: acon: I. p. 209. *Liguria* in collibus secus *Leira* BERTOL: am: ital: p. 161. In aridis montanis *Sardin:* med: MORIS st: sard: I. p. 35.). Ann: Glabriuscula ramosa ramis patentiusculis, folia latiora

quam in præcedentibus inferiora serrata superiora integerrima, flores disticho-racemosi lutei laciniis lateralibus labii inferioris denticulatis.

4. *E. corsica* = Loisl: et Spr: syst: II. 775. (*Corsica*, *Sardin*: in montanis editis *Genargentu* Moris st: sard: I. p. 35.). Facie affinis *E. tricuspidatæ*, sed folia integerrima, calyces obtusi corollam sub-æquantes.

β Foliis sub-lanceolatis.

✱ 5. *E. viscosa* = L. mant: 86. = Spr: syst: II. 776. = Garid: Aix 351. t. 78. (*Eur*: austr:, *Afr*: bor: *Pedem*: in valle *Segusiana* supra *Bussolino* atque locis aridis collium *Nicæens*:, inter *Modane* et *Bramant*, circa *Berzes* et in valle *Bardonneche* All: n. 217. In pinetis supra *Foresto* Re fl: segus: p. 51.). Affinis *E. luteæ*, sed differt partium viscositate, foliis latioribus omnibus integerrimis, laciniis lateralibus labii inferioris sub-integris.

✱ 6. *E. salisburgensis* = Funk: in Roëmer arch: I. p. 43. = Spr: syst: II. 776. sub *E. alpina* Lam: = Ic:? (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: in alpibus haud rara Balbis misc: bot: p. 30. In ripis *di Druent* et ad radices montium inter *Fiano* et *Musiné* legit Re fl: tor: I. p. 319. et 364. In pascuis montanis *Ossulæ* et *Sessitis* Biroli fl: acon: I. p. 209.). Ann: Rigidiuscula ramosissima glabra, folia sessilia ovato-oblonga arguta et fere usque medium dentata, flores axillares et ad apicem ramorum sub-capitati sessiles majusculi ex albo cærulei laciniis labii inferioris emarginatis. Perperam confusa a Spr: cum *E. alpina* Lam:,

differt enim foliorum dentibus profundioribus et præsertim statura duplo triploque majori, habitu rigidiori, caule fere lignoso, aliisque notis a cl: POIRET allatis (dict: suppl: II. p. 595.). Potius accedit ad *E. pectinatam* TENOR: quam etiam possideo. Cons: tamen cl: Auctorem in syll: fl: neap: p. 99. ubi tres memoratas species distinctas admittit. Male quoque cl: RE in app: III. p. 12. *E. tricuspidatam* ALL: ad *alpinam* LAM: amandat, nam omnia specim: mea de prima folia habent constanter lineata vix apice duobus denticulis prædita, et gracillime herbacea adparent.

γ *Foliis sub-ovatis.*

❋ 7. *E. officinalis* = L. fl: lapp: 247. = Spr: syst: II. 777. = Riv: t. 90. Ic: taur: vol. 5. t. 22. et vol. 13. t. 75. f. 1. (*Eur*: fere tota, *Amer*: bor: *Pedem*: in pratis sterilibus sub-humidis vulgaris; var: B in pratis subalpinis frequens; paullo rarior var: C in pascuis sterilibus summarum alpium *Valdensium* et *M. Cenisio* infra rupem *la Tura*, in alpibus *di Viù* et circa *Vinadii* thermas ALL: n. 213. RE fl: segus: p. 51. Nihil vulgatius in pratis macilentis atque in pascuis RE fl: tor: I. p. 318. BIROLI fl: acon: I. p. 209. *Liguria* in montibus inter *lo Sperone* et *i due Fratelli* et in monte *Fasce* BERTOL: am: ital: p. 160.). Ann: Valde varians statura ex loco natali; folia semper sessilia ovata argute serrulata, flores axillares oppositi sub-sessiles magnitudine et colore varii laciniis labii inferioris emarginatis. Inter plures hujusce stirpis varr: forsan enumeranda *E. minima* JACQ: quam cl: RE ubertim reperit in valle *d'Ala* et speciatim

prope *la Massa* (app: II. p. 201.), quæque non differt nisi statura humillima, caule simplici. Eadem var: missa mihi fuit a sollertissimo Perret ex monte *Vesulo* et ex montibus du *Charbon* et *de Greiffy* in *Sabaudia* sub nomine *E. palmatæ*.

XXXII. Bartsia Lin: gen: ed: Schreb: excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 2153. = Fl: dan: t. 43. pro *B. alpina* = *Bartsiæ*, *Rhinanthi*, *Alectorolophi*, *Bellardiæ*, *Trixaginis*, *Buchneræ* spec: quorund:

» *Cal*: sub-coloratus. *Cor*: 2-labiata labio superiore » integro inferiore 3-lobo. *Sem*: angulata. Cetera *Eu*» *phrasiæ*. »

Obs: Genus ludens inter *Euphrasiam* et *Rhinanthum*, nec satis constanter determinandum, constans ex Spr: stirpibus 10. fere omnibus europæis.

❋ 1. *B. Trixago* = L. sp: I. 602. = Spr: syst: II. 773. = Column: ecphr: I. p. 199. t. 197. Sub *Rhinantho* W. sp: III. 189. Sub *Bellardia* All: n. 220. non Colla (*Ital*:, *Gallia* austr:, *Lusitan*: In litore *Nicæens*: prope *Lanternam* All: l. c. c. descr: In *Sardin*: pascuis humidis frequens Moris st: sard: I. p. 35.). Ann: Erecta simplicissima glabriuscula, folia sparsa lanceolata profunde obtuso-serrata, flores terminales spicati purpurei vel versicolores (*Rhinanthus versicolor* Lam:) magni bracteati calycibus villosis 2-labiatis labio superiore semi-2-fido segmentis 2-dentatis inferiore lanceolato concavo, corollæ labium inferius superiore longius lacinia media lateralibus longiore, capsula ovata nec compressa; ex quibus præcipuis notis plantam hanc el: All: *Bellardiæ* genus

constituerat quod neutiquam probatum a recentioribus Botanicis. *Bellardia* nostra pertinet ad *Compositas*. (V. vol. III. p. 566.).

❀ 2. *B. viscosa* = L. sp: 839. = Spr: syst: II. 773. = Pluk: alm: 142. t. 27. f. 5. (*Anglia*, *Gallia*, *Ital*: In agro *Nicæens*: All: n. 218. Abunde circa flumen *le Paillon*, copiosius in pratis circa *Antibes* Balbis addit: In *Sardin*: humidis Moris st: sard: I. p. 35.). Ann: Simplex viscoso-villosiuscula, folia lanceolata profunde serrata superiora alterna, flores axillares ramosiusculi, corollæ luteæ labia sub-æqualia.

❀ 3. *B. alpina* = L. h. Cliff: 325. = Spr: syst: II. 773. = Pluk: alm: 110. t. 163. f. 5. (Alpib: *Eur*: med: et bor:, *Amer*: bor: *Pedem*: vulgatissima in summis pratis alpinis et ad humida saxosa montium subalpinorum All: n. 219. Re fl: segus: p. 51. Biroli fl: acon: I. p. 208.). Perenn: Simplex villosa, folia omnia opposita sub-amplexicaulia cordato-ovata obtuse serrata, flores axillares oppositi purpureo-cærulei.

4. *B. bicolor* = Spr: syst: II. 773. ex DC. (Insula *Pulchra* ad *Armoricam*). Simplex villosa, folia stricta lineari-lanceolata serrata, flores terminales capitato-spicati. Habeo ex Perret sine loci indicatione. Cl: Re in rel: Bellard: p. 4. illam enumerat inter plantas pedemontanas tamquam incolam *insulæ Bellæ*; an errore ductus ex statione a Spr: memorata? Insula *Pulchra* ad *Armoricam* est *Belle-île-en-mer en Bretagne*.

❀ 5. *B. latifolia* = Spr: syst: II. 773. ex Sm: = L. sp: 841. sub *Euphrasia* = Magnol: monsp: 95. t. 94. (*Eur*: austr: *Pedem*: in agris *Montisferrati* frequens, in agro *Nicæensi*, observata etiam est in agro

Taurin: loco dicto *la Molinetta* All: n. 212. Ante *l'Arsenale* extra *Portam novam* et secus *Sturam* Re fl: tor: I. p. 318. In pratis sterilibus et inter portam *Mediolani* et *Mortariæ* urbis *Novariæ alla Cunetta* Biroli fl: acon: I. p. 208. Ex agro *Albensi* retulit Berterus, omnes sub *Euphrasia*. In *Sardin*: pascuis collinis aridis Moris st: sard: I. p. 35.). Ann: Erecta hirsuta, folia sessilia ovata dentato-palmata, flores spicati oppositi nec verticillati uti in phrasi Spr:, corolla purpurea labio superiore abbreviato.

❄ 6. *B. Odontites* = Sm: fl: brit: II. p. 648. n. 1. = Spr: syst: II. 773. Sub *Euphrasia* L. h. Cliff: 146. = Fl: dan: t. 625. Ic: taur: vol. 5. t. 26. (*Eur*: passim. *Pedem*: ad radices alpium et montium, immo etiam collium *Taurinensium* locis umbrosis ac secus fossas non infrequenter occurrit All: n. 215. Re fl: segus: p. 51. In arvis et speciatim prope ædem *S. Pancratii* loco dicto *il Truccetto* Re fl: tor: I. p. 319. In arvis secus *Duriam*, secus *Padum* supra *la Molinetta* et prope *Venariam* eundo versus *Collegno* crescit var: *verna*, omnes sub *Euphrasia*). Ann: Erecta ramosa pubescens, folia opposita lineari-lanceolata serrata, flores laxe spicati secundi longe bracteati, laciniæ labii inferioris obtusæ. Variat floribus purpureis vel albis, pariter foliis minus dentatis floralibus majoribus: hæc est *Euphrasia verna* Bell: app: p. 32. *Euphrasia serotina* Lam: (*Bartsia* Bertol: am: ital: p. 33.) a Spr: confusa cum *Odontitide*, quam pariter possideo ex hb: Biroli a Bertol: missam, quæque pertinet ad *Odontitidem* var: β L. sp: 842., pro *E. verna* Bellard: male habita a W.; differt statura undique

minori exceptis floribus, spicis densifloris, bracteis flore brevioribus. Nescio an eadem sit spontanea in *Pedem:*

XXXIII. ALECTOROLOPHUS Hall: helv: n. 313. = Spr: syst: n. 680. = Lam: ill: t. 517. = *Rhinanthi* spec: L.

» *Cal:* ventricosus 4-dentatus. *Cor:* labium supe-
» rius compressum emarginatum. *Antheræ* 2-partitæ.
» *Caps:* compressa 2-locularis seminibus marginatis.
» Char: ex SPR: »

Obs: Genus vix a *Rhinantho* distinctum præsertim ex calycis et corollæ lobi superioris structura, nunc a cl: SPR: ad unicam seq: speciem redactum.

❋ 1. *A. Crista Galli* = Spr: syst: II. 772. = Sub *Rhinantho* L. fl: lap: 248. = Riv: t. 92. Ic: taur: vol: 5. t. 21. pro *A. hirsuto.* Vern: *Tartrè*, *Cręsta d'gal*, *Fiac*, *Erba luin* etc. (*Eur:*, *Asia*, *Amer:* bor: *Pedem:* in pratis montanis communis ALL: n. 205. pro *A. hirsuto*, copiose in pratis macilentis et secus arva ALL: n. 206. pro *A. glabro.* RE fl: segus: p. 51. et fl: tor: I. p. 317. Pro utroque BIROLI fl: acon: I. p. 208., omnes sub *Rhinantho*). Ann: Erectus glaber, pro loco natali statura majori vel minori, folia opposita sessilia lanceolata serrata floralia latiora et breviora, calyx glaber (*A. glaber* ALL:) vel hirsutus (*A. hirsutus* ALL:), flores terminales spicati majusculi lutei. Præter staturam et calycis glabritiem vel hirsutiem, variat etiam dentibus galeæ concoloribus vel cæruleis; huc igitur referendi *R. hirsutus* LAM:, *R. villosus* PERS:, *R. major* EHR:, *R. glaber* LAM:, *R. minor* EHR:, *R. alpinus* BAUMG:, *R. pulcher* SCHUM: etc.

XXXIV. Rhinanthus Spr: syst: n. 2150. = *Rhinanthi* sp: L.

» *Cal*: compressus 2-labiatus, labio altero majore » erecto altero 2-fido reflexo. *Cor*: labium superius » tubulosum apice appendiculatum. »

Obs: Genus habitu omnino *Alectorolophi*, constans 2. stirpibus herbaceis, *Orientis* incolis, quarum altera invenitur etiam in *Calabria* (*Rh*: *Elephas* L.) Hanc possideo, et differt a *Rh: orientali* L. corollæ labio superiore *recto* nec *incurvo*.

XXXV. Pedicularis Lin: gen: ed: Schreb: n. 1003. = Spr: syst: n. 2158. = Lam: ill: t. 517.

» *Cal*: ventricosus irregulariter divisus sæpius 5-» fidus. *Cor*: tubulosa 2-labiata labio superiore ga-» leato compresso apice multiformi, inferiore plano » patente sub-3-lobo. *Caps*: sub-compressa rostrata, » 2-locularis. »

Obs: Amænissimum genus habitu prorsus proprio, constans 60. circiter stirpibus ex Spr:, extricatu difficillimis ob faciei similitudinem. Herbæ sub-humiles loca frigida sylvestria ac alpina totius orbis, alpes europæas, boreales præsertim, exornantes, foliis varie 1-2-pinnatisectis, floribus plerumque spicatis conspicuis colore vario. Exsiccatione nigrescunt uti fere ceteræ *Rhinanthaceæ*. E calycis et galeæ structura optimæ eruuntur generis sectiones. Cons: Stev: monogr: Pedicul: in *mém: de la soc*: *imp*: *des natur*: *de Moscou* cum iconib: ubi 49. stirpes describit (inter quas 36. imperii *Rossici* incolas), in varias sectiones divisas.

1. *Galea rostrata.*

✻ 1. *P. incarnata* = Jacq: austr: t. 140. = Spr: syst: II. 777. = All: ped: t. 3. f. 2. et t. 4. f. 2. Ic: taur: vol. 12. t. 41. f. 1. (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: nulla frequentior est nostris in pratis alpinis et summis nivosis jugis All: n. 228. In pratis *M. Cenisii* Re fl: segus: p. 52. In summis pascuis Alpium vulgarissima Biroli fl: acon: I. p. 211.). Perenn: Glabra elata, folia longe petiolata profunde pinnatisecta segmentis sub-distantibus basi sub-decurrentibus pinnatifidis pinnis denticulatis, spica elongata floribus alternis inferioribus distantibus purpureis, calyx villosus, galea porrecta acuminata. Cl: W. sp: III. p. 213. asserit hanc stirpem diversissimam esse ab *incarnata* L., quæ in alpibus *Eur:* austr: non crescit, quamque *uncinatam* appellat; attamen All: noster monet specim: sicca ad præstantissimum L. misisse et certiorem ab ipso factum fuisse stirpem Linnæanam omnino ad nostram pertinere. Cll: Spr: et Stev: admittunt quoque hasce duas distinctas stirpes; cl: Gaud: fl: helv: IV. p. 140. dubitat citatam iconem All: t. 4. f. 2. forsan esse excludendam a *P. incarnata.*

✻ 2. *P. rostrata* = L. sp: 845. non DC. = Spr: syst: II. 778. = Jacq: austr: t. 205. Hopp: in Sturm: fl: germ: I. fasc: 20. t. 7. (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: frequens ad humidas scopulosas rupes summarum alpium *Valdensium*, *M. Cenisii* et *di Viù* All: n. 223. Re fl: segus: p. 52. Summis alpibus *d'Allagna* et *al Margozzolo* rara Biroli fl: acon: I. p. 211.). Differt

a priori statura valde minori, caule adscendente, calyce sub-colorato glabro, floribus racemoso-congestis. Cl: Re in app: III. p. 11. monet insignem hujusce stirpis var: *calycibus sub-hirsutis* et *sub-viridibus* invenisse in alpibus *di Ceresole* atque *di Monastero* in valle *Lancei*. Alias varr: possideo foliorum pinnis majoribus lectas a cl: Bonjean in *Delphinatu*. *P. rostrata* DC. pertinet ad seq: spec: Gaud: fl: helv: IV. p. 131. *P. rostrato - spicata* Crantz: spectat ad *incarnatam* monente eodem Gaud: l. c. p. 140.

* 3. *P. gyroflexa* = Vill: delph: II. p. 426. t. 9. = Spr: syst: II. 778. = Hall: helv: n. 324. t. 11. Ic: taur: vol. 12. t. 43. f. 3. 4. sub *P. tuberosa* (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: in summis nivosis jugis alpium *Fenestrellarum*, *M. Cenisii* et *Vinadiensibus* prope sacellum *S. Annæ*, in supremis pratis *M. Chapé*, in editioribus jugis Alpium non infrequens All: n. 231. sub *P. tuberosa*. In pratis alpinis *di Foresto*, *M. Cenisii* et *di Giaveno* Re fl: segus: p. 52. Biroli fl: acon: I. p. 212.). Perenn: Adscendens puberula, folia tenuiter et profunde pinnatisecta segmentis usque ad medietatem pinnatifidis, flores spiratim spicati purpurei, galea porrecta emarginata uncinata obtusa labium inferius æquans. Primum ab All: habita pro *P. tuberosa*, sed ab ipso demum amandata ad *gyroflexam* in auct: p. 5. n. 231. Ceterum valde varians statura et florum colore ab albidiusculo ad intense purpureum ut mihi liquet ex pluribus specim: a Bonjean in *M. Cenisio* variisque *Sabaudiæ* locis lectis.

* 4. *P. Bonjeani* = Nob: = *P. cenisia* Gaud: fl: helv: IV. p. 132. *P. gyroflexa* Bonjean pl: exsicc:

non Vill: nec DC. = Ic: ? (*Sabaud:*, *M. Cenisio*, in alpib: *di Lanzo*, *Giaveno* etc.). Primum a sollertissimo immo indefatigabili *M. Cenisii* excursore Bonjean reperta anno 1808., et nuperrime adhuc anno 1834. præsertim retro *l'Hospice*, atque ad amicos Botanicos missa, habita fuit pro eximia *P. gyroflexæ* var:; sed ad trutinam summa qua pollet peritia a cl: Gaud: exacta, novissimam stirpem ac satis ab illa distinctam ipsam constituere, nemo est qui in dubium revocare audeat, inspectis præsertim calycibus *niveo-lanuginosis*, galea *subito* et *abrupte acuminata*, rostro lineari rectiusculo elongato *fisso* - *bifido*, stylo longe *exserto*. Nihil porro addendum restat ad optimam Gaud: descriptionem: attamen nomen immutandum censui tum ob ejus fallaciam (plures enim aliæ stirpes *Cenisium* colunt, illaque extra *Cenisium* etiam adinvenitur), cum in honorem primi Inventoris, cui hic publicas gratias reddere lætor ob tot tantaque perfecta specim: ab ipso humaniter donata.

❄ 5. *P. tuberosa* = L. sp: 847. non All: = Spr: syst: II. 778. = Hall: helv: n. 323. t. 10. (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: summis jugis Alpium vulgaris sec: Biroli fl: acon: I. p. 212.). Vix differt a *gyroflexa* cum qua facillime confundenda, caule prorsus glabro, spica minus foliosa, floribus in spiram non dispositis luteis nec purpureis, galea acuminata labium inferius excedente. Habeo ex *M. Cenisio* a Bonjean. Huc videtur referenda *P. adscendens* Gaud: fl: helv: IV. p. 145. ex Schleick: quam habeo lectam a Bonjean loco dicto *Grenier près Chambery*; differentiæ enim a cl:

Auctore ibi allatæ inter hanc et *tuberosam* mihi leves nec satis constantes visæ fuerunt.

✻ 6. *P. asplenifolia* = Hoërk: spicil: fl: salisb: ined: = Spr: syst: II. 778. = Stev: monogr: t. 13. Sub *P. atrorubente* DC. ex Schleick: (Alpib: *Salisburg:* In magno *S. Bernardi* monte DC. syn: fl: gall: n. 2435. Re app: III. p. 11.). Perenn: Erecta glabra, folia stricta pinnatisecta segmentis sub-alternis valde decurrentibus argute dentatis, spica sub-racemosa 3-7-flora, calyx sub-lanatus apice recurvus, corolla atro-rubens, galea porrecta cernua labium inferius æquans.

2. *Galea obtusa sub apice dentata.*

α Calyce 2-fido s. 2-labiato.

✻ 7. *P. palustris* = L. mat: med: 155. = Spr: syst: II. 779. = Riv: t. 92. Lam: ill: t. 547. f. 1. (*Eur*: paludibus. *Pedem*: circa *Salanche* atque in valle *Ursina* locis paludosis, circa lacum *Avilianæ* All: n. 221. In pratis spungiosis montanis et sub-montanis locisque sylvosis sub-humidis All: auct: p. 4. Re fl: segus: p. 52. In sylvis *Campolati*, valle *Ticini* loco dicto *la porta Lua* rara Biroli fl: acon: I. p. 210. Ex *Chantagne* prope *Chambery* habeo a Bonjean). Ann: Erecta ramosa, folia profunde pinnatisecta segmentis distantibus non decurrentibus parvulis pinnatifidis pinnulis obtuse dentatis, flores versus apicem caulis laterales sub-solitarii pedunculati purpurei.

β Calyce 5-fido.

✱ 8. *P. sylvatica* = L. fl: suec: 504. 553. = Spr: syst: II. 779. = Lob: ic: 748. Fl: dan: t. 225. (*Eur*: passim. *Pedem*: in pratis spungiosis montanis et submontanis locisque sylvosis sub-humidis non infrequens All: n. 222. Circa *Salanche* All: auct: p. 4.). Ann: Humilis, folia et flores fere *P. palustris*, sed uti tota planta minora, calyx inæqualiter 5-dentatus crenulatus.

✱ 9. *P. comosa* = L. sp: 847. non Sut: = Spr: syst: II. 780. = Stephan: ic: mosq: t. 5. All: fl: ped: t. 4. f. 1. et ic: taur: vol. 12. t. 42. f. 1. et t. 43. f. 2. (*Gallia* austr:, *Ital*:, *Russia*, *Sibir*: *Pedem*: in pratis alpinis frequentissima All: n. 229. Re fl: segus: p. 52. Biroli fl: acon: I. p. 212. Ex *Sabaud:* et *M. Cenisio* dedit Bonjean). Perenn: Valde varians ratione loci natalis magnitudine et forma foliorum ac caulis altitudine, sed satis constans calyce sub-pubescente 5-fido sub-æquali, corolla ochroleuca galea emarginato-bifida laciniis acuminatis, spica foliosa, radice fasciculata. Specim: altaica ex Fischerio nostris fere duplo majora omnibus partibus. Huc pertinere videtur *P. fasciculata* Bellard: app: ult: ined: ab ipso lecta in alpibus *Limoni* et *di Ussey*, quæ tamen flores habet purpureos, galeam 3-dentatam. *P. comosa* Sut: fl: helv: II. p. 32. pertinet ad *tuberosam* sec: Gaud: fl: helv: IV. p. 134.

3. *Galea obtusa integerrima.*

✻ 10. *P. recutita* = L. syst: 461. = Spr: syst: II. 781. = Jacq: austr: t. 258. (Alpib: *Eur*: med:, *Amer*: bor: *Pedem*: in pratis montis *Echallier* inter *Fraissen* et *Peyran* All: n. 225. Etiam provenit in monte *S. Bernardi* All: auct: p. 4.). Perenn: Simplex elata glaberrima, folia pinnati-secta segmentis lanceolatis acutis decurrentibus inciso-dentatis floralia sub-integra, spica compacta foliosa, calyx glaber inæqualiter 5-dentatus, corolla purpurea, galea obtusissima labium inferius valde superans. Ex monte *S. Bernardi* misit Bonjean.

✻ 11. *P. atrorubens* = DC. syn: fl: gall: p. 212. n. 2435. ✻ ex Schleick: = Gaud: fl: helv: IV. p. 139. *P. pennina* Gaud: mur: bot: vol. 83. = Stev: pedic: 39. n. 28. t. 13. (In monte *Pennino* haud procul a *Monasterio* hospitali magni *S. Bernardi*). Vix differt a priori pinnis minus profunde dentatis, calyce villoso, galea uncinata breviter acuminato-truncata. Habeo specim: ex hb: Bellardi et ex Bonjean.

✻ 12. *P. foliosa* = L. mant: 86. = Spr: syst: II. 781. = Jacq: austr: II. t. 139. (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: in parvo *M. Cenisio* et *Colissé*, in pratis *Pralugnan*, in monte *S. Bernardi*, in alpibus frigidis *di Faussigny* et *Bardonneche*, generatim in alpibus *Pedem*: admodum rara, frequentior in *Sabaud*: All: n. 230. Re fl: segus: p. 52. In summis alpibus *di Vegezzo* supra *Salecchio* Biroli fl: acon: I. p. 211.). Differt a priori, cui valde affinis, statura maiori, foliis calyceque hirsutiusculis, corolla ochroleuca, galea vil-

losa labium inferius æquante. Observat Bonjean in schedis hujusce stirpis e *Sabaud*: et *M. Cenisio*, plantas helveticas ejusdem stirpis esse statura undique minori pinnulis tenuioribus.

❋ 13. *P. verticillata* = L. sp: 846. = Spr: syst: II. 781. = Jacq: austr: t. 206. (Alpib: *Eur*: med:, *Sibir*:, *Amer*: bor: *Pedem*: abunde ubique in pratis alpinis All: n. 224. Secus rivulos prope *il Collet* eundo versus *Fenestrelles* et in pratis ac pascuis humidis *M. Cenisii* Re fl: segus: p. 52. In pratis alpinis descendit usque ad illa *di Quarna* et *Margozzo* Biroli fl: acon: I. p. 211.). Perenn: Glabra statura varians, folia radicalia profunde pinnati-secta caulina quaterna pinnatifida verticillis distantibus, spica subinterrupta foliosa, calyx hirsutus brevissime 5-dentatus, corolla purpurea, galea sub-erecta.

❋? 14. *P. flammea* = L. sp: 846. = Spr: syst: II. 782. = Fl: lapp: 244. t. 11. f. 2. (*Eur*: bor:, *Dahur*: ad lacum *Baskal*. *Pedem*: in nivoso scopulo summæ alpis *Savinæ* et *M. Cenisio* All: n. 226. Re fl: segus: p. 52. fide All: In *Sabaud*: alpibus DC. syn: fl: gall: p. 213.). Pumila simplex glaberrima radice tuberosa, folia tenuissime pinnatifida laciniis sub-imbricatis reflexis obtusis denticulatis, spica pauciflora, calyces pallidi rubro maculati, flores flavi, galea utrinque coccineo maculata, laciniæ labii inferioris acutæ. Admodum rara penes nos et forsan ad seq: pertinens.

❋? 15. *P. versicolor* = Stev: l. c. n. 41. ex Wahlemb: = Spr: syst: II. 782. = *P. flammea* auctor: german: sec: Stev: et Gaud: fl: helvet: IV. p. 142.

Hall: helv: n. 315. t. 8. f. 3. (Alpib: *Eur:* med:, *Altaï*). Vix differt a priori laciniis labii inferioris rotundatis nec acutis, galea utrinque ferrugineo - nec coccineo-maculata. Cl: Spr: huic stirpi synon: tribuit *P. flammeam* DC. non L. ex quo dubito *P. flammeam* ab All: relatam ad *versicolorem* pertinere, auctoritate etiam cl: Gaud: l. c. Attamen specim: mea de hac proveniunt ex *Altaï* a præclarissimo Fisch: et ex *Helvet:* a Bonjean. Ex *Pedem:* nulla possideo ac in scheda citati specim: Bonjean hæc lego: « *on la dit du Montcenis, je ne l'y ai jamais trouvée.* »

❋ 16. *P. rosea* = Jacq: ic: rar: I. t. 115. = Spr: syst: II. 782. = All: pedem: n. 227. t. 3. f. 1. sub *P. hirsuta.* Ic: taur: vol. 12. t. 41. f. 2. et t. 43. f. 1. (Alpib: *Eur:* med: *Pedem:* minime rara ad deliquescentem nivem inter scopulos diffractarum alpium *di Taillon*, *le Vallon*, et *M. Cenisii*, atque inhabitat etiam summa juga Alpium ad valles *di Viù*, *Groscaval*, *di Pont*, *Ceresole* etc. All: l. c. Re fl: segus: p. 52. In summis pascuis montis *Mori* et *del Turlo* Biroli fl: acon: I. p. 211. sub *P. rosea*). Valde duabus præcedentibus affinis, sed differt foliorum segmentis linearibus acutis patentissimis nec imbricatis obtusis ac evidentius denticulatis, calyce ventricoso villoso - lanato floribus roseis. Plantæ ex *M. Vesulo* cummunicatæ a Bonjean sunt statura valde majori quam plantæ *M. Cenisii.* *P. hirsuta* L. *Lapponiam* inhabitat ac speciem a nostra distinctam constituit.

Pedicularis dubia vel nova.

17. *P. anthemifolia* = Fisch: in scheda (*Altaï*).
» *P.* caule erecto simplicissimo glabro ad petiolorum
» insertionem villosiusculo; foliis verticillato-sub-qua-
» ternis profunde pinnatisectis, segmentis linearibus
» patentissimis distantibus argute serratis serraturis
» integerrimis; spica terminali oblongo-ovata densi-
» flora; calyce sub-inflato glabro æqualiter 5-dentato,
» dentibus erectis acutis villosis; galea abbreviata
» obtusa integerrima; lobis labii inferioris inæquali-
» bus galea sub-longioribus (*calyx flavescens linea*
» *longitudinali atro-purpurea ad dentium directionem*
» *notatus; corolla flava galea ad apicem purpura-*
» *scente*). » Nob:

XXXVI. Melampyrum Lin: gen: ed: Schreb: n. 999. = Spr: syst: n. 2159. = Lam: ill: t. 518.

» *Cal*: 2-labiatus 4-fidus. *Cor*: tubulosa 2-labiata,
» labio superiore galeato margine reflexo, inferiore
» 3-lobo sub-æquali. *Antheræ* loculi acuminati. *Caps*:
» acuminata 2-locularis, loculis oligospermis. »

Obs: Genus constans 7-8. stirpibus fere omnibus europæis inter se valde habitu similibus herbaceis, foliis oppositis indivisis plus minus oblongis, floribus varie bracteatis (*comosis* Auctor:) sub-spicatis; ex bractearum structura stirpes præsertim determinandæ.

❀ 1. *M. cristatum* = L. fl: suec: 510. 545. = Spr: syst: II. 782. = Fl: dan: t. 1104. Ic: taur: vol.

18. t. 70. (*Eur*: passim. *Pedem*: in apricis et sylvestribus summorum collium maxime in ericetis frequens; abunde in colle *Taurinensi di Superga*, copiose in pascuis declivibus prope oppidum *S. Dalmatii* All: n. 207. Re fl: segus: p. 51. et fl: tor: I. p. 320. Biroli fl: acon: I. p. 209. Ex collibus *Albensib*: retulit Berterus). Ann: Ramosum glabrum, folia lineari-lanceolata sub-integerrima, spica ovato-oblonga tetragona, bracteæ cordatæ coloratæ imbricatæ fimbriatæ, flores lutei vel albidi.

* 2. *M. arvense* = L. fl: suec: 511. 546. = Spr: syst: II. 782. = Fl: dan: t. 911. Ic: taur: vol. 5. t. 23. Vern: *Angrassa veilet, Erba volpina, Supa, Coa d' volp* etc. (*Eur:* passim inter segetes. *Pedem:* circa *la Marsaglia*, *Pinerolo* et *la Perosa* frequens, inter *Exilles* et *Chaumont*, inter segetes collium non infrequens All: n. 208. Re fl: segus: p. 51. et fl: tor: I. p. 320. Biroli fl: acon: I. p. 209.). Differt a priori præsertim spicis conicis longioribus laxis, bracteis oblongis pinnatifido-setaceis, calycis dentibus scabris, corolla clausa bracteisque purpurascentibus.

* 3. *M. nemorosum* = L. fl: suec: 512. 547. = Spr: syst: II. 782. = Fl: dan: t. 305. Ic: taur: vol. 16. t. 71. f. 1. (*Eur*: nemorib: *Pedem:* et *Sabaud*: in sylvis umbrosis montanis All: n. 209. Copiose in *M. Musiné* Re fl: segus: p. 51.). Ann: Folia inferiora lineari-lanceolata superiora sub-hastata basi 1-2. denticulis prædita, flores laterales secundi, bracteæ lanceolatæ dentatæ summæ steriles cæruleæ, corolla lutea.

* 4. *M. pratense* = L. fl: suec: 513. 548. = Spr:

syst: II. 782. = Ic: taur: vol. 5. t. 24. Vern: *Parabeu*, *Erba ronca*, *Angrassabeu*, *Litin* etc. (*Eur*: passim. *Pedem*: vulgaris in apricis sylvis montanis et editiorum collium *Taurinens*: All: n. 210. Re fl: segus: p. 51. et fl: tor: I. p. 320. In pratis *del Margozzo* frequens Biroli fl: acon: I. p. 210.). Differt a priori præcipue bracteis hastato-dentatis omnibus viridibus corollis clausis flavis tubo albis.

❋ 5. *M. sylvaticum* = L. fl: suec: 514. 549. = Spr: syst: II. 783. = Fl: dan: t. 145. Ic: taur: vol. 16. t. 71. f. 1. (*Eur*: alpib: *Pedem*: abunde in summa sylva umbrosa thermis tepidis *Valderianis* imminente, in sylvis supra *Lanslebourg* et circa vicum *Cels* in valle *d'Exilles*, in alpibus *Vinadiensibus*, in nemoribus alpinis umbrosis generatim non rarum All: n. 211. Re fl: segus: p. 51. In sylvis vallis *di Vedro* et *Bugnanco* Biroli fl: acon: I. p. 210. In *Montblanc* ex Bertero). Ann: Præcedentibus humilius et gracilius, folia omnia et bracteæ lineari-lanceolatæ integerrimæ, flores laterales secundi distantes parvi, corolla hians tota flava.

Trib: VI.

DESCISCENTES VEL INCERTÆ SEDIS.

XXXVII. Tozzia Lin: gen: ed: Schreb: n. 1002. = Spr: syst: n. 2139. = Lam: ill: t. 522. (*Lysimachiis* affinis Juss: gen:, *Desciscentes* Spr:).

» *Cal*: tubulosus 4-5-dentatus. *Cor*: tubulosa, limbo
» sub-2-labiato lobis 5. sub-æqualibus. *Stam*: didy-
» nama, antheris calcaratis. *Caps*: (*nucula* Spr:) 1-
» locularis 2-valvis 1-sperma. »

Obs: Genus ludens inter *Lysimachias* floribus subregularibus, *Scrophularinas* staminibus didynamis, et *Verbenaceas* fructus structura, constans unica stirpe seq:

✱ 1. *T. alpina* = L. sp: 844. = Spr: syst: II, 767. = Jacq: austr: t. 165. (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: locis frigidis umbrosis et irriguis circa *Vinadii* thermas in montibus *la Valva di S. Anna*, frequens in alpibus supra *Giaveno* et *di Pralugnan* All: n. 202. Re fl: segus: p. 51.). Herba perennis erecta ramosissima glabra, foliis sessilibus oppositis ovatis sub-dentatis, floribus axillaribus pedunculatis flavis.

XXXVIII. Xenopoma W. en: suppl: 43. = Spr: syst: n. 2138. = Colla h. Ripul: p. 147. in not: 1. t. XXV. (Inter *Desciscentes* Spr:).

» *Cal*: bracteatus 5-dentatus striatus dentibus sub-
» æqualibus. *Cor*: tubulosa, tubo elongato, fauce am-

» pliata, limbo 2-labiato, labio superiore 2-fido la-
» ciniis sub-rotundis denticulatis, inferiore 3-fido
» lacinia intermedia majori emarginata. *Stam*: 4. sub-
» æqualia. *Stigm*: 2-fidum. *Fructus* ignotus. »

Obs: Genus habitu forsan ad *Labiatas* amandandum, sed incertum usquedum fructus in calidariis nostris semper abortivus innotescat, constans unica stirpe (*X. obovatum* W. l. c.), cujus patria ignota (*China?* Spr:), fruticosa aromatica rigida sub-tetragona divaricato-ramosa, foliis oppositis sub-sessilibus ovato-oblongis integerrimis, floribus parvis axillaribus 1-3. brevissime pedunculatis albis.

XXXIX. Brunsfelsia Lin: gen: ed: Schreb: n. 1013. = Spr: syst: n. 2241. = Lam: ill: t. 548. (*Solaneis* affinis Juss: gen:, inter *Baccatas* Spr:).

» *Cal*: campanulatus 5-dentatus. *Cor*: infundibu-
» liformis tubo longissimo incurvo, limbo sub-inæ-
» qualiter 5-lobo. *Stam*: didynama interdum cum ru-
» dimento quinti, antheris reniformibus. *Fructus* bac-
» catus 2-locularis. *Sem*: peripherica placenta tamen
» centrali. »

Obs: Genus habitu et rudimento 5. staminis accedens ad *Solanaceas* præsertim ad *Nicotianas*, sed corolla sub-irregulari, staminibus didynamis, et fructu etiam recedit; an cum genere seq: ordinem proprium constituit ceu dubitaverat cl: Juss: gen: p. 127. in obs:? Constat autem 2. stirpibus ex *Antillis*, inter quas colo *Br*: *americanam* L. sp: 276. enatam e seminibus missis à Bertero. Frutex glaberrimus ere-

ctus foliis oblongis brevi-petiolatis integerrimis, flores ad apicem ramorum 2-3. conspicui albi; fructus non perficit.

XL. CRESCENTIA Lin: gen: ed: Schreb: n. 1021. = Spr: syst: n. 2243. = Lam: ill: t. 547. (*Solaneis* affinis Juss: gen:, inter *Baccatas* Spr:, *Bignoniaceis* affinis Kunth).

» *Cal*: 2-partitus æqualis deciduus. *Cor*: sub-cam-
» panulata, limbo 2-labiato, laciniis sub-inæqualibus
» crenatis. *Stam*: 4. didynama cum rudimento quinti
» 2. longiora exserta antheris 2-lobis. *Bacca* magna
» corticata 1-locularis. *Sem*: in pulpa nidulantia. »

Obs: Genus nunc constans 7. circiter stirpibus ex *Amer*: austr:, fruticosis, foliis alternis solitariis aut sæpissime fasciculatis simplicibus ternatis vel pinnatis, foliis in trunco aut in ramis sub-solitariis. Possideo *Cr*: *Cujete* L. sp: 872. foliis cuneato-lanceolatis confertis integris, fructu sub-elliptico.

XLI. HALLERIA Lin: gen: ed: Schreb: n. 1020. = Spr: syst: n. 2249. = Lam: ill: t. 546. (*Scrophular*: sect: I. Juss:, *Baccatæ* Spr:).

» *Cal*: 3-4-lobus sub-inæqualis persistens. *Cor*:
» infundibuliformis, fauce ventricosa, limbo obliquo
» 4-fido, lacinia summa majori emarginata. *Stam*:
» didynama. *Bacca* sub-rotunda 2-locularis stylo per-
» sistente acuminata polysperma, funiculis seminum
» centrum petentibus. »

Obs: Genus constans 2. stirpibus ex *Afr*: austr:,

fruticosis, foliis oppositis ovatis vel oblongis serratis, staminibus inclusis vel exsertis. Colo *H. lucidam* L. sp: 872. quæ distinguitur foliis ovatis, staminibus exsertis, corolla sub-2-labiata.

XLII. Limosella Lin: gen: ed: Schreb: n. 1039. excl: *L. diandra* = Spr: syst: n. 2144. = Lam: ill: t. 535. (Inter *Lysimachias* Juss: gen: p. 96., inter *Primulaceas* Spr:).

» *Cal*: et *cor*: 5-fida laciniis æqualibus. *Stam*: di-
» dynama. *Stigm*: globosum. *Caps*: semi-2-locularis
» 2-valvis, placenta libera centrali. »

Obs: Genus *Lysimachiis* valde affine, sed staminibus *didynamis* et fructibus 2-*locularibus* rectius prope *Scrophularinas* collocandum auctoritate R. Br:, constans unica specie, altera (*L. diandra* L.) ad *Peplidium* Delil: amandata.

❀ 1. *L. aquatica* = L. syst: 572. = Spr: syst: II. 768. = Fl: dan: t. 69. (*Eur*:, *Amer*: bor:, *N. Holl*: *Pedem*: in uliginosis lacus *Cusii* rara, abundat in pratis circa *Luzogno* Biroli fl: acon: I. p. 217.). Herba paludosa perennis pusilla repens, foliis fasciculatis longe petiolatis lanceolato-spathulatis, scapis 1-floribus brevissimis, floribus rubentibus. *L. australis* R. Br: et *tenuifolia* Nutt: pro varr: habentur.

Obs: geographica circa *Scrophularinas*.

Scrophularinæ per orbem sparsæ circiter . . 980

Scrophularinæ pedemontanæ.

Verbascum	11
Celsia	1
Scrophularia	10
Digitalis	5
Linaria	16
Antirrhinum	2
Anarrhinum	1
Lindernia	1
Gratiola	1
Veronica	27
Euphraria	6
Bartsia	5
Alectorolophus	1
Pedicularis	16
Melampyrum	5
Tozzia	1
Limosella	1
	110

Et sic 9.am circiter partem constituunt.

Ordo CXXVI.

OROBANCHEÆ

(A. Rich: elem: bot: p. 459. = Bartl: ord: nat: p. 121. 173. = Spr: syst: n. 2205. ad 2212. = *Pedicular*: affines Juss: gen: 101. = Lam: ill: t. 551).

Char: essentialis.

» *Stam*: constanter didynama antheris 2-loculari-
» bus. *Stigm*: crassum 2-labiatum. *Fructus* capsularis
» 1-locularis (rarissime 2-locularis in *Alectra* et *Al-*
» *gineria*), sc: carpellis medio dorso longitudinaliter
» dehiscentibus ideoque valvulis secus axim placentas
» binas gerentibus. *Sem*: exarillata. *Embr*: excentri-
» cus? Cetera ut in *Scrophularinis Rhinanthaceis.* »

Obs: Ordo fructificatione excepta fructus structura et embryonis situ, *Scrophularinis Rhinanthaceis* præsertim simillimus, sed rite habitu distinctus; herbæ enim omnes parasiticæ, annuæ, caulibus teretibus coloratis simplicibus; foliorum loco, squamæ sparsæ sessiles coloratæ scariosæ vel carnosæ, flores in squamarum axillis racemum, corymbum vel spicam constituentes conspicui hermaphroditi vel raro polygami. Genera 8. ex Bartl:, 7. ex Spr:, *Obolaria* ad *Tetrandriam monogyniam* inter *Personatas* amandata.

I. OROBANCHE Lin: gen: ed: Schreb: n. 1045. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 2205. = Lam: ill: t. 551.

» *Cal:* 4-5-fidus bracteatus. *Cor:* persistens 2-la-
» biata, labio superiore fornicato integro vel 2-lobo,
» inferiore 3-fido reflexo rarissime 2-partito. *Caps:*
» 1-locularis 2-valvis. »

Obs: Genus nunc constans 30. circiter stirpibus fere omnibus europæis paucis exoticis difficillime determinandis ex pube vel glabritie scapi, ex inflorescentia, ex numero laciniarum calycis, ex labiorum corollæ structura, aliisque incertioribus notis.

✻ 1. *O. major* = L. sp: 882. = Spr: syst: II. 815. = Sm: bot: angl: t. 421. Ic: taur: vol. 5. t. 51. 52. 53. Vern: *Erba d' Gor* uti ceteræ species indigenæ (*Anglia*, *Eur*: austr: *Pedem*: abunde in collibus *Taurinensib*: sterilibus ALL: n. 193. Ubique in pratis et pascuis macilentis et in rupibus, prope *Segusium*, abunde supra rupes *delle Blacce* et *di S. Lazzaro* RE fl: segus: p. 53. et fl: tor: I. p. 328. BIROLI fl: acon: I. p. 217. In sylvis montium *Sardin*: MORIS st: sard: I. p. 35.). Caulis simplicissimus pubescens flavo-rufescens, spica pyramidalis laxiuscula, flores magni cauli concolores, bracteæ simplices calycem 4-partitum superantes, corollæ labium super: integrum infer: 3-fidum, filamenta glabra.

✻ 2. *O. caryophyllacea* = Sm: act: soc: Lin: Lond: IV. p. 169. non Viv: = Spr: syst: II. 816. = Ic: ? (*Eur*: med: *Pedem*: supra rupes *delle Blacce* prope *Segusium* RE fl: segus: p. 53. Habui etiam ex pratis collium prope *Supergam*. In sterilibus prope *Vena-*

riam alibique Re fl: tor: I. p. 329. In alpibus *Sessitis* Biroli fl: acon: I. p. 217. In aridis montanis *Sardin*: med: Moris st: sard: I. p. 35.). Valde priori affinis, sed differt bracteis flore brevioribus, laciniis labii inferioris obtusis et fimbriato-crispis, filamentis intus valde villosis, stigmate fusco vel purpureo nec flavo. Huc pertinet *O. vulgaris* Lam: et DC.

❀ 3. *O. cruenta* = Bertol: rar: ital: pl: dec: III. p. 56. n. 5. = Spr: syst: II. 815. = *O. caryophyllacea* Viv: ann: bot: t. I. part. 2. p. 175. n. 57. non Sm: (*Liguria* in montibus *Sarzanæ* dictis *Nuda* et *Brina*, in sylvis *Pegli*, *Genuæ* in monte *Fasce*, in monte *di Portofino*, in collibus *Genuensibus di Rivarolo* Bertol: l. c. et am: ital: p. 89.). Medium tenet inter duas præcedentes; a *caryophyllacea* Sm:, cui magis affinis, differt præcipue staminibus germine styloque undique pilosis, stigmate luteo. Cons: insuper cl: Bertol: ll. cc.

❀ 4. *O. elatior* = Sutt: act: soc: Lin: Lond: IV. p. 178. t. 17. = Spr: syst: II. 816. (*Anglia*, *German*:, *Gallia* austr:, *Ital:* In agro *Nicæensi* legit cl: Re illamque enumeravit in app: II. p. 201. sine loci indicatione. *Sardin*: in collinis *Arizzo* Moris st: sard: I. p. 35.). *O. majori* valde similis, sed elatior, spica densior, bracteæ flaccidæ reflexæ, corolla minus inflata undique crenulata, filamenta inferne pilosa. *O. amethystea* Thuill:, quam cl: Re indicat l. c. inventam ad *Segusium*, pertinet ad *O. elatiorem* sec: Poir: dict: suppl: IV. p. 201.

❀ 5. *O. minor* = Sutt: act: soc: Lin: Lond: IV. p. 178. = Spr: syst: II. 816 = Sm: bot: angl: t. 442.

(*Eur*: med: *Pedem*: in sylvis secus *Sturam* prope *Venariam* Re fl: tor: I. p. 329. et app: II. p. 201. In pascuis *Sardin*: vulgatissima Moris st: sard: I. p. 35.). Præcedentibus undique valde minor, spica pauciflora, labii inferioris lobus medius major, filamenta basi ciliata, stylus glaber. An huc referenda *O. Epithymum* DC. circa *Lutetiam* crescens et in *Pedem*: etiam inventa a Balbis: cl: p. 6., an ad *nudifloram* Valh: amandanda uti dubitavit Spr:, an demum stirps nova admittenda? Plantam non vidi. *O. gracilis* Sm: act: soc: Lin: Lond: IV. p. 172. quam cl: Auctor tradit crescere in pratis montosis ad *S. Orsese* prope *Genuam* quamque non memorat cl: Bertol: in am: ital:, non differt ab *O. minori* nisi corolla paullo majore, labio inferiore minore, staminibus longioribus et stylo piloso.

* 6. *O. cærulea* = Vill: delph: II. p. 406. = Spr: syst: II. 817. = Jacq: fl: austr: p. 41. t. 276. sub *O. purpurea* (*Eur*: med: *Pedem*: locis apricis saxosis calidioribus collium *Taurinens*: et in comit: *Nicæens*: All: n. 195. sub *O. purpurea*. Similibus locis inter *Foresto* et *S. Giuliano* Re fl: segus: p. 53. sub *O. lævi*. Prope *Venariam* et prope *Planiciam*, neque desideratur in apricis calidioribus collium, et prope *Montemcalerium* Re fl: tor: I. p. 329. In pascuis *Sardin*: frequens Moris st: sard: I. p. 35.). Sub-simplex glabra cærulescens, spica laxa, bracteæ acuminatæ ternæ calycem sub-æquantes, calyx 2-partitus laciniis 2-fidis, corollæ cæruleæ lab: superius 2-lobum infer: æqualiter 3-fidum. *O. purpurea* Thu: non confundenda cum *purpurea* Jacq: et All:, nam toto cœlo differt et *C. B. S.* incolit.

*? 7. *O. fœtida* = Poir: itin: II. p. 195. = Spr: syst: II. 817. = Desf: atl: II. p. 59. t. 144. (*Afr*: bor:, *Sicil*:, *Gallia* austr: ex Spr:, ins: maris *Egœi*. *Pedem*: in arvis supra *la Madonna della Codà* prope *Segusium* Re app: II. p. 201.). Fide cl: Re hanc plantam enumero inter pedemontanas, uti fide Spr: inter gallicas memoro etsi cll: Poir: et DC. de ea silent.

* 8. *O. ramosa* = L. sp: 882. = Spr: syst: II. 817. = Guell: mem: 1746. t. 9. sec: W. Ic: taur: vol. 5. t. 50. (*Eur*: passim. *Pedem*: inter segetes in agro *Taurinensi* frequens inter cannabim All: n. 194. Re fl: segus: p. 53. et fl: tor: I. p. 330. In campis *Campolati*, in cannabis satis sæpe observavit Biroli fl: acon: I. p. 218. sed caule frequenter simplici. In *Sardin*: pascuis Moris st: sard: I. p. 35.). Caulis plerumque ramosus, flores remoti spicati minores quam in præcedentibus, bracteæ solitariæ acutæ calycem 4-fidum æquantes, corolla sub-æqualiter 5-loba, filamenta glabra.

9. *O. condensata* = Moris st: sard: II. p. 8. (In *Sardin*: apricis collinis montanisque Moris l. c.). Elata superne villosa, spica elongata cylindrica compacta, bracteæ solitariæ acuminatæ, calyx 1-partitus laciniis 2-fidis, corolla sanguinea labio superiore sub-2-lobo lobis omnibus crispis crenulatis, filamenta basi pilosiuscula, stylus glaber. Pulcherrima stirps ad *O. speciosam* DC. valde accedens.

10. Aliam novam stirpem refert cl: Morisius ex umbrosis montanis humidis circa *Beloi* quam *denudatam* appellat et *O. gracili* similem, sed characteribus ab

ipso memoratis plane diversam (Moris app: ad el: I. et st: sard: III. p. 10.). Illam non possideo.

II. Lathræa Lin: gen: ed: Schreb: n. 1000. excl: 1. spec: = Spr: syst: n. 2208. = Lam: ill: t. 551.

» *Cal*: 4-partitus coloratus bracteatus. *Cor*: 2-la-
» biata, labio super: integerrimo infer: 3 - dentato.
» *Antheræ* sagittatæ pilosæ. *Caps*: 1-locularis 2-val-
» vis, valvis septi- et semi-feris. »

Obs: Genus constans 2. stirpibus europæis, 1. asiatica, habitu *Orobanches*.

❋ 1. *L. Squamaria* = L. fl: suec: 518. 550. = Spr: syst: II. 818. = Riv: t. 89. (*Eur*: passim. *Pedem*: in umbrosis secus viam quæ ducit ad *Eremum* non longe a *Vinea Reginæ* parasytica *Ulmi*, circa *Azelio* All: n. 196. In locis pinguibus umbrosis collium et secus *Padum alla Molinetta* et *a Millefonti* Re fl: tor: I. p. 321. In sylvis *Padi* et *Ticini*, nec deest in umbrosis montanis Biroli fl: acon: I. p. 210.). Perenn: Simplex squamosa albo-purpurea, flores nutantes in spica elongata sub-cylindrica.

Obs: geographica circa *Orobancheas*.

Orobancheæ per orbem sparsæ	45
Orobancheæ pedemontanæ	9

Ordo CXXVII.

LABIATÆ

(Juss: gen: 110. = Bartl: ord: nat: p. 180. et omn: Auctor: = J. S. Hill: fam: I. 254. t. 44.).

Char: essentialis.

» *Cal*: persistens 5-10-fidus vel 2-labiatus labiis » integris aut varie divisis. *Cor*: 2-labiata, labio super: » indiviso vel 2-fido infer: 3-fido. *Stam*: 4. didyna- » ma 2. quandoque sterilibus, filamentis sub sinubus » labii inferioris interlabialibusque inserta, antheris » 2-lobis, lobis sæpius divaricatis, nunc septo obso- » leto suturaque continua sub-unilocularibus inter- » dum dimidiatis. *Ovar*: 4. uni-ovulata basi mediante » stylo connexa disco glanduloso in fundo calycis in- » sidentia. *Styl*: 1. stigmate sæpissime inæqualiter 2- » fido. *Carpella* 4. sub-drupacea (*semina nuda* L., » *caryopsides* Rich:) in fundo calycis, uno alteroque » sæpe abortiente, indehiscentia 1-sperma. *Sem*: exa- » rillata ex- vel parcissime albuminosa. *Embr*: rectus. » *Radic*: infera. *Cotyled*: planæ. »

Obs: Ordo valde naturalis *Scrophularinis* affinis, sed satis distinctus præsertim fructus structura (ex quo ad *Borragineas* accedit), unde immortalis Linnæus suam *Didynamiam* in *gymnospermam* (*Labiatæ* seminibus nudis) et *angiospermam* (*Personatæ* pericarpio apparenti) diviserat; sed affinitates hic parum

curans ad *Diandram* plura horum ordinum genera amandaverat: in 4. tribus ex perfectione vel imperfectione staminum, tum ex calycis structura commode dividendas; constans ex Bartl: 77. generibus satis apte determinatis, quorum nonnulla stirpes numerosissimas sistunt. Herbæ rarius suffrutices plerumque aromatici, caule sæpius 4 - angulo ramis oppositis, foliis oppositis raro verticillatis exstipulatis simplicibus indivisis vel rarius sub-lobatis, inflorescentia varia. Cons: insuper Bentham *Labiatarum genera et species* in arch: bot: I. p. 529. ubi *Ocymoidearum* sectio tabula synoptica illustratur.

Trib: I.

SALVIEÆ

Stam: 2. perfecta quandoque cum 2. castratis (Inter *Diandras* L.).

I. Lycopus Lin: gen: ed: Schreb: n. 44. = Spr: syst: n. 88. = Lam: ill: t. 18.

» *Cal*: tubulosus 5 - fidus. *Cor*: tubulosa 4 - fida, » lacinia superiore vix latiore emarginata. *Stam*: dis- » tantia. *Caryops*: retusæ. »

Obs: Genus constans ex Spr: stirpibus 6. herbaceis, quarum 2. tantum *Europæ*.

❀ 1. *L. europæus* = L. fl: suec: II. n. 31. = Spr: syst: I. 54. = Riv: t. 21. Ic: taur: vol. 1. t. 23. 24. Vern: *Erba carmagnolina* (*Eur*: passim. *Pedem*: ad

fossas aquarum abunde ALL: n. 63. RE fl: segus: p. 8. et fl: tor: I. p. 36. BIROLI fl: acon: I. p. 8. *Genuæ* ad *Porciferam*, *Sarzanæ* prope ostia *Macræ* BERTOL: fl: ital: I. p. 130. In *Sardin*: palustribus MORIS st: sard: I. p. 36.). Perenn: Sub-pubescens erectus ramosus, folia ovato - oblonga acuta grosse serrata, flores minimi dense verticillati axillares.

* 2. *L. exaltatus* = L. fil: suppl: 87. = Spr: syst: I. 54. = Sibth: fl: gr: I. p. 9. t. 12. (*Eur*: austr: et orient:, *Amer*: bor: *Pedem*: supra *S. Mauro* et supra *la Molinetta* RE fl: tor: I. p. 36. In agro *Alexandrino* ad margines agrorum locis humidiusculis, in provincia *Astensi* secus flumen *Tanarum*, neque desideratur in agro *Canapiciensi* ad litora lacuum BELLARDI app: in act: Acad: Taur: vol. V. p. 211. Juxta oryzas *d'Obbiate* BIROLI fl: acon: I. p. 9. Circa *Albam* reperit BERTERUS). Differt a priori statura majori, foliis omnibus profunde pinnatifidis. Var: totam incanam invenit BELLARDI secus rivulos circa *Bovisium* (BELLARD: l. c.). Stirps certe confusa a cl: ALL: cum præcedenti ubi dixit var: *foliis profundius incisis* frequentem esse ad litora lacuum agri *Canapiciensis* et in fossis agri *Alexandrini* (ALL: n. 63.).

II. MONARDA Lin: gen: ed: Schreb: n. 48. = Spr: syst: n. 93. = Lam: ill: t. 19.

» *Cal:* cylindricus striatus 5-dentatus. *Cor*: longe
» tubulosa 2-labiata labio superiore angustato erecto
» integro filamenta involvente. »

Obs: Genus constans ex SPR: 17. stirpibus *Amer*: bor: incolis, herbaceis perennantibus, foliis ovatis

plus minus oblongis serratis, floribus capitatis vel verticillatis involucratis sæpius conspicuis, unde nonnullæ cultæ in hortis europæis ad ornamentum, præsertim *M. fistulosa* = L. h. Ups: 12. Pubescens elata, folia late lanceolata oblique cordata, involucrum sub-4-phyllum sub-coloratum, flores capitati pallide rubri.

III. Collinsonia Lin: gen: ed: Schreb: n. 51. = Spr: syst: n. 96. = Lam: ill: t. 21.

» *Cal*: 2-labiatus labio super: 3-dentato, infer: 2-
» fido. *Cor*: infundibuliformis irregulariter 5 - fida,
» lacinia inferiore longiore fimbriata. *Caryops*: 3. abor-
» tivæ, 1. tantum perfecta. »

Obs: Genus characteribus allatis a ceteris huiusce tribus satis distinctum, constans 6 - 7. stirpibus ex *Amer*: bor: perennibus, foliis ovato - plus minus oblongis, floribus paniculatis. Occurrit in hortis *C. canadensis* = L. h. Cliff: 14. t. 5. Glabra, folia late ovata sub-cordata argute serrata, panicula terminalis composita, floribus oppositis pedicellatis sordide flavis.

IV. Salvia Lin: gen: ed: Schreb: n. 50. = Spr: syst: n. 94. = Lam: ill: t. 20.

» *Cal*: sub-campanulatus sub-2-labiatus, labio super:
» 2-3-dentato subinde integro infer: 2-fido. *Cor*: 2-
» labiata, labio super: galeato infer: 3 - lobo. *Stam*:
» 2. fertilia 2-fida, lobo altero adscendente anthera
» dimidiata, altero sterili. *Caryops*: perfectæ. »

Obs: Genus satis naturale ob staminum structuram prorsus singularem, numerosissimis constans stirpibus (189. ex Spr: præter permultas postmodum de-

tectas) per orbem sparsis præsertim in imperio *Mexicano* et *Peruviano*, fruticosis vel herbaceis, foliis magis minusve rugosis plerumque indivisis vel varie lobatis rarius pinnatisectis, floribus racemoso-verticillatis bracteatis colore vario. Nonnullæ inter exoticas ob florum luxuriem in hortis europæis cultæ. Ex calycis structura ac foliorum bractearumque forma plures exsurgunt divisiones artificiales.

A. Calyce trilobo ampliato.

α *Foliis simplicibus.*

1. *S. pomifera* = L. h. Cliff: 12. (*Creta, Græcia, Syria*). Frutic: Albido-tomentosa, folia ovato-lanceolata crenulato-undulata, verticilli approximati sub-6-reflexi, bracteæ deciduæ, calyx apice coloratus, corolla cyanea calyce duplo major. = 2. *S. splendens* = Hortul: et Colla h. Ripul: app: I. p. 137. not. 3. et app: II. p. 331. tab: XVII. non Schult:? (Patria?). Planta dubia, sed inter omnes formosissima, nunc undique in hortis culta ubi luxuriosissime floret autumno, calyx et corolla ampli coccinei. Cons: Colla ll. cc.

β *Foliis divisis vel compositis.*

3. *S. pinnata* = L. syst: veg: 67. (*Asia* min:). Bienn: vel perenn: Viscoso-hirsuta, folia impari-pinnata foliolis alternis crenulatis terminali majore, verticilli distantes 3-4-flori, bracteæ parvæ acutæ, calyx sub-coloratus, corolla calyce duplo longior purpurascens.

B. Calyce 3-dentato sub-cylindrico.

α Foliis sub-lanceolatis.

4. *S. leucantha* = Cav: ic: p. 16. n. 22. t. 24. (*Mexico*). Suffrut: Tota albo-tomentosa excepta foliorum pagina superiore, folia oblongo-lanceolata serrata, verticilli approximati 6-flori, calyx densissime incano-violaceo-tomentosus corollam sub-æquans, ex quo statim a ceteris distinguitur.

β Foliis oblongo-ovatis.

* 5. *S. hispanica* = L. sp: 37. = Spr: syst: I. 60. = Ic: taur: vol. 11. t. 7. (*Hispan*: *Pedem*: in olivetis *Uneliæ* All: n. 58.). Ann: vel perenn: Superne brachiata albo-pubescens, folia ovata utrinque acuta serrata petiolis basi 2-callosis, spica imbricata tetragona, bracteæ ovatæ, calyces virides corollam parvam cæruleam fere æquantes. *S. prismatica* Cav: , quam etiam possideo, ab *hispanica* non videtur differre.

γ Foliis cordatis aut hastatis.

* 6. *S. glutinosa* = L. h. Cliff: 13. = Spr: syst: I. 63. = Riv: t. 57. Ic: taur: vol. 1. t. 37. Vern: *Fior d' lion*, *Piston* (*Eur*: austr: *Pedem*: in sylvis ubique præcipue montanis All: n. 59. Re fl: segus: p. 8. et fl: tor: I. p. 37. Biroli fl: acon: I. p. 10. *Sarzanæ* ad radices montis *Caprione* et collium *di Trebbiano*, *Arcola*, *Vezzano* locis humentibus et in *Liguria* occidua a *Voltri* in ripis fluminis *Leira* Bertol: fl: ital: I. p. 156.). Perenn: Erecta vel adscendens puberula

glutinosa præcipue in calyce, folia magna cordato-hastata grosse serrata longe acuminata acumine integerrimo, racemi sub-simplices (quandoque ramosi) verticillis remotiusculis sub-sexfloris, bracteæ ovatæ calyce vix breviores, calyx viridis corolla majuscula pallide lutea triplo brevior; tota planta fœtida.

C. Calyce 5-dentato utplurimum 2-labiato.

α Foliis integris indivisis.

❋ 7. *S. officinalis* = L. sp: 34. = Spr: syst: I. 64. = Blackw: t. 10. Ic: taur: vol. 1. t. 25. Vern: *Salvia* (*Eur*: austr: *Pedem*: in collibus incultis agri *Nicæens:* neque desideratur locis apricis calidioribus alpium *Valdensium*, vallis *Augustæ Prætoriæ* et editioribus *Liguriæ* All: n. 51.). Suffrut: Cæspitosa plus minus pubescenti-incana, folia oblonga plus minus lata creberrime denticulata quandoque basi auriculata, racemi sub-simplices plus minus remote verticillati, bracteæ deciduæ, calycis laciniæ aristatæ, corollæ sæpius violaceæ duplo breviores. Culta variat præsertim magnitudine partium, foliis variegatis, floribus albis vel rubris. Ubique in hortis occurrit ad usum officinarum et culinarum; tota planta grate aromatica.

β Foliis cordatis.

8. *S. grandiflora* = Etling: Salv: n. 2. (*Tauria*). Perenn: Caule rubescente villoso, folia sub-cordato-ovata æqualiter dentata, spica sub-simplex verticillis approximatis multifloris, bracteæ sub-coloratæ caly-

cem æquantes, corolla magna rubra; stirps pulcherrima.

✻ 9. *S. pratensis* = L. fl: suec: II. n. 32. = Spr: syst: I. 66. = Blackw: t. 258. Ic: taur: vol. 1. t. 29. 30. Vern: *Bousom*, *Bouras servaj* (*Eur*: passim: *Pedem*: in pratis vulgatissima flore sæpissime cæruleo interdum albo aut purpureo All: n. 55. Re fl: segus: p. 8. et fl: tor: I. p. 37. Biroli fl: acon: II. p. 9. *Genuæ* in collibus *ul Zerbino* Bertol: fl: ital: I. p. 145.). Perenn: Sub-erecta sub-villosa, folia cordata plus minus oblonga sub-sinuata summa amplexicaulia, racemus sub-ramosus verticillis remotis sexfloris, bracteæ cordato-sub-rotundæ calycem pubescentem sub-æquantes, corolla glutinosa calyce triplo longior. Statura et colore a saturate cæruleo ad album varians, uti etiam sinubus profundioribus corollarum galea labium æquante (*S. agrestis* L.), foliis simpliciter dentatis (*S. dumetorum* Andr:), floribus 2-coloribus (*S. variegata* W.).

✻ 10. *S. verticillata* = L. h. Ups: II. = Spr: syst: I. 66. = Poir: et Turp: fl: par: I. p. 37. t. 37. Barr: ic: 199. pro var: *β*. Ic: taur: vol. 1. t. 34. (*German*: med: et austr:, *Ital*: *Pedem*: in collibus *Taurinens*:, circa thermas *Vinadii*, in ditione *Aquensi* loco dicto *la Cà dj Prà*, et circa *Sospello* All: n. 57. Prope *Ripulas* ad viam quae ab *Augusta Taurinorum* ducit ad dictum pagum Re fl: segus: p. 37.). Perenn: Hirsuta, folia late cordato-ovata basi sub-auriculata præcipue inferiora immo ibi fere pinnatifida omnia grosse dentata, verticilli 30-40-flori inferiores remoti superiores approximati, bracteæ ovato-

cordatæ parvæ deciduæ, calyx purpurascens corolla violacea duplo brevior. In var: β folia sunt magis hirsuta basi sæpius runcinata; an hæc eadem ac *S. napifolia* Jacq: quam cll: W. et R. et S. referunt tamquam speciem distinctam et *Galliæ* atque *Italiæ* incolam? Ita censuit cl: Spr:; at illam non memorat cl: Bertol: in fl: ital: Specim: mea non differunt a laudata var: β.

*? 11. *S. sylvestris* = L. syst: V. p. 147. = Spr: syst: I. 67. = Jacq: austr: III. p. 7. t. 212. ubi *S. nemorosam* L. conjungit. Ic: taur: vol. 23. t. 51. (*Austria, Bohem:, Gallia* austr: *Pedem*: secus vineas in saxosis et in apricis sylvis collium *Taurinens*: observasse tradit All: n. 54. In pratis sabulosis *Augustæ Taurinor*: proximis nasci notavit Lobel:). Perenn: Sub-incana, folia cordato-oblonga acuminata 2-serrata, spica valde ramosa verticillis remotiusculis, bracteæ acuminatæ coloratæ calycem æquantes, corolla violacea calyce vix duplo longior. Sola auctoritate cl: All: enumero hanc plantam inter pedemontanas, nec scio Botanicos recentiores illam unquam invenisse locis indicatis nec alibi, immo neque in aliis *Italiæ* regionibus; secus cl: Bertolon: illam certe non omisisset in fl: ital:; in scheda specim: mei ex Molinerio statio non indicatur. Huc referenda sec: Spr: et specim: mea *S. nemorosa* Vahl: vix differens ramis paucioribus, caule calycibusque minus pilosis; idem senserant Crantz: et Etling: quamvis postea dissensissent W. et R. et S.

* 12. *S. Horminum* = L. sp: 34. = Spr: syst: I. 67. = Barr: ic: t. 1233. Ic: taur: vol. 20. t. 40.

(*Ital*:, *Græcia*. *Pedem*: in valle *Ulciensi*, in agro *Nicæens*: secus arva nascitur ALL: n. 52. sed in agro *Taurin*: desideratur). Ann: Elata villosa, folia cordato-oblonga crenata, racemi compositi elongati superne steriles ex bracteis majoribus comosi, verticilli remoti sexflori, bracteæ cordatæ coloratæ calyce longiores, corolla calyce paullo longior cærulea aut rubra uti bracteæ, galea falcata, stylus porrectus.

* 13. *S. viridis* = L. sp: 34. = Spr: syst: I. 67. = Jacq: ic: rar: I. t. 4. Ic: taur: vol. 28. t. 42. (*Ital*:, *Græcia*, *Afr*: bor: *Pedem*: in arvis *Uneliensib*: ALL: n. 53.). Priori valde affinis, sed generatim statura minori, insuper bracteæ virides superiores non prorsus steriles et inferioribus similes, galea recta stylum includens.

* 14. *S. Sclarea* = L. sp: 38. = Spr: syst: I. 68. = Sibth: fl: gr: I. p. 18. t. 25. Ic: taur: vol. 13. t. 38. (*Ital*:, *Bohem*:, *Eur*: orient:, *Gallia*. *Pedem*: in collibus *Taurinens*: prope montem *Capucinorum* qua parte meridiem spectat; copiose circa *Vinchio*, *Corticelle*, *Pareto* atque alia oppida in *Monteferrato* et *Astensi* comit:, circa *August*: *Prætor*: et in comit: *Nicæens*: collibus ALL: n. 60. RE fl: tor: I. p. 37. *Sarzanæ* in herbidis collium *di Turri* BERTOL: fl: ital: I. p. 157. Ex collibus *Albæ* retulit BERTERUS. *Sardin*: ad sepes *Calari*, *Pula* MORIS st: sard: I. p. 36.). Perenn: Hirsuta crassa elata (orgyalis in var: β *S. pyramidalis* PETAGN:), folia magna cordato-ovata crenata supra viridia pilosa subtus albo-tomentosa; racemus elatus valde brachiatus verticillis remotiusculis 3-6-floris, bracteæ cordato-ovatæ coloratæ calyce

hirsuto longiores, corolla albo-cærulescens calyce fere triplo longior; tota planta graveolens. Cl: Bertol: l. c. observat *S. pyramidatam* ex *Calabria* primum a Tenor: in prodr: fl: neap: admissam ac a cll: R. et S. et Spr: comprobatam, differre tantum caule orgyali. Tenor: ipse in syll: fl: neap: p. 17. eam cum *Sclarea* conjunxit.

γ Foliis divisis aut pinnatifidis.

* 15. *S. Æthiopis* = L. sp: 39. = Spr: syst: I. 68. = Jacq: austr: III. p. 7. t. 211. Ic: taur: vol. 1. t. 36. (*Eur*: med: et austr: *Pedem*: loco maxime sicco et aprico supra oppidum *Fenestrellarum*, in *M. Genèvre*, in valle *Ulciensi*, circa *Sospello*, in valle *di Bardonneche* et *Maurianensi* All: n. 61. Inter *Bossoleno* et *Foresto* Re fl: segus: p. 8.). Bienn: Undique albo-lanata, folia ampla cordato-ovata plus minus oblonga inferiora fere pinnatifida superiora sinuata, panicula ramosissima ramis divaricatis ramulosis, verticillis ramosis 3-5-floris, bracteæ cordatæ spinuloso-acuminatæ calycem densissime lanatum subæquantes, corolla alba calyce duplo longior.

* 16. *S. Verbenaca* = L. sp: 35. = Spr: syst: I. 68. = Barr: ic: 207. 208. Ic: taur: vol. 1. t. 32. et vol. 13. t. 55. (*Eur*: austr:, *Ital*: In comit: *Nicæens*: non infrequens All: n. 56. Copiosa *Sarzanæ* et *Genuæ* ubique in viis campestribus et collibus Bertol: fl: ital: I. p. 147. *Sardin*: ad vias vulgatissima Moris st: sard: I. p. 36.). Perenn: Erecta vel adscendens hirsuta, folia ovato-oblonga plus minus profunde sinuata crenata, racemi sub-compositi sub-cernui

verticillis sexfloris remotis, bracteæ sub-cordato-ovatæ calyce carinato breviores, corolla dilute purpurascens calycem parum excedens. Frustra quæsivimus hanc stirpem in agro *Taurinens*: et circa *Pinerolium*, loca etiam indicata a cl: ALL: An huc pertineat *S. oblongata* VAHL:, dissentiunt recentiores Auctores; affirmat SPR: l. c., negat BERTOL: fl: ital: I. p. 149. Specim: mea de utraque ita non differunt, ut pro speciebus distinctis habeantur.

* 17. *S. multifida* = Sibth: fl: gr: prodr: I. p. 16. = Spr: syst: I. 69. = Sibth: fl: gr: I. p. 17. t. 23. *S. præcox* Viv:, Savi. *S. clandestina* Bertol: am: ital: non fl: ital: nec L.? *S. laciniata* W. (*Ital*:, *Græcia*. *Sarzanæ* in arenosis *al Casone della Marinella* sed pauca quantitate BERTOL: fl: ital: I. p. 150.). Perenn: Planta huc usque obscura, habitu primum ab ALL: pro var: *S. Verbenacæ*, inde in auct: p. 3. pro *clandestina* L. sine indicatione loci natalis uti etiam crediderat cl: BERTOL:, demum ab eodem in fl: ital: I. p. 149. et seq: luculentissimis demonstrationibus distincta et illustrata. Huc referenda *S. laciniata* W. nec ad *clandestinam* L. uti ex SPR: qui eam perperam confundit etiam c. seq: Habeo specim: ex hb: MOLINERI sub nomine *S. clandestinæ*, et ex plantis cultis in h. Ripul: e semin: missis sub nomine *S. laciniatæ* quæ omnino simillima.

18. *S. ceratophylloides* = L. mant: 26. (*Calabria*). Differt a priori nec non a *clandestina* L. præsertim foliis hastato- et acute pinnatifidis laciniis horizontalibus angustis, corollis respectu calycis longioribus,

stylo exserto. Cons: insuper pro hac et priori cl: Bertol: fl: ital: l. supra c. et p. 152.

Salviæ magis dubiæ vel novæ.

19. *S. Molineri* = Nob: *S. illyrica* Moliner: non Schult:? Habui a Molinerio sub nomine *S. illyricæ* sine alia indicatione plantam quæ longe differt a *S. oblongata* Vahl: eadem ac *S. illyrica* Schult: sec: R. et S. syst: I. p. 144. nec quadrat cum *S. Verbenaca* n. 16., cujus var: habetur *S. oblongata*; illam Donatori dico et ita definio: « S. caule herbaceo erecto » tetragono albido - villoso; foliis omnibus petiolatis » ovato-lanceolatis sub-integerrimis rugosissimis supra » viridibus subtus albo - tomentosis; spica terminali » elongata sub - brachiata; verticillis remotis pauci- » floris; bracteis lanceolatis calyce sub-æqualiter 5- » dentato sub - brevioribus deciduis; corolla glabra » calyce duplo longiore, stylo exserto. » Nob: (Patria?).

20. *S. capituliflora* = Nob: *S. ciliata* indescr: Biroli hb: Toto cœlo differt a *S. ciliata* Poir: eadem ac *S. hirsuta* Jacq: sec: R. et S. syst: I. 221. Habitu, præsertim inflorescentia, ex qua nomen nostrum triviale, ab omnibus recedit. « S. caule herbaceo erecto » obtuse tetragono hirsuto; foliis utrinque hirsutis, » inferioribus petiolatis oblongis lyrato - ac obtuse » lobatis denticulatis, superioribus sessilibus ovatis » acutiusculis; racemis terminalibus, ramis oppositis » apice tantum capitato-floriferis, bracteis ovatis ci- » liatis acuminatis calycem tegentibus; corolla caly-

» cem sub-æqualiter 5-dentatum vix superante; stylo » incluso. » Nob: (Patria ?). Racemorum rami in axillis foliorum secus rachidem inferne nudi apice tantum 3-4. verticillos tam confluentes ferunt, ut hi congesti omnimodo adpareant et capitulum ovatum constituere videantur.

21. *S. Chia* = Ex horto Parmensi. Ita in scheda specim: ex hb: Bellardi. « *S.* caule erecto ramoso » villosiusculo profunde 4 - sulco angulis rotundatis ; » foliis late ovatis basi oblique sub - cordatis acutis » acuminatisve æqualiter dentatis ; racemo folioso, » ramis usque ad medium nudis superne verticillis » 6-7. approximatis terminatis; bracteis ovatis caly- » cem 5-dentatum dentibus seta longa apiculatis pa- » rum brevioribus; corolla setis calycinis breviori. » (Patria?).

22. *S. crassifolia* = Ex hb: Biroli ? Tres stirpes occurrunt sub hoc nomine, sc: *S. crassifolia* Desf: a Spr: omissa; *crassifolia* Sibth: ad *candidissimam* Vahl: a Spr: amandata ; et *crassifolia* Cav: descr: p. 15. pariter a Spr: omissa et a R. et S. syst: I. p. 263. inter dubias collocata. Planta mea ad hanc videtur accedere.

23. *S. linearis* = Orteg: dec: Ita in scheda specim: ex hb: Bellardi. Stirps ab omnibus distinctissima quam nullibi video enumeratam; phrasis hæc erit: « *S.* caule » herbaceo sub-simplici adscendente obtuse tetragono » villoso; foliis omnibus linearibus strictis integerri- » mis 1 - nerviis glabriusculis ; racemis terminalibus » simplicissimis ; verticillis 2-floris distantibus ; bra- » cteis filiformibus pedicellos sub - æquantibus persi-

» stentibus; corolla calycem campanulatum striatum » villosiusculum paullo superante. » Nob: (Pedicelli oppositi nec reapse verticillati 1-flori; calyx brevi-3-lobatus, lobo superiore parum latiore sub-2-fido; corolla ochroleuca, galea extus villosiuscula falcata genitalia includens et labium inferius fere tegens. Patria?).

24. *S. hevanda* = Mart: in scheda (*Brasil: Rio d'oro*). « S. caule herbaceo sub-simplici acute tetra- » gono villosiusculo; foliis omnibus petiolatis ovato- » lanceolatis argute serratis glabriusculis supra satu- » rate viridibus subtus pallidis; racemis terminalibus » brevibus; verticillis 2-floris remotis; bracteis ovatis » brevissimis deciduis; corolla lanata calyce tubuloso » glabro duplo longiore. » Nob: (Pedicelli ut in priore; calyx saturate viridis obtuse 3-lobus; corolla fere clausa lana aurea extus densa undique obducta).

25. *S. heterophylla* = Ex h. Vindeb: Ita in scheda specim: ex hb: Biroli. « S. caule herbaceo ramoso » leviter tetragono hirsutissimo; foliis oblongis varie » pinnati-sectis hirsutis rugoso-bullatis laciniis den- » ticulatis, inferioribus petiolatis, superioribus ses- » silibus; racemis compositis ramis strictis; verti- » cillis remotis sub-sexfloris; bracteis cordato-ovatis » calyce 2-labiato valde brevioribus; corolla calyce » duplo longiore galea apice extus glanduloso-villosa. » Nob: (Patria?).

26. *S. Halleri* = Fisch: sec: Steud: Habeo ex hb: Biroli sub hoc nomine; notatur in scheda non esse descriptam. « S. caule herbaceo sub-tetragono sim- » plici villoso; foliis ovato-oblongis sub-sessilibus du-

» plicato-crenatis; racemis elongatis sub-brachiatis;
» verticillis remotissimis 4-6-floris; bracteis calyce
» sub-colorato 2-labiato villoso brevioribus; corolla
» glabra calyce parum longiore. » Nob: (Patria?).

V. Rosmarinus Lin: gen: ed: Schreb: n. 49. = Spr: syst: n. 95. = Lam: ill: t. 19.

» *Cal*: 2-labiatus, labio super: integro, infer: 2-
» fido. *Cor*: 2-labiata, labio super: 2-fido, infer: 3-
» fido, lacinia media majori. *Stam*: 2. filamentis in-
» curvis inferne et postice 1-dentatis. *Caryops*: per-
» fectæ. »

Obs: Genus constans 2. stirpibus, altera europæa, altera chilensi, suffruticosis ramosis sempervirentibus, foliis crebris oppositis verticillatisve linearibus sessilibus vel petiolatis, floribus axillaribus verticillato-sub-racemosis.

✱ 1. *R. officinalis* = L. sp: 33. = Spr: syst: I. 69. = Blackw: t. 159. Ic: taur: vol. 1. t. 39. Vern: *Rousmarin* (*Eur*: austr: In comit: *Nicæens*: frequentior in montibus mari proximis All: n. 62. *Sardin*: in maritimis *Sulcri*, ins: *S. Pietro* vulgatissimus Moris st: sard: I. p. 36.). Frutex aromaticus omnibus notus, undique in hortis cultus ad usum officinarum et culinarum; folia in hoc constanter *sessilia* plus minus angustata, in *R. chilensi* Molin: *petiolata* sec: Auctores. Observavit tamen sagacissimus Berterus in Merc: chil: n. XIII. p. 594. *R. chilensem* non existere, et confusum fuisse a Molin: cum *Baccharide Chileo* Kunth forsan ex nomine vernaculo *Romerillo*.

Trib: II.

WESTRINGIEÆ

Stam: 4., antheris omnium dimidiatis vel duorum abortivis.

VI. Westringia Sm: in act: holm: 1797. p. 175. t. 8. = Spr: syst: n. 2074.

» *Cal*: semi-5-fidus 5-gonus. *Cor*: 2-labiata labio » super: plano 2-fido, infer: 3-partito æquali. *Stam*: » 4. distantia, quorum 2. superiora antheris pollini- » feris, 2. inferiora antheris sterilibus. »

Obs: Genus constans ex R. Br: 8. stirpibus *N. Holl*: incolis, fruticosis facie *Rorismarini*, foliis verticillatis integerrimis, floribus axillaribus solitariis 2-bracteatis albis purpureo nunc punctatis. Colitur in nonnullis calidariis europæis *W. rosmariniformis* = Smith l. c. Suffrut: erectus ramosissimus rigidus, foliis quaternis lineari-lanceolatis margine revolutis subtus tomentosis. Huc pertinet *Cunila fruticosa* W. sp: I. 122. postmodum in en: 622. emendata.

Trib: III.

NEPETEÆ

Stam: didynama, antheris perfectis.
Cal: æqualis.

VII. Ajuga Lin: gen: ed: Schreb: n. 959. = Spr: syst: n. 2071. = Lam: ill: t. 501.

» *Cal*: campanulatus 5 - fidus. *Cor*: labium super: » minimum emarginatum. *Stam*: exserta adscendentia, » antheris 1 - locularibus. *Caryops*: perfectæ reticu- » latæ. »

Obs: Genus constans 15. stirpibus circiter per orbem sparsis herbaceis, foliis sæpius indivisis rarius 3-fidis oblongis plus minus angustatis, floribus axillaribus solitariis (*Chamæpites*) vel spicatis (*Bugulæ*).

✻ 1. *A. Iva* = Schreb: unilab: p. 25. = Spr: syst: II. 705. = Cav: ic: II. p. 18. t. 120. sub *Teucrio* ex L. Ic: taur: vol. 25. t. 50. Vern: generatim *Consolida* (*Eur*: austr:, *Afr*: bor: In comit: *Nicæens*: et *Uneliæ* frequens ad vias et secus agros All: n. 147. sub *Teucrio*. In pascuis *di Maggiora* et *Vergnano* rara occurrit Biroli fl: acon: I. p. 195. *Sardin*: in apricis maritimis frequens Moris st: sard: I. p. 35.). Ann: vel bienn: Sub-procumbens albo-villosa, folia linearia antice dentata (integerrima in var: *ß A. moschata* Schreb:), flores axillares solitarii sessiles.

✻ 2. *A. reptans* = L. sp: 785. = Spr: syst: II. 705. = Blackw: t. 64. f. 1. Ic: taur: vol. 4. t. 88.

sub *Bugula* (*Eur*: passim. *Pedem*: in pratis et ad vias All: n. 158. sub *Bugula*. Re fl: segus: p. 48. et fl: tor: I. p. 296. Biroli fl: acon: I. p. 194.). Perenn: Stolonibus valde repens glabra, folia ovato-oblonga sub-crenulata, flores axillares oppositi in spicam foliosam dispositi.

❋ 3. *A. alpina* = L. mant: 8. = Spr: syst: II. 705. = Ic: taur: vol. 28. t. 73. (*Eur*: alpib: *Pedem*: ad oras sylvarum et in pascuis Alpium vulgaris All: n. 157. sub *Bugula* c. descr: In *M. Cenisio* et in alpibus *Javenensib*: Re fl: segus: p. 48. Ad oras sylvarum alpium *Novariensium* ubique Biroli fl: acon: I. p. 194.). Perenn: Simplex erecta hirsuta, folia ovata obtusa sub-dentata sub-æqualia, flores axillares in spicam foliosam verticillati, lobus medius labii inferioris elongatus.

❋ 4. *A. genevensis* = W. sp: 785. = Spr: syst: II. 705. = Riv: monop: t. 140. f. 2. (*Eur*: cum priori. *Pedem*: in pascuis collium frequentissima Balb: misc: alt: Re fl: tor: I. p. 295. Biroli fl: acon: I. p. 194.). Vix a priori diversa foliis infimis angustioribus, lobo medio labii inferioris abbreviato. Huc refert cl: Re l. c. *A. alpinam* All: non L.? Allionius autem sequentis meram esse var: existimavit.

❋ 5. *A. pyramidalis* = L. fl: suec: 475. 512. = Spr: syst: II. 705. = Oed: fl: dan: 185. Ic: taur: vol. 4. t. 83. 84. (*Eur*: cum duabus præcedentibus. *Pedem*: secus vias collium *Taurinens*: et in montanis pratis, ad radices montis *Chapé* prope *Chalmontium* et in monte *le Vallon*, uti etiam inter pagum *Cels* et arcem *Exilles* All: n. 156. sub *Bugula*. Re fl:

segus: p. 48. In sylvis *della Mandria* Re fl: tor: I. p. 295. In collibus secus fossas Biroli fl: acon: I. p. 194.). Differt a duabus præcedentibus foliis infimis caulinis valde majoribus, spica altiori, floribus in verticillis numerosioribus, lobo medio labii inferioris producto emarginato. Ceterum forsan *A. alpina genevensis* et *pyramidalis* satius in unam conjungendæ, ceu fecerat sub *pyramidali* cl: Schreb: pl: unilab: p. 23.

* 6. *A. Chamæpitys* = Schreb: pl: unilab: p. 24. = Spr: syst: II. 706. = Fl: dan: t. 733. sub *Teucrio* ex L. Ic: taur: vol. 4. t. 91. sub *Bugula* (*Eur*: med: et austr:, *Asia* min:, *Afr*: et *Amer*: bor: *Pedem*: in agris sterilibus et ad muros All: n. 159. sub *Bugula*. Re fl: segus: p. 48. sub *Teucrio*. Prope *Venariam* copiose in arvis eundo versus *Collegno* Re fl: tor: I. p. 296. In ericetis *Ticini* et *Burgimaneri* Biroli fl: acon: I. p. 194.). Ann: Erecta diffusa ramosa villosa, folia profunde 3-fida laciniis linearibus nonnullis integris vel vix divisis quandoque commixtis, flores axillares solitarii folio breviores.

Species dubia.

7. *A. acaulis* = Brocchi et Tenor: syll: fl: neap: p. 275. *A. decumbens* Tenor: fl: nap: non Thb: (Regno *Neapolit*:). Omissa a Spr: et humaniter communicata a cl: Tenor:, a ceteris videtur differre caule sub-nullo, foliis omnibus radicalibus ovalis rotundato-dentatis glabris subtus ad venas villosiusculis, floribus axillaribus verticillatis sessilibus, calyce villoso.

VIII. Anisomeles R. Br: prodr: ed: 1. p. 503. ed: 2. vol. I. p. 259. = Spr: syst: n. 2072. = Hook: suppl: t. 19.

» *Cal*: tubulosus 10-striatus. *Cor*: labium superius » integrum. *Antheræ* staminum breviorum 2-loculares, longiorum dimidiatæ vel dissimiles. *Caryops*: » læves. Cetera *Ajugæ*. »

Obs: Genus a R. Br: statutum ludens inter *Ajugam* et *Teucrium*, sed ab utroque satis distinctum, nunc constans ex Spr: 7. stirpibus ex *N. Holl*: vel *Indiis* orient:, herbaceis, habitu *Ajugæ*. Possideo *A. ovatam* (*Ballota disticha* et *Nepeta indica* L.); herba ann: erecta undique albido-tomentosa, foliis petiolatis sub-cordato-ovatis crenatis, floribus bracteatis dimidiato-verticillatis sub-cymosis.

IX. Teucrium Lin: gen: ed: Schreb: n. 960. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 2073. = Lam: ill: t. 501.

» *Cal*: 5-fidus sub-æqualis. *Cor*: labium super: ab- » breviatum 2 - partitum laciniis lateraliter reflexis. » *Stam*: e fissura labii super: exserta. »

Obs: Genus vix a duobus præcedentibus distinctum structura labii super: quandoque vix adparentis sed ex ejus fissura staminibus constanter exsurgentibus et longe exsertis, constans 80. circiter stirpibus per orbem sparsis præsertim in regionibus temperatis ac præcipue in *Eur*: med: et austr:, herbaceis vel rarius fruticosis, difficillime determinandis ob earum similitudinem in plerisque. Ex varia inflorescentia nonnullæ artificiales divisiones statuere commode licet.

A

Floribus axillaribus solitariis vel geminis.

* 1. *T. campanulatum* = L. syst: 438. = Spr: syst: II. 707. = Riv: monopet: t. 24. *T. supinum* All: add: 153. non L. (*Oriente*, *Ital*: *Pedem*: in arenosis *di Scrivia* nasci observavit Bellardi). Perenn: Sub-prostratum divaricato-ramosum glabrum, folia parva lineari-multifida, flores solitarii folium sub-æquantes calyce campanulato.

B

Floribus verticillatis.

* 2. *T. lucidum* = L. syst: 440. = Spr: syst: II. 707. = Magnol: hort: monsp: 52. t. 52. Ic: taur: vol. 19. t. 74. (*Ital*:, *Græcia*, *Cypro*. *Pedem*: ad montium radices circa *Lucerame* et *Sospello*, in sylvis *Garrexii*, ad sepes circa *Conflans*, in muris *See* non longe a *Bourg S. Maurice*, in magno monte *S. Bernardi* All: n. 149. In montanis umbrosis vallis *di Vegezzo* præsertim *alle Vallette* uti et ad radices montium *di Codro* Biroli fl: acon: I. p. 153.). Perenn: Glaberrimum stoloniferum, folia cuneato-ovata inæqualiter crenata, verticilli sub-4-flori versus apicem ramorum, inferiores folio breviores superiores longiores.

* 3. *T. Chamædrys* = L. mat: med: 144. = Spr: syst: II. 707. = Lobel: ic: t. 491. Ic: taur: vol. 4. t. 92. 93. Vern: *Calamandrina, Camedrio* (*Eur*: pas-

sim, *Asia* med: *Pedem:* in sylvis agri et collium *Taurinens:* non rarum locis siccis, uberius oritur similibus locis et secus vias in montanis All: n. 148. Re fl: segus: p. 48. et fl: tor: I. p. 197. Biroli fl: acon: I. p. 193. *Sardin*: in collibus aridis Moris st: sard: I. p. 36.). Perenn: Procumbens villosiusculum, folia ovato-oblonga æqualiter inciso-crenata, verticilli uti in priori.

* 4. *T. Scordium* = L. sp: 790. = Spr: syst: II. 707. = Fl: dan: t. 593. Vern: *Scordi* (*Eur*:, *Asia* med: *Pedem*: in pascuis paludosis aut humidis et frequentius locis spongiosis quæ parum a lacubus distant All: n. 151. Circa *Avilianæ* lacus et ad fossas secus vias prope *S. Antoninum* Re fl: segus: p. 48. In humentibus *del Parco* atque in pratis humidis versus *Caselette* Re fl: tor: I. p. 299. In pratis secus *Padum* locis uliginosis Biroli fl: acon: I. p. 191. In *Sardin*: uliginosis Moris st: sard: I. p. 136.). Perenn: Valde diffusum cinereo-villosum, folia oblonga sessilia dentata, verticilli dimidiati pauciflori (multiflori in *T. caucasico* W. hb: var: sec: Spr:).

5. *T. spinosum* = L. sp: 793. (*Hispan:*, *Lusitan*: *Sardin*: in collibus aridis Moris st: sard: II. p. 8.). Ann: Puberulum ramis divaricatis spinosis, folia oblonga sæpius pinnatifida, verticilli pauciflori breves, corollæ inversæ.

* 6. *T. Botrys* = L. sp: 786. = Spr: syst: II. 708. = Lobel: ic: 385. Ic: taur: vol. 13. t. 99. (*Eur*: passim, *Asia* med: *Pedem*: in agris apricis *Segusii*, *Exillarum* frequens, in saxosis circa arcem *Fenestrellarum* etiam reperitur, neque infrequens est in sa-

bulosis secus torrentes *Duriam segusiensem* et *le Chison* All: n. 146. Re fl: segus: p. 48. In collinis prope *Albam Pompejam* reperit Berterus). Ann: Glabriusculum, folia multifida laciniis linearibus obtusis, verticilli multiflori superiores folio longiores, calyces campanulato-inflati.

C.

Floribus capitatis.

❀ 7. *T. montanum* = L. sp: 791. = Spr: syst: II. 708. = Tabern: ic: 365. Vern: *Peujo montan*, *Flop servaj* (*Eur*:, *Asia* min: *Pedem*: abunde in sabulosis et saxosis apricis locis meridiano sole percussis montium subalpinorum, in *Sabaudiæ* montosis et glareosis All: n. 153. Re fl: segus: p. 48. Secus *Sturam* Re fl: tor: I. p. 298. In pascuis arenosis provinc: *Novariens*: ubique Biroli fl: acon: I. p. 196. *Albæ* similibus locis ex Bertero). Perenn: vel fruticulosum rigidiusculum divaricato - ramosum, folia lanceolata plus minus angustata in varr: quandoque apice denticulis 1-2. prædita subtus cana, flores in capitulum terminale ovatum congesti.

❀ 8. *T. Polium* = L. sp: 792. = Spr: syst: II. 709. = Barrel: ic: rar: 326. t. 1074. (*Eur*: austr:, *Asia*, *Cochinch*: *Pedem*: in saxosis jugi *di Brauss* versus *Nicæam* copiose nascitur All: n. 155.). Frutic: Decumbens undique albo - tomentosum præcipue in calyce, folia lineari - lanceolata crenulata, capitula florum densissima sub - rotunda. Variat capitulis oblongis spicæformibus.

*? 9. *T. capitatum* = L. sp: 792. = Spr: syst: 709. = Cav: ic: II. p. 17. t. 119. (*Eur*: austr:, *Asia* med:, *Ægypt*: Minime rarum in comit: *Nicæens*:, oritur quoque secus arva in *Monteferrato* et *Liguria* All: n. 154. In *Sardin*: apricis rupestribus Moris st: sard: I. p. 36.). Affine præcedenti, sed differt præsertim foliis minoribus, capitulis pedunculatis cylindraceis aphyllis quandoque racemosis. Fide cl: All: refero inter pedemontanas stirpem hanc quam habeo ex *Gallia* austr: et *Sardin*: nec unquam vidi locis ab ipso indicatis.

* 10. *T. aureum* = Schreb: unilab: p. 43. n. 43. = Spr: syst: II. 709. = Cav: ic: II. p. 16. t. 117. Barr: ic: rar: 320. t. 1082. pro var: *β*. *T. flavicans* Lam: *T. tomentosum* Vill: non Moênch: (*Hispan*:, *Sicil*:, *Gallia* austr:, *Græcia*. In comit: *Nicæens*: et valle *Augustæ Prætoriæ* Bellard: stirp: nov: p. 34. sub *T. tomentoso*). A prioribus, cui valde affine, statim distinguitur summitatibus ramorum capitulisque aureo- non albo-lanatis; capitula pedunculata vel (in var: *β*) sessilia. Var: hanc inter indigenas enumerat Bellardi l. c.

D

Floribus spicatis.

11. *T. hyrcanicum* = L. sp: 789. (*Pers*: bor:, *Caucaso*). Perenn: Erectum villosum, folia cordato-ovata apice angustata crenata subtus albo-puberula, flores spiratim congesti in spicam terminalem longissimam simplicem.

E

Floribus racemosis.

✻ 12. *T. Scorodonia* = L. sp: 789. = Spr: syst: II. 710. = Fl: dan: t. 485. Ic: taur: vol. 4. t. 96. Vern: *Salvia servaja*, *Mactinet* (*Eur*: med: et austr: *Pedem*: in saxosis et ad semitas sylvarum præsertim collium ac montium frequens All: n. 152. In sylvis castanearum præsertim secus viam quæ a *Chiusa* ducit ad templum *S. Michaëlis* Re fl: segus: p. 48. In sylvis *Stupinixii*, secus *Cerundam* et in *M. Musiné* Re fl: tor: I. p. 297. In nosodochio militari *Montiscalerii* ex Balbisio. In umbrosis montanis et collinis nec deest in collibus *di Nebiola* Biroli fl: acon: I. p. 195. *Sardin*: in sylvis montanis litoris occident: Moris st: sard: I. p. 36.). Perenn: Pilosum, folia cordato-ovata latiuscula crenata sub-pubescentia, racemi laterales et terminales sub-secundiflori.

✻ 13. *T. flavum* = L. sp: 791. = Spr: syst: II. 711. = Moris: hist: III. p. 421. s. 11. t. 22. f. 1. (*Eur*: austr:, *Afr*: bor: In agro *Nicæens*: ad rupes aridas et sole percussas ubi vern: *Grosse germandrò* appellatur All: n. 150. *Sardin*: in saxosis montanis Moris st: sard: I. p. 36.). Frutesc: Ramosum flavescenti-villosiusculum, folia late ovata crenata carnosula, verticilli 6-flori in racemos digesti, flores ochroleuci.

✻? 14. *T. massiliense* = L. sp: 789. = Spr: syst: II. 711. = Ger: prov: 278. t. 11. (*Creta*, *Gallia* austr: Agro *Nicæens*: circa *Villamfrancam* sec: W.

et DC. In *Sardin*: secus rivulos et ad margines sylvarum Moris st: sard: I. p. 36.). Suffrut: Humile glabrum, folia oblonga parva crenulata valde rugosa, racemi stricti floribus oppositis minimis. Nostrates haud memorant hanc stirpem inter nicæenses.

15. *T. Marum* = L. mat: med: 114. (*Hispan*:, *Gallo-prov*: *Sardin*: ad rupes frequens Moris st: sard: I. p. 36.). Suffrut: Humile rigidum albo-puberulum, folia ovata parva integerrima subtus tomentosa, racemi foliosi floribus secundis folio longioribus. Tota planta fragrantissima ut natura vix similem produxerit, unde in hortis undique culta ab Hortulanis nostris vern: *Maro*, *Erba dj gat* dicta.

F

Floribus corymbosis.

16. *T. pyrenaicum* = L. sp: 791. (*Pyrenæis*). Perenn: Pumilum tortuosum hirsutiusculum, folia suborbiculata dentata, flores depresso-corymbosi.

X. Perilla Lin: gen: ed: Schreb: n. 968. = Spr: c. p. p. 222. = Lam: ill: t. 503.

» *Cal*: 5-fidus, lacinia suprema brevissima. *Cor*: » labium superius emarginatum, labii infer: lobi sub- » æquales. *Stam*: distantia corolla breviora. *Styl*: 2. » connexi. »

Obs: Genus a L. statutum pro unica stirpe (*P. ocymoides*), nunc 4. aliis a cl: Don adauctum novissime in *Nepal*: detectis. Herbæ vel frutices foliis ovatis plus minus angustatis serratis, floribus spicatis.

Colitur in hortis europæis *P. ocymoides* = L. syst: veg: 445. (*Ind*: orient:). Planta annua facie *Ocymi* elata simplex sub-hirsuta, foliis late ovatis acuminatis, spicis lateralibus simplicibus folio valde brevioribus et terminalibus racemosis longioribus, floribus albis parvis.

XI. Lavandula Lin: gen: ed: Schreb: n. 769. = Spr: syst: n. 2079. = Lam: ill: t. 504.

» *Cal*: tubulosus 5 - dentatus bracteatus. *Cor*: la-
» bium superius 2-lobum infer: 3-lobum lobis sub-
» æqualibus. *Stam*: inclusa. »

Obs: Genus constans 10. stirpibus circiter habitu proprio, ex *Eur*: austr:, *Afr*: bor: vel insulis *Canariis*, suffruticosis rarius herbaceis, foliis plus minus linearibus indivisis vel pinnatifidis, floribus spicatis bracteatis. Cons: cl: Gingins-Lassaraz *hist*: *natur: des Lavandes*. Genève 1826.

* 1. *L. Spica* = L. h. Cliff: 303. pro var: α. = Spr: syst: II. 713. = Blackw: t. 294. Ic: taur: vol. 4. t. 111. 112. *L. vera* DC. Vern: *Lavanda* (*Eur*: austr: *Pedem*: abunde in apricis torrentium ad montes subalpinos *Valdensium*, *Vinadii*, *Valderii* atque *Ligurum*, in valle *Augustæ Prætoriæ* inter *Nus* et *Villafranca*, in *Tarantasia* inter *Moutiers* et *Besé* All: n. 91. Abunde in rupibus circa *Segusium*, in tota valle *Exillarum* et *Cesanæ* Re fl: segus: p. 48.). Suffrut: Cæspitosa puberula, folia linearia subtus revoluta integerrima, verticilli spicati inferne remotiusculi, bracteæ ovatæ scariosæ. Ubique in hortis culta cum seq:

❋ 2. *L. latifolia* = Ehrh: Beitr: VII. p. 147. = Spr: syst: II. 713. = Blackw: t. 295. *L. Spica* var: β L. (Cum priori sed in *Pedem*: rarior). Vix differt a præcedenti, cujus var: habetur ex L., All:, W. etc., foliis latioribus nec revolutis, verticillis inferne approximatis, bracteis linearibus.

❋ 3. *L. Stoëchas* = L. sp: 800. = Spr: syst: II. 713. = Blackw: t. 241. Ic: taur: vol. 4. t. 114. (*Eur*: austr:, *Afr*: bor: In locis apricis montanis agri *Nicæens*: All: n. 92. *Sardin*: in campis vulgatissima Moris st: sard: I. p. 36.). Differt a prioribus magis tomentosa, foliis confertis, spica imbricata, bracteis sub-reniformibus 3-dentatis coloratis.

XII. Sideritis Lin: gen: ed: Schreb: n. 969. = Spr: syst: n. 2080. = Lam: ill: t. 505.

» *Cal:* 5-fidus quandoque sub-2-labiatus bractea-
» tus vel ebracteatus. *Antheræ* 2-loculares. *Stigm*: 2.
» quorum alterum brevius involvens longius. Cetera
» *Lavandulæ*. »

Obs: Stigmatum dispositio distinguit præsertim genus hoc ab affinibus; constat autem 40. circiter speciebus, nonnullis obscuris per orbem sparsis, præcipue per *Eur*: med: et austr:, fruticosis vel herbaceis, foliis simplicibus oblongis plus minus latis sæpius tomentosis, floribus verticillato-spicatis ebracteatis vel bracteatis, bracteis integerrimis aut dentatis.

A. *Ebracteatæ.*

Calycibus villis clausis sub - 2 - labiatis, labio super: lato ovato infer: 4-dentato (*Burgodorfia* MOENCH:), vel labio super: 3-dentato infer: 2-lobo (*Hesiodia* MOENCH:).

❋ 1. *S. montana* = L. sp: 802. = Spr: syst: II. 714. = Jacq: austr: V. p. 16. t. 434. Ic: taur: vol. 11. t. 12. *Hesiodia bicolor* Moënch: (*Eur*: med: et austr: *Pedem*: in agris avenæ et speciatim prope *Dagonney* ALL: auct: p. 3. n. 94. In pascuis montanis supra *Vogogna* et *Premosello* BIROLI fl: acon: I. p. 197.). Ann: Hirsuta, folia sessilia elliptica dentata, verticilli 6-flori calyce spinuloso corollam flavam margine ferrugineam superante.

❋ 2. *S. romana* = L. sp: 802. = Spr: syst: I. 714. = Cav: ic: II. p. 69. t. 187. Ic: taur: vol. 11. t. 9. et vol. 18. t. 76. *Burgsdorfia rigida* Moênch: (*Eur*: austr: In aridis collibus *Nicææ*, *Uneliæ*, in monte *Tendæ* et circa *Sospello* ALL: n. 94. Ex *Dego* retulit BERTERUS. *Sardin:* in collibus aridis apricis MORIS st: sard: I. p. 36.). Differt a priori caule procumbente, foliis in petiolum attenuatis, calycis lacinia superiore magna, corolla majore alba.

B. *Bracteatæ.*

Calycibus nudis, laciniis æqualibus (*Sideritis* Moench:).

α *Bracteis integerrimis.*

3. *S. syriaca* = L. sp: 801. (*Ital:*, *Græcia*, *Tauria*). Fruticul: Erecta tomentoso-lanata, folia lanceolata sub-integerrima, verticilli remoti, bracteæ cordatæ acutæ. Variat latitudine foliorum, ac bracteis magis ampliatis viridi-lutescentibus (*S. brutia* Tenor: fl: nap: II. p. 16. t. 51). Hanc quoque possideo a cl: Auctore e *Calabria* missam, sed auctoritate etiam cll: Reich: et Spr: non satis mihi videtur differre ad distinctam speciem constituendam.

β *Bracteis dentatis.*

❋ 4. *S. incana* = L. sp: 802. = Spr: syst: II. 715. = Cav: ic: II. p. 69. t. 186. Ic: taur: vol. 23. t. 25. (*Hispan:*, *Gallia* in *Pyren*: Agro *Nicæens*: inter *l'Escarena* et *Rocca Talliada* All: n. 96.). Fruticul: Erecta albido-tomentosa, folia linearia integerrima, bracteæ cordatæ dentibus spinulosis, verticilli remoti 6-flori, corolla flava.

❋ 5. *S. hyssopifolia* = L. sp: 803. = Spr: syst: II. 716. = Barr: ic: 172. et 329. (*Helvet:*, *Gallia*, *Ital:* In alpib: *Sabaud*: præsertim. Abunde in monte *la Tournette* All: n. 95. c. descr:). Perenn: Glabriuscula sub-cæspitosa, folia lanceolata sub-sessilia integerrima vel obiter dentata præsertim in *S. fœtida*

Poir: quæ est mera var:; bracteæ ut in priori, spica brevis verticillis approximatis 6-floris, corolla pallide lutea galeæ suprema parte purpurascente. Variat etiam foliis latioribus vel angustioribus uti ex iconibus Barrel: supra citatis.

* 6. *S. hirsuta* = L. sp: 803. = Spr: syst: II. 716. = Sabb: hort: III. t. 58. Ic: taur: vol. 4. t. 134. (*Eur*: austr: In comit: *Nicæens*: ad rupes et colles All: n. 97.). Perenn: Rigida pilosa, folia oblonga rugoso-plicata dentata, bracteæ cordatæ serrato-spinosæ, spica elongata verticillis remotis 6-floris rachide inter verticillos hirsutissima, corollæ flavæ.

XIII. Origanum Lin: gen: ed: Schreb: n. 981. = Spr: syst: n. 2082. = Lam: ill: t. 511.

» *Spica* strobuliformis tetragona bracteis imbricata. » *Cal*: 5-dentatus vel rarius sub-2-labiatus. *Cor*: labium superius sub-integrum, inferius 3-fidum laciniis sub-æqualibus. *Stam*: inclusa (parum exserta » in *O. vulgari*). »

Obs: Genus facie propria facile distinguendum ex inflorescentia, constans 20. circiter stirpibus plerumque aromaticis, herbaceis vel rarius suffruticosis, per orbem sparsis præsertim in regionibus temperatis, foliis plus minus late ovatis vel sub-orbiculatis sæpius tomentosis, floribus in spicam plus minus elongatam simplicem vel compositam sub bracteis sæpius coloratis forma varia, ex quibus præsertim stirpes distinguendæ.

* 1. *O. vulgare* = L. mat: med: 151. = Spr: syst: II. 716. = Fl: dan: t. 638. Ic: taur: vol. 11. t. 13.

Vern: *Cornabusa* (*Eur*: passim, *Asia* med:, *Amer*: bor: *Pedem*: secus vias ad sepes in dumetis et in clivis saxosis ubique frequens All: n. 82. Re fl: segus: p. 50. et fl: tor: I. p. 311. Biroli fl: acon: I. p. 204. *Genuæ* secus *Leira* Bertol: am: ital: p. 159.). Perenn: Erectum glabriusculum, folia ovata integerrima, panicula valde ramosa ramis desinentibus in spicas pedunculatas aggregato-sub-globosas, bracteæ glabræ plus minus coloratæ calycem sub-æquantes. Colo in h. Ripul: plantas ex seminibus missis sub nomine *O. micranthi*, quæ a *vulgari* non differunt.

✻ 2. *O. creticum* = L. mat: med: 151. = Spr: syst: II. 717. = Lam: epit: 468. c. ic: (*Græcia*, *Creta*, *Eur*: austr: *Pedem*: in collibus apricis *di Maggiora*, *Boca* etc. Biroli fl: acon: I. p. 204.). Differt a priori caule foliisque hirsutiusculis, spicis fasciculatis oblongis supremis sub-sessilibus, bracteis membranaceis calyce duplo longioribus.

Coluntur insuper in hortis tum ad ornamentum, tum ad usum culinarum stirpes seqq:, omnes valde aromaticæ: = 3. *O. Onites* = L. sp: 824. (*Sicil:*). Fruticul: Undique villoso-hirtusiusculum, folia remote serrata, spicæ aggregatæ breves in singulo pedunculo ternæ, bracteæ imbricatæ ovatæ calycem sub-æquantes. = 4. *O. Maru* = L. sp: 825. (*Creta*, *Palestina*). Perenn: vel suffrutic: Undique albescenti-tomentosum, folia parva integra patenter petiolata, spicæ glomeratæ sub-rotundæ vel cylindraceæ. Huc spectat sec: Spr: *O. majoranoides* W. quod venit in hortis sub nomine vern: *Magiolana*. = 5. *O. Majorana* = L. h. Cliff: 304. (*Ind*: orient:, *Græcia*). Vix differt radice

annua, foliis brevius petiolatis, spicis brevioribus. At cl: Savi in mem: missa ad R. Acad: Taurin: et lecta die 14. decembr: 1834. adhuc inedita, luculentissimis probationibus demonstravit, speciem hanc non esse a priori distinguendam. = 6. *O. Dictamnus* = L. h. Cliff: 304. Vern: *Dittamo* (*Creta, Cochinchina*). Suffrutic: Albo-lanatum, folia sub-orbiculata ampla, spicæ brevi-pedunculatæ oppositæ vel ternæ ovatæ nutantes, bracteæ laxiusculæ maximæ ovatæ læves coloratæ. Stirps inter omnes fragrantissima.

XIV. Cuminia Colla pl: rar: chil: fasc: VI. t. LXVII. ined:

» *Cal*: tubulosus regularis 5-fidus. *Cor*: tubulosa
» sub-2-labiata, labio super: productiore 2-lobo lo-
» bis rotundatis, infer: 3-lobo lobis oblongis æqua-
» libus. *Stam:* intra tubum, media sub-longiora ap-
» proximata, lateralia distantia. *Filam*: basi villosa.
» *Anthera* 2-loba, lobis divaricatis. *Styl:* corollam sub-
» æquans. »

Obs: Genus constans unica stirpe seq: missa a cl: Bertero ex ins: *Juan-Fernandez* sub nomine *Phytoxidis acidissimæ* Molin: cum dubitationis signo, addita in scheda seq: observatione: « *genus omnino diversum videtur* »; quod probatur ex diagnosi nostra comparata cum descriptione Molinæ.

1. *C. fernandezia* = Colla l. c. Frutex orgyalis glaber ramosus, folia petiolata elliptica argute serrata subtus pallidiuscula, flores axillares sub-corymbosi corymbis sub-sessilibus folio brevioribus.

XV. PYCHNANTHEMUM Mick: fl: bor: amer: II. p. 8. t. 34. = Spr: syst: n. 2083. = *Saturejæ*, *Thymi*, *Origani*, *Brachyotemi*, *Nepetæ*, *Clinopodii* spec: alior:

» *Cal*: tubulosus striatus 5-fidus. *Cor*: labium su-
» perius rotundatum integrum, infer: 3-fidum laci-
» nia media longiore. *Stam*: sub-æqualia inclusa vel
» exserta. *Flores* verticillati bracteati. »

Obs: Genus a MICK: statutum pro 4. stirpibus, hinc a cll: PURSH:, NUTT: et PERS: ad 10. productum in dispendium generum affinium, unde valde adhuc obscurum. Herbæ vel suffrut: omnes ex *Amer*: bor:

1. *P. linifolium* = Spr: syst: II. 718. ex Pursh: *Satureja virginica* L. Perenn: Glabrum, folia sessilia lineari-lanceolata acuminata, verticilli umbellato-corymbosi, flores in capitula sub-globosa terminalia dispositi, bracteæ cuspidatæ pubescentes, stamina exserta.

XVI. SATUREJA Lin: gen: ed: Schreb: n. 961. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 2085. = Lam: ill: t. 504.

» *Cal*: 5-fidus campanulatus ore nudo (*Satureja*),
» vel cylindricus ore villis clauso (*Sabatia* DC.). *Cor*:
» labium super: emarginatum, infer: 3-lobum lobis
» sub-æqualibus. *Stam*: distantia. »

Obs: Genus constans 20. stirpibus circiter, quarum nonnullæ valde dubiæ, per orbem sparsis præsertim in *Eur*: austr:, fruticulosis vel rarius herbaceis plerumque aromaticis, foliis oblongis plus minus angustatis integerrimis, floribus solitariis vel cymosis aut verticillatis.

✱ 1. *S. hyssopifolia* = Bertol: *S. montana* auctor: non L. = Spr: syst: II. 719. = Sabb: hort: III. t. 64. Ic: taur: vol. 28. t. 32. Vern: *Serea* uti aliæ spec: indigenæ (*Eur*: austr: *Pedem*: frequens in apricis scopulosis sub-alpinis, in valle *Sturæ*, in valle *Macræ*, circa *Nicæam* All: n. 87. Re fl: segus: p. 48. Ex collibus *Albensib*: retulit Berterus. *Voltri* supra *l'Acqua santa* et in montibus *del Bracco* in orientali plaga *Liguriæ* Bertol: am: ital: p. 158.). Suffrut: Glabriuscula cæspitosa rigida, folia sub-sessilia lineari-lanceolata mucronata rufo-punctata, pedunculi axillares cymosi sub-secundi folio sub-breviores, calyx ore nudo, bracteæ calyce longiores. *S. montana* L. pertinet ad aliam plantam. Cons: Bertol: in ann: sc: nat: Bonon: 1829. p. 406. et vid: infr: n. 7.

✱ 2. *S. Juliana* = L. sp: 793. = Spr: syst: II. 720. = Moris: hist: III. p. 412. s. 11. t. 17. f. 4. (*Etrur*:, *Græcia*. In aridis circa *Nicæam* All: n. 84. *Sardin*: ad rupes frequens Moris st: sard: I. p. 36.). Suffrut: Diffusa cinarescenti-puberula, folia petiolata parva lineari-lanceolata margine revoluta, pedunculi dense cymosi, calyx ore villis clausus.

✱ 3. *S. græca* = L. sp: 794. = Spr: syst: II. 720. = Moris: hist: III. p. 411. s. 11. t. 17. f. 2. (Ins: *Archipelagi*. In agro *Nicæens*: All: n. 86.). Perenn: Ceterum priori valde affinis, sed folia planiuscula hispida, pedunculi pauciflori, bracteæ calyce breviores. Variat tamen multimode, uti videre est penes cl: Guss: fl: sic: prodr: II. p. 116. et seqq:

✱ 4. *S. hortensis* = L. vir: Cliff: 87. = Spr: syst: II. 720. = Sabb: hort: t. 70. Ic: taur: vol. 4. t. 123.

(*Tauria*, *Caucaso*, *Gallia Narbon*:, *Italia*. In agro *Nicæens*: sponte crescit uti et in *Monteferrato* præsertim in fluminum alveis sabulosis aridis All: n. 88. In arvis collium *Taurin*: prope *Battuelli* versus *le Tavernette* Re fl: tor: I. p. 298. In hortis præsertim urbis *Novariæ* spontanea abundat Biroli fl: acon: I. p. 196.). Ann: Nunc in hortis fere spontanea evasit ubi colitur ad usum culinarum ob gratum præ aliis aroma. Caulis brachiato-ramosissimus, folia lineari-lanceolata petiolulata, pedunculi axillares pauciflori foliis multoties breviores, bracteæ calyce ore nudo longiores.

❋ 5. *S. Thymbra* = L. sp: 794. = Spr: syst: II. 720. = Sabb: hort: III. t. 71. (*Græcia*, *Asia* min:, *Afr*: bor: In saxosis collium *Nicæens*: All: n. 85. *Sardin*: in apricis *Calari* ubi crescit etiam *S. capitata* Desf: seu *S. nervosa* W. et Spr:, quam non possideo, Moris st: sard: I. p. 36.). Suffrut: Undique hispida, folia sub-sessilia spathulato-lanceolata evenia, flores densissime verticillati sessiles.

Species dubiæ.

6. *S. consentina* = Tenor: fl: nap: prodr: app: V. p. 17. et fl: nap: III. t. 151. f. 1. (*Calabria*). Suffrut: Decumbens filiformis scabra, folia lineari-setacea elongata, pedunculi axillares secundi pauciflori, bracteæ setaceæ calyce breviores. Specim: ex cl: Auctore *Cosenza* lectum habitu, foliorum tenuitate et floribus omnibus prorsus secundis distinctissimum a stirpibus mihi cognitis; omissa a Spr:

7. S. *Bellardi* = Nob: *S. rupestri affinis* Bellard: (*Dalmatia* locis sterilibus mari proximis). « *S.* caule » fruticoso ramisque striatis glaberrimis; foliis lineari- » lanceolatis utrinque angustatis tenuissime punctatis » integerrimis planis; pedunculis axillaribus oppositis » folia sub-æquantibus sub-3-floris, bracteis setaceis » longitudine calycis ore nudi. » Nob: Toto cœlo recedit a *S. rupestri* Wulff: cui cl: Bellardi dixit affinem; magis accedere videtur ad *S. hyssopifoliam* n. 1. maxime foliorum forma et punctis quibus adspersa adparet, sed differt foliis ipsis duplo angustioribus acutis equidem sed non mucronatis, pedunculis longioribus constanter oppositis nec sub - secundis; floribus minoribus, ac demum bracteis setaceis calycem non superantibus. An eadem ac vera *S. montana* L. sec: observationes cl: Bertolonii l. c. ad n. 1.? Crederem, ni in nostra planta dentes calycini *æquales* essent et inflorescentia diversa, et magis crederem eo quod illam habuerit Bellardi ex *Dalmatia* uti Bertolonius suam *montanam* a *Visianio*.

XVII. Hyssopus Lin: gen: ed: Schreb: n. 963. excl: 2. stirpib: = Spr: syst: n. 2088. excl: 3. stirpib: = Lam: ill: t. 502.

» *Cal*: 5-dentatus sub-æqualis. *Cor*: labium supe- » rius sub-2-lobum, infer: 3-lobum lobo medio ma- » jore obcordato. *Stam*: recta exserta distantia. »

Obs: Genus constans 2. stirpibus suffruticosis aromaticis, foliis oblongis plus minus angustatis integerrimis, floribus verticillatis.

* 1. *H. officinalis* = L. mat: med: 145. = Spr:

syst: II. 721. = Jacq: austr: t. 254. Ic: taur: vol. 4. t. 115. (*Eur*: austr:, *Sibir*: *Pedem*: in valle *Augustæ Prætoriæ* versus *Giambava*, in valle *Ulciensi*, in comit: *Nicæens*:, inter *Garessio* et *Ormea*, in *Monteferrato* secus flumen *Orba*, secus *Scrivia* in agro *Derthonensi*, in valle *di Bardonneche*, *Sabaud*: in valle *Maurianensi* et inter *Moutiers* et *Besé* All: n. 83. Re fl: segus: p. 48.). Suffrutic: Erectus ramosissimus glabriusculus, folia lanceolata integerrima, verticilli axillares racemosi secundi multiflori, calycis dentes erecti æquales, lobus medius labii infer: non crenatus. Colitur in hortis ad oras areolarum ob ornamentum et ad usum officinarum.

XVIII. Lophanthus Nob: non Forst: = *Hyssopi* spec: Auctor: = Jacq: h. Schoëmbr: I. t. 69. pro *H. Lophantho*.

» *Labii* infer: lobus medius crenatus. *Flores* cy-
» mosi vel spicati. Cetera *Hyssopi*. »

Obs: Differt in flore ab *Hyssopo* structura lobi medii labii inferioris; insuper duratio, foliorum forma, et inflorescentia nostro generi tribuunt faciem omnino diversam. *Lophanthus* Forst: pertinet ad *Waltheriam*; nostrum constat 3. stirpibus exoticis herbaceis.

1. *L. communis* = Nob: *Hyssopus Lophanthus* L. h. Ups: 162. (*China* bor:). Perenn: Folia ovato-oblonga crenata, pedunculi axillares cymosi. = 2. *L. nepetoides* = Nob: Sub *Hyssopo* L. h. Ups: 163. (*Amer*: bor:). Perenn: Folia magna ovata acuminata acuta dentata, spica terminalis elongata floribus dense verticillatis. = 3. *L. scrophularifolius* = Nob: Sub

Hyssopo W. sp: III. 48. (*Amer*: bor:). Vix distinguitur a priori radice bienni, dentibus foliorum obtusiusculis, floribus rubicundis, stylo corolla duplo longiore.

XIX. Elsholtzia W. in Uster: mag: XI. p. 5. t. 1. = Spr: syst: n. 2089. = *Hyssopi* et *Menthæ* spec: alior:

» *Cal*: tubulosus 5 - dentatus bracteatus. *Cor*: la-
» bium super: 4-dentatum, infer: longius indivisum
» sub-crenulatum. Cetera *Hyssopi*. »

Obs: Genus facie *Ocymi* constans 3. stirpibus exoticis herbaceis, foliis ovatis dentatis, floribus varie spicatis, inter quas habeo *E. cristatam* W. l. c. (*Hyssopus ocymifolius* Lam:) ex *Sibir*: Herba annua erecta puberula, folia longe petiolata late ovata obtuse dentata, spica sub-solitaria erecta, bracteæ sub-rotundæ mucronatæ spicæ latum exteriorem obtegentes, flores rubelli.

XX. Mentha Lin: gen: ed: Schreb: n. 967. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 2090. = Lam: ill: t. 503.

» *Cal*: 5 - dentatus striatus quandoque ore villis
» clauso. *Cor*: 4 - loba sub - regularis lobo seu labio
» super: latiori sæpius emarginato. *Stam*: recta dis-
» tantia inclusa vel exserta. »

Obs: Genus constans 40. circiter stirpibus per orbem sparsis præsertim in regionibus mediis *Eur*: et *Amer*: bor:, herbaceis odoratissimis plurimis officinalibus, foliis plus minus ovato-oblongis rarissime linearibus sæpius serratis, floribus spicato - verticillatis

varie dispositis rarius pedunculis cymosis vel corymbosis. Ex inflorescentia optimæ scatent generis divisiones; ceterum stirpes extricatu difficillimæ. Calyx plerumque ore nudo, corollæ labium super: emarginatum (*Mentha* DC.); interdum calyx ore villis clausus, corollæ labium super: integrum (*Pulegium* DC.).

A. *Verticillis spicatis.*

❀ 1. *M. viridis* = L. sp: 804. = Spr: syst: II. 722. = Ic: taur: vol. 24. t. 5. (*Eur*: passim. *Pedem*: in cultis collibus quandoque occurrit, frequentior in vinetis *Montisferrati* All: n. 66. Ad vias collium præsertim *di Fara*, *Ghemme* etc. Biroli fl: acon: I. p. 197. Ad sepes *Sardin*: med: Moris st: sard: I. p. 36.). Perenn: Erecta lævis, folia sub-sessilia ovato-lanceolata acuta tenuissime serrulata, spicæ elongatæ tenues, verticilli remotiusculi globosi, stamina exserta.

2. *M. piperita* = L. mat: med: 148. (*Anglia*, in *Galliæ* aquosis sec: DC.). Differt a priori, cui dicitur affinis, statura majori, foliis petiolatis evidentius argute serratis, spica breviori, verticillis approximatis, staminibus inclusis. Undique nunc culta ob eminentiam aromatis præ ceteris. Cum hac jungit cl: Spr: *M. balsameam* W. quam possideo, sed ad priorem magis, quam ad *piperitam* accedere mihi videtur.

❀ 3. *M. sylvestris* = L. h. Cliff: 306. = Spr: syst: II. 722. = Lob: ic: 509. Ic: taur: vol. 4. t. 135. Vern: *Mentastr*, *Mangiastr* (*Eur*: passim. *Pedem*: frequens secus fossas et flumina lente fluentia præsertim in montanis All: n. 65. Re fl: segus: p. 49. et fl: tor:

I. p. 299. Biroli fl: acon: I. p. 197. *Genuæ* ubique secus aquas et locis humidis Bertol: am: ital: p. 158.). Perenn: Puberula, folia sessilia ovato-oblonga plus minus subtus præsertim tomentosa inæqualiter serrata, spica elongata verticillis remotiusculis, stamina corollam sub-æquantia vel sub-longiora. Variat pube, statura, foliorum dentibus, et staminum longitudine, unde cl: Spr: cum ea conjunxit *M. nemorosam, gratissimam, hirtam*, et *pubescentem* W., quarum prima inter stirpes distinctas refertur a cl: Balbis: el: stirp: rec: p. 6., quibus jungenda *M. longifolia* Huds: a Spr: omissa, differens foliis lanceolatis argutissime serratis. Habitus reapse omnium simillimus.

❋ 4. *M. crispa* = L. h. Cliff: 306. = Spr: syst: II. 723. = Moris: hist: III. p. 367. s. 11. t. 6. f. 5. *M. Lamarkii* Tenor: fl: neap: pr: app: V. p. 19. et syll: fl: neap: p. 283. *M. crispa* var: A. Lam: (*Helvet*:, *German*: *Pedem*: in collibus *Taurin*: secus torrentes occurrit All: n. 69.). Perenn: Glabriuscula vel pubescens, folia sub-sessilia cordato-sub-orbiculata undulato-crispa cuspidato-dentata, spica oblonga verticillis approximatis, bracteæ sub-integræ, stamina corollam æquantia. Stirps pedemontana procul dubio pertinet ad var: Lam: a cl: Tenor: ei dicatam, quam tamen non audeo pro distincta stirpe admittere, quum differat tantum pube evidentiori, spica magis compacta, bracteis inferioribus laciniatis.

❋ 5. *M. tomentosa* = Spr: syst: II. 723. ex Urv: = *M. undulata* et *incana* W. en: 608. 609. (Ins: maris *Egæi*. *Pedem*: minime rara circa *Venariam* et speciatim secus *Sturam* Re app: III. p. 11.). Differt

præsertim a *M. sylvestri* n. 3. pube crebriori, foliis oblongioribus crispis grosse dentatis, staminibus exsertis; sed hæ differentiæ an satis constantes? V. citat: n. 3.

❋ 6. *M. rotundifolia* = L. sp: 805. = Spr: syst: II. 723. = Engl: bot: t. 446. Vern: *Mentastr* (*Eur*: passim. *Pedem*: abunde ubique secus fossas et in sterilibus inundatis, agris quoque sterilibus et ad vias All: n. 67. Re fl: segus: p. 49. et fl: tor: I. p. 300. Biroli fl: acon: I. p. 198. *Sardin*: in humidis umbrosis Moris st: sard: I. p. 36.). *M. sylvestri* etiam affinis, sed differt præcipue foliis rotundioribus, verticillis magis distantibus, staminibus exsertis. Variat foliis magis rugosis albo-tomentosis (*M. rugosa* Roth:), spicis cylindricis, bracteis verticillo brevioribus (*M. macrostachya* Tenor:). Hæc insuper plures producit varr: quas videre est penes cl: Auctorem fl: neap: syll: p. 282.

B. *Verticillis capitatis.*

❋ 7. *M. aquatica* = L. h. Cliff: 306. = Spr: syst: II. 723. = Blackw: t. 32. Ic: taur: vol. 28. t. 77. pro var: *hirsuta*. Vern: *Menta* (*Eur*: passim. *Pedem*: ubique in inundatis et secus aquas lente fluentes All: n. 70. Prope *Segusium* abunde retro *la Brunetta* Re fl: segus: p. 49. et fl: tor: I. p. 300. Ad aquæductus et vias oryzarum vulgaris Biroli fl: acon: I. p. 198. In *Sardin*: palustribus Moris st: sard: I. p. 36.). Perenn: Villosiuscula, folia petiolata ovata dentata, capitula plus minusve obtusa. Variat partibus omnibus

magis hirsutis, capitulis oblongioribus (*M. hirsuta* L. et All: n. 68.), floribus capitato-spicatis, foliis subsessilibus, staminibus inclusis (*M. pyramidalis* Tenor: fl: nap: pr: 33.); prima crescit etiam in *Pedem*: præsertim circa lacum *di Azelio*, *di Candia*, et *Viverone*, et ad loca uliginosa *di Borgomasino* All: n. 68. Circa *Venariam* et speciatim ad aquas fluentes inter *il Parco* et caseale dictum *dj Merlo* Re fl: tor: l. c. Altera enascitur in regno *Neapol*: et forsan admittenda tamquam distincta præsertim ex foliis *subsessilibus* ac staminibus *inclusis*, dummodo characteres isti constantes sint, etenim in *aquatica* folia semper petiolata, et stamina exserta observavi. Habeo ex locis humidis agri *Cuneensis* plantam sub nomine *M. serratæ*, quæ ab *aquatica* non differt nisi foliis profunde et argutissime serratis.

❄? 8. *M. citrata* = Ehrh: Beitr: VII. p. 150. = Spr: syst: II. 723. (*Eur*:, *Palestina*. *Pedem*: in agro *Novar*: secus flumen *la Negoja* non rara, teste Biroli fl: acon: I. p. 198.). Vix differt a priori foliis ellipticis *obtusioribus*, omnium partium *glabritie*, staminibus *inclusis*, et odore *Citri*. Cl: Biroli qui hanc plantam retulit in fl: acon: illam equidem citat in catal: mss:, sed ibi deleta videntur verba *secus la Negoja*, quod indicat forsan ipsum in errorem ductum fuisse prima vice circa stationem et ob similitudinem hujusce stirpis cum præcedenti. Specim: mea non proveniunt ex plantis indigenis.

C. *Verticillis axillaribus remotis.*

❀ 9. *M. arvensis* = L. h. Cliff: 307. = Spr: syst: II. 723. = Fl: dan: t. 512. (*Eur*: passim. *Pedem:* frequens secus fossas et potissimum in arvis humidis et inundatis ALL: n. 72. RE fl: segus: p. 49. et fl: tor: I. p. 301. BIROLI fl: acon: I. p. 198.). Perenn: Adscendens villosa, folia petiolata elliptica dentata, verticilli secus ramos sub-sessiles, calyces campanulati dentibus abbreviatis, stamina corollam sub-æquantia, corollæ lacinia infima obtusa. Variat multimode.

❀ 10. *M. austriaca* = Jacq: austr: V. t. 430. = Spr: syst: II. 723. = All: pedem: n. 73. t. 75. f. 2. (*Eur*:, *Caucaso. Pedem*: circa lacus *Canapicienses* passim occurrit ALL: n. 73. c. descr: Secus aquæductum *la Mora* rara, frequens in valle *Sessite* usque ad alpes BIROLI fl: acon: I. p. 198.). Habitus omnino prioris, sed differt verticillis *pedunculatis*, calycibus *oblongis*, dentibus *subulatis*. Stamina *inclusa* dicunt W. et SPR:; in descr: cl: ALL: *exserta* indicantur uti adparet etiam ex icone sua; in specim: meis, immo in ipsis individuis quandoque *exserta*, alias *inclusa* adparent; character igitur ex illorum longitudine maxime fallax saltem in hac specie. Huc videtur referenda *M. exigua* ALL: n. 74. ex L.; synonymum enim HALL: helv: n. 224. ab ipso citatum ad illam pertinet sec: W. sp: III. 81. Revera de *M. exigua* L. silent posteriores Botanici etiam nostrates, si excipias STEUD: qui illam amandat ad *Cunilam pulegioideam Amer*: bor: incolam. *M. exigua* LAM: est *M. arvensis* n. 9. var: ζ.

❀ 11. *M. gentilis* = L. sp: 805. = Spr: syst: II. 723. = Fl: dan: t. 736. *M. rubra* Sm: (*Eur*: passim. *Pedem*: lectam habuisse ex agro *Taurin*: asserit All: n. 71. Secus *Aconiam* versus *Lumellogno* uti et secus *la Mora* frequens Biroli fl: acon: I. p. 198.). Simillima *M. arvensi* n. 9., cujus forsan var:, sed minus hirta, caules rubescentes, calyces adspersi punctis resinosis, corollæ lacinia infima *acuta* nec *obtusa*.

❀ 12. *M. Pulegium* = L. h. Cliff: 307. = Spr: syst: II. 724. = Sabb: hort: III. t. 49. Ic: taur: vol. 23. t. 86. Vern: *Puleg*, *Basalicò sęrvaj* (*Eur*: passim. *Pedem*: secus arva et in arvis sub-humidis minime rara præcipue inter *August*: *Taurin*: et *Ripularum* oppidum All: n. 75. In valle *Segusiana* secus viam prope *Pietra cullera* et in pascuis identidem inundatis Re fl: segus: p. 49. Ubertim in pascuis humidis et signatim prope *Taurinum* in pascuo prope *Portam Novam* et *nella Praglia di Pianezza* Re fl: tor: I. p. 301. In agro *Albensi* Berterus. In campis et inundatis vulgaris Biroli fl: acon: I. p. 199. *Sardin*: in uliginosis ubique Moris st: sard: I. p. 36.). Perenn: Pilosiuscula repens, folia parva ovata obtusa sub-crenata, verticilli sub-sessiles globosi, stamina exserta.

D. *Pedunculis cymosis vel corymbosis.*

❀? 13. *M. sativa* = L. sp: 805. = Spr: syst: II. 724. = Fl: dan: t. 794. (*Eur*: austr: *Pedem*: secus *Duriam Taurinens*: et passim in collibus *Taurinens*: Bellardi app: p. 32.). Planta valde dubia; Auctores ei tribuunt folia *petiolata*; in specim: Bellardianis

sunt *sessilia*. Ex Bauh:, L. et W. flores sunt reapse *verticillati*, stamina *exserta*, uti in plantis pedemontanis; e contra Spr: pedunculos *axillares cymoso-glomeriferos* et stamina *inclusa* dicit.

Species magis dubiæ.

❋ 14. *M. glabra* = Bellard: hb: « *M.* foliis pe-» tiolatis serratis ovato-oblongis staminibus corolla » brevioribus. » Bellard: in scheda. Stirps hæc reperta fuit a cl: Bellardi in locis humidis prope *Airascam* provinc: *Pinaroliens*: Attente comparata cum descr: *M. glabratæ* Vahl: symb: III. p. 75., non videtur differre nisi majori numero florum in singulo verticillo, et bracteis verticillis brevioribus. Ceterum planta Vahlii crescit in *Ægypto*, nec scio unquam in *Eur*: repertam fuisse. Stirps de qua agimus est undique glaberrima, caule ramisque divaricatis tetragonis, folia sunt brevi-petiolata ovato-oblonga semipollicaria tenuissime serrata subtus pallidiuscula et punctis lente tantum conspicuis adspersa, spica terminalis solitaria (raro 2-3.) pedunculata oblonga verticillis approximatis quandoque inferiore remotiusculo 15-20-floris, bracteæ lineares verticillo dimidio breviores, calyces longitudine tubi corollæ dentibus acutissimis, stamina inserta, stylus exsertus.

15. *M. nepalensis* = Spin: hb: Habitus a ceteris valde diversus, planta villosiuscula foliis amplis petiolatis cordato-rotundatis obtuse crenatis cuspidatis superioribus cordato-lanceolatis sub-sessilibus, panicula terminalis verticillata verticillis paucifloris, flores

pedicellati pedicellis bracteis ovatis longioribus, calycis lacinia extrema ceteris longior, corollæ ex sicco violaceæ labium superius elongatum integerrimum stamina includens, stylus brevissimus. An aliud genus?

XXI. GALEOBDOLON Sm: brit: II. p. 631. = Spr: syst: n. 2091. = Curt: lond: IV. t. 30. = *Galeopsidis*, *Leonuri*, *Lamii*, *Pollichiæ*, et *Cardiacæ* sp: quorund:

» *Cal:* 5-fidus inæqualis aristatus. *Cor:* labium su-
» per: integerrimum fornicatum, infer: 3-fidum laci-
» niis omnibus acutis. »

Obs: Genus ludens inter *Leonurum* ex flore et *Lamium* ex habitu, constans unica seq: specie.

✻ 1. *G. luteum* = Sm: l. c. = Spr: syst: II. 725. = Curt: l. c. Ic: taur: vol. 5. t. 3. (*Eur*: fere tota. *Pedem:* ubique in sylvis umbrosis montium et collium ALL: n. 120. sub *Leonuro Galeobdolone*. RE fl: segus: p. 49. sub *Galeopside*. Inter *Venariam* et *Caselle* prope *la Fabbrica della carta* atque in sylvis umbrosis collium RE fl: tor: I. p. 305. Eisdem locis in provinc: *Novar*: et in planitie circa urbem *alla Bertona* BIROLI fl: acon: I. p. 203. sub *Leonuro*). Herba perenn: glabra erecta, folia petiolata sub-cordato-ovata profunde dentata summa lanceolata acuminata, verticilli axillares sub-sessiles pauciflori, flores lutei.

XXII. GALEOPSIS Lin: gen: ed: Schreb: n. 972. excl: *Galeobdolone* = Spr: syst: n. 2092. = Lam: ill: t. 506.

» *Cor*: labium infer: 3-fidum, laciniis lateralibus

» ad faucem tuberculatis, media crenata. *Antherarum* » valvæ ciliatæ. Cetera *Galeobdolonis*. »

Obs: Genus facie prioris, constans ex Spr: 7. stirpibus hemisphæri septentrion: incolis, 1. ex *Afr*: austr:, herbaceis, inter se valde similibus in foliis, ac præcipue distinguendis ex internodiis caulinis æqualibus vel superne incrassatis, ex verticillorum majori aut minori propinquitate, ex bractearum structura, aliisque notis in flore.

✱ 1. *G. Ladanum* = L. syst: 446. = Spr: syst: II. 725. = Lam: ill: t. 506. f. 1. Ic: taur: vol. 5. t. 2. et vol. 11. t. 5. (*Eur*:, *Asia* med: *Pedem*: abunde in agris All: n. 106. Re fl: segus: p. 49. et fl: tor: I. p. 304. Biroli fl: acon: I. p. 200. Frequens *Genuæ* sub mæniis extra portam *delle Chiappe* usque ad ipsam arcem *il Diamante* ubi vere pusilla reperitur Bertol: am: ital: p. 159.). Ann: Ramosissima sub-pubescens, internodia sub-æqualia superne villosa, verticilli valde remoti, calyces pungentes tubo corollæ triplo breviores, bracteæ subulatæ, folia ovato-oblonga superiora lanceolata. Variat caule glabriusculo, foliis omnibus lineari-lanceolatis (*G. angustifolia* Pers:). Var: hæc demum admissa a cl: Re tamquam species distincta in app: II. p. 200. invenitur inter *Altessanum* et *Taurinum* secus *Sturam*, nec non in provincia *Segusiana* ex qua illam habeo ab ipso Re.

✱ 2. *G. parviflora* = Lam: dict: II. p. 594. n. 3. = *G. Ladanum* var: Spr: syst: II. 725. *G. intermedia* Vill: = Lob: ic: 527. (*Eur*: passim. *Pedem*: lecta fuit in valle *d'Ala* a cl: Re app: II. p. 200.). Si characteres servat, procul dubio distinguenda a

priori foliis omnibus ovato-oblongis æqualiter serratis, corollis calyce hirsuto vix longioribus. Præterea planta valde humilior, quod tamen pauci faciendum juxta observationes cl: BERTOL: l. c. de *Ladano*.

* 3. *G. ochroleuca* = Lam: dict: II. p. 594. n. 2. = Spr: syst: II. 725. *G. grandiflora* W. sp: III. 91. = Riv: t. 24. (*Eur*: passim. *Pedem*: locis arenosis et sæpe inter saxorum congeries prope *Cuneum* BALB: misc: bot: p. 28. sub *G. grandiflora*). Affinis *G. Ladano*, sed differt foliis omnibus lanceolatis adpresse pubescentibus, calycibus tubo corollæ quadruplo brevioribus, corollæ galea apice 2-fida.

* 4. *G. Tetrahit* = L. sp: 810. = Spr: syst: II. 725. = Riv: mon: t. 44. Lob: ic: 527. Ic: taur: vol. 5. t. 4. (*Eur*: passim, *Amer*: bor: *Pedem*: ad sepes et in sylvis ceduis ubique ALL: n. 105. RE fl: segus: p. 49. et fl: tor: I. p. 304. Ad fossas frequens in valle *dell'Arbogna* prope *la Vesca* var: foliis majoribus et floribus candidis occurrit BIROLI fl: acon: I. p. 200.). Differt a prioribus internodiis superne evidentius incrassatis, foliis omnibus ovato-oblongis hirsutis, verticillis superioribus approximatis, calycibus longe aristatis corollæ tubum æquantibus. Variat flore albo et versicolore; hæc ultima var: frequens adinvenitur ad vias et ruderata in subalpinis potissimum *Valdensibus* ALL: l. c., sed non confundenda cum stirpe seq:; proinde delendum in fl: pedem: synon: RIV: quod sec: W. pertinet ad *G. cannabinam*. Aliam var: memorat cl: RE fl: tor: l. c. magis pubescentem, floribus majoribus, quam ex litteris REYNIER dubitavit ad *G. pu-*

bescentem Schrad: pertinere; subinde illam admisit tamquam speciem distinctam in app: II. p. 200.; attamen in specim: mihi humaniter communicatis ab ipso Re veras differentias inter *G. Tetrahit* et *pubescentem* a cl: Spr: allatas observare datum non fuit.

✻ 5. *G. versicolor* = Curt: Lond: VI. t. 38. = Spr: syst: II. 725. *G. cannabina* Roth: germ: I. 254. = Fl: dan: t. 929. Riv: t. 45. sec: W. (*Eur*: passim. *Pedem*: secus rivulum *Tendæ* oppidum occurrentem, et in fagetis locisque montanis *Monregalensib*: sed rara Balb: misc: bot: p. 29. In campis *di Galliate* ubi linum seritur occurrit Biroli fl: acon: I. p. 200.). Differt a priori corolla luteo et purpureo variegata, calyce quadruplo longiore. Cl: W. observat, in horto satam per plures annos constanter faciem servare.

XXIII. Lamium Lin: gen: ed: Schreb: n. 971. = Spr: syst: n. 2093. = Lam: ill: t. 506. = *Lamii* et *Orvalæ* sp: DC., *Lamii* et *Pollichiæ* spec: Roth:

» *Cor*: labium infer: 3-lobum, laciniis lateralibus » in dentes reflexos mutatis, lobo medio emarginato. » *Antherarum* loculi barbati seu fimbriati. Cetera *Ga-* » *leopsidis*. »

Obs: Genus constans 20. circiter stirpibus fere omnibus europæis, herbaceis, plerumque fœtentibus, facie *Galeopsidis*, facilius tamen distinguendis foliorum forma, laciniarum labii inferioris dentium numero, corollæ pubescentia vel glabritie etc.

✻ 1. *L. Orvala* = L. sp: 808. = Spr: syst: II. 725. = Scop: carn: n. 699. t. 27. sub *L. pannonico*. *Orvala lamioides* DC. (*Ital*:, *Hungar*:, *Transylv*: *Pe-*

dem: circa thermas *Vinadii* et *Valderii* in saxosis umbrosis, in montibus umbrosis *Monregalensib*: supra oppidum *Limon* All: n. 99. c. descr:). Perenn: Glabrum, folia longe petiolata cordato-ovata duplicato-obtuse-dentata, verticilli sub-multiflori, calyx coloratus non aristatus, galea villosa apice serrata, labium inferius utrinque 3-dentatum, antheræ *glabræ* nec villosæ uti in descr: All:, ex quo præsertim *Orvalæ* genus a *Lamio* distinguit DC., flores rubri conspicui. Variat foliis basi attenuatis non cordatis, inæqualiter et eleganter incisis nec laceris, laciniis longissime cuspidatis (*Orvala garganica* L., *Popia garganica* Michx: gen: 20. t. 17.).

❋ 2. *L. garganicum* = L. sp: 808. non *Orvala garganica* L. = Spr: syst: II. 726. = Till: pis: 93. t. 34. f. 2. Ic: taur: vol. 15. t. 5. (*Ital*:, *Asia* min: *Pedem*: circa *Limon*, *Sabaud*: in *Maurianensi* prov: prope *Lanslebourg* et loco dicto *Alp rouss* All: n. 100.). Facies omnino prioris, sed differt caule foliisque pubescentibus, corollæ tubo recto, labio infer: utrinque 2 - non 3 - dentato, antheris hirsutis.

❋ 3. *L. maculatum* = L. sp: 809. = Spr: syst: II. 726. = Col: ecphr: I. p. 190. t. 185. Ic: taur: vol. 4. t. 150. (*Eur*: med: et austr: *Pedem*: abunde in umbrosis sub-montanis *S. Albani* et copiosissime ad sepes prope *Barge* et circa *Moncalieri*, frequens in agro *Canapiciensi* et *Bugellensi* All: n. 102. Ad sepes in valle *Segus*: Re fl: segus: p. 49. In umbrosis supra *la Molinetta* secus *Padum* eundo ad *Moncalieri* atque ad fossas prope *Caselle* et *Alpinianum* Re fl: tor: I. p. 302. Ad alpes *Aconienses* vulgatissimum

Biroli fl: acon: I. p. 199. Ex agro *Albensi* retulit Berterus. In *Sardin*: locis umbrosis Moris st: sard: I. p. 36.). Differt a præcedenti foliis glabriusculis acuminatis albo maculatis (maculæ æstate disparent), verticillis 10-floris, galea acuta emarginata.

* 4. *L. album* = L. h. Cliff: 314. = Spr: syst: II. 726. = Fl: dan: t. 594. Ic: taur: vol. 4. t. 148. (*Eur*: passim. *Pedem*: ad sepes minime rarum All: n. 103. Secus muros *del Valentino* Re fl: tor: I. p. 302. Cum *L. maculato* crescit Biroli fl: acon: I. p. 199.). Differt a *maculato* foliis immaculatis oblongioribus dentibus acutioribus, verticillis 20-floris, galea obtusa integerrima, floribus albis vel carneis non purpureis. Calyces macula fusca notati sunt.

5. *L. bifidum* = Cyrill: rar: fasc: I. p. 22. t. 7. (*Neap*: *Sardin*: in montanis umbrosis frequens Moris st: sard: II. p. 8.). Verticilli approximati 6-8-flori, galea 2-fida, labium infer: utrinque 1-dentatum.

* 6. *L. lævigatum* = L. sp: 808. = Spr: syst: II. 726. = Pluk: phyt: t. 198. f. 1. (*Ital*:, *Sibir*:, *Alsatia*. *Pedem*: circa *Fontaneto* atque ad sepes inter *S. Germano* et *Vercelli* All: n. 101. Passim in *Tarantasia* præsertim inter *Monticy* et *Notre Dame d'Abelvine* et circa *S. Pierre d'Albigny* All: auct: p. 3.). Folia minora quam in præcedentibus, verticilli pauciflori, calyces læves tubum corollæ æquantes. Variat foliis lævibus glabriusculis (α *glabratum*), rugosis utrinque pubescentibus (β *pubescens*), flore majori ceteris partibus minoribus (γ *minus*). An huc spectet et forsan ad var: β *L. hirsutum* a cl: Balbis: enumeratum inter stirpes pedemontanas (el: p. 11.), valde

dubito; certe verum *L. hirsutum* Lam: non possidemus.

* 7. *L. purpureum* = L. h. Cliff: 314. = Spr: syst: II. 726. = Fl: dan: t. 532. Ic: taur: vol. 4. t. 149. et vol. 5. t. 1. Vern: *Urtie morte*, *Urtie fole*, *Urtie mate*, *Ciollet* (*Eur*: passim. *Pedem*: abunde in satis hortis et ad vias All: n. 104. Re fl: segus: p. 49. et fl: tor: I. p. 303. Biroli fl: acon: I. p. 200.). Ann: Puberulum, folia cordato-sub-rotunda obtusa inæqualiter obtuse dentata in summis ramis congesta, verticilli 6-10-flori, flores parvuli purpurei, corollæ tubus intus barbatus. *L. incisum* W. idem ac *hybridum* DC., et *purpureum* β Lam:, non differt facie, sed folia acutiuscula inciso-dentata, flores angustiores, corolla intus imberbis ex Spr:, tenuissime barbata in specim: meis ex Perret in *Gallia* lectis. Crescit etiam in *Sardin*: arvis *Bari* Moris st: sard: I. p. 36.

* 8. *L. amplexicaule* = L. h. Cliff: 314. = Spr: syst: II. 727. = Fl: dan: t. 752. Ic: taur: vol. 4. t. 147. (*Eur*:, *Amer*: bor: *Pedem*: frequens inter segetes All: n. 105. Re fl: segus: p. 49. et fl: tor: I. p. 303. Biroli fl: acon: I. p. 200. *Sardin*: in campis et ad muros Moris st: sard: I. p. 35.). Affine valde priori, a quo dignoscitur foliis omnibus magis rotundatis crenato-lobatis superioribus amplexicaulibus.

XXIV. Glechoma Lin: gen: ed: Schreb: n. 970. = Spr: syst: n. 2094. = Lam: ill: t. 505.

» *Cal*: striatus cylindricus, fructiferus nudus. *Cor*:
» tubus elongatus labio super: 2-fido infer: 3-fido

» lacinia intermedia majore emarginata. *Antheræ per* » *paria in geminam crucem conniventes?* »

Obs: Genus constans ex Spr: 2. stirpibus herbaceis, altera ex *Ind*: orient:, altera europæa. Character ex situ antherarum fallax. Cl: Scop: fl: carn: n. 730. asserit, nec filamenta nec antheras uniformem situm habere in *Gl*: *hederaceo*, quod ex ic: Lam: et observationibus meis confirmatur.

* 1. *Gl*: *hederaceum* = L. h. Cliff: 307. = Spr: syst: II. 727. = Blackw: t. 225. Ic: taur: vol. 4. t. 124. 125. Sub *Calamintha* Scop: Vern: *Edera terrestr*. (*Eur*: passim, *Amer*: bor: *Pedem*: nihil ad sepes frequentius et ad vias locis umbrosis, in saxosis ripis super *Padum* non infrequens All: n. 93. Re fl: segus: p. 49. et fl: tor: I. p. 302. Biroli fl: acon: I. p. 199. *Sardin*: in umbrosis Moris st: sard: I. p. 35.). Perenn: Procumbens puberulum, folia reniformia crenata, verticilli 4-6-flori, flores brevi-pedicellati, corolla purpurea vel alba. Variat etiam flore majore (*Gl*: *magnum* Merat:).

XXV. Nepeta Lin: gen: ed: Schreb: n. 964. excl: nonnullis stirpib: = Spr: syst: n. 2095. = Lam: ill: t. 502.

» *Cal*: 5-dentatus. *Cor*: tubus elongatus incurvus, » fauce patente, lab: superiore emarginato, infer: 3- » fido laciniis lateralibus brevissimis reflexis, media » majore cucullata crenata. *Stam*: approximata. »

Obs: Genus constans 45. circiter stirpibus, nonnullis adhuc obscuris, fere omnibus europæis vel ex *Asia* med:, herbaceis vel rarius suffruticosis, foliis

plus minus oblongis sæpius cordatis indivisis rarissime pinnatisectis, floribus axillaribus cymosis aut verticillatis vel rarius spicatis corymbosisve.

* 1. *N. graveolens* = Vill: delph: II. p. 366. = Spr: syst: II. 728. = *N. Nepetella* All: fl: pedem: n. 134. t. 2. f. 1. non L. Ic: taur: vol. 4. t. 130. *N. lanceolata* Lam:, DC. Vern: *Melissa*, *Nogala*, *Annetta* (*Gallia* austr:, *Ital*: super: *Pedem*: in apricis et sabulosis et alveis fluminum ad Alpium radices ubique frequens All: l. c. Locis saxosis in *Exillarum* valle Re fl: segus: p. 48.). Perenn: Undique cinereo-tomentosa fœtens, folia sub-cordato-oblonga breviter petiolata serrata, cymæ pedunculatæ sub-6-floræ, flores mediocres calyce villosissimo et fere lanato corollæ albæ tubo parum breviori. Ico All: fallax, folia ibi sunt majora et nulla basi cordata. Auctor ipse cognoverat in auct: p. 3., suam plantam non ad *N. Nepetellam* L., sed ad *graveolentem* Vill: pertinere. Illa deest in *Pedem*: quod sciam; planta enim sub hoc nomine relata a cl: Re in app: III. p. 11. ex *M. Cenisio*, fide forsan DC. de sua *N. lanceolata*, non videtur diversa a *graveolente* ex specim: meis. *N. Nepetella* L. differt foliis evidentius cordatis longius petiolatis profundius serratis, cymis racemosis multifloris, calycibus vix villosis. Variat cymis paucifloris, floribus cæruleis (*N. amethystina* Poir: dict: suppl: II. p. 206. n. 31.); an sp: distincta? Sed ex specim: meis habitus simillimus.

* 2. *N. Cataria* = L. sp: 796. = Spr: syst: II. 728. = Fl: dan: t. 580. Ic: taur: vol. 4. t. 129. Vern: *Menta Cataria*, *Erba gata* (*Eur*: passim, *Amer*: bor:

Pedem: ad sepes ALL: n. 131. Circa domos et in locis incultis RE fl: segus: p. 48. In ruderatis atque speciatim inter *Taurinum* et *Collegno* ad viam *Strada vecchia* nuncupatam RE fl: tor: I. p. 299. In pascuis et ruderatis BIROLI fl: acon: I. p. 196.). Affinis *N. Nepetellæ*, sed folia supra viridiora apice magis acuta, et speciatim differt cymis spicatis superne congestis, quod ei inflorescentiæ tempore habitum omnino diversum tribuit.

* 3. *N. nuda* = L. syst: veg: 442. = Spr: syst: II. 728. = Barr: ic: 601. Jacq: austr: I. p. 17. t. 24.? Ic: taur: vol. 21. t. 27. (*Eur*: med: et austr:, *Asia* med: *Pedem*: in pascuis declivibus apricis collium *Taurinens*:, atque similibus locis montanis, tum secus flumina in saxosis frequens ALL: n. 135. RE fl: segus: p. 48. et fl: tor: I. p. 299. In pascuis *Padi* frequens BIROLI fl: acon: I. p. 197.). Perenn: Glabra, folia sessilia cordato-oblonga serrata, cymæ racemoso-verticillatæ brachiatæ, flores sub-sessiles parvi calyce corollæ cæruleæ vel albidæ tubum sub-æquante. Huc spectat *N. violacea* VILL: non L.

* 4. *N. pannonica* = L. sp: 797. = Spr: syst: II. 728. = Moris: hist: III. p. 415. s. 11. t. 6. f. 6. Jacq: fl: austr: II. p. 18. t. 129? Ic: taur: vol. 23. t. 8. (*Eur*: med:, *Sibir*: *Pedem*: copiose oritur circa oppidum *la Tuille* et circa *Bonneval* ALL: n. 132. In pascuis apricis *di Craveggia* non frequens BIROLI fl: acon: I. p. 196.). Differt a priori, cui valde affinis, herba undique *cinereo-tomentosa*, foliis *brevi-petiolatis* nec *sessilibus*, cymis *paniculatis*, floribus *majoribus* magisque congestis, calyce tubo corollæ *breviori*;

hæc omnia ex specim: spontaneis; ceterum planta mihi valde dubia; *glabram* dicunt Auctores, sed in illis evidentissime *adpresse tomentosa*; synon: Jacq: ab All: et W. citatum refert Spr: ad *N. nudam* L., e contra *N. nudam* Jacq: ad *pannonicam* L. amandat.

* 5. *N. violacea* = L. sp: 797. non Vill: = Spr: syst: II. 729. = Bocc: mus: II. p. 46. t. 36. Ic: taur: vol. 21. t. 27. (*Eur*: med:, *Sibir*: In *Pedem*: se legisse affirmat Boccone. Mihi nondum obviam venit, ita All: n. 133. Eximius D. Bertola cum D. Badarò legit in nemoribus secus *Sturam* Bertola app: ad fl: taur: p. 5.). Magis accedit glabritie ad *N. nudam* quam ad *pannonicam*, sed folia brevi-petiolata; differt autem ab utraque præsertim inflorescentia in cymas sub-capitatas laxiusculas pedunculatas, corolla longiore, lobis lateralibus patentioribus. Ico Barrel: 601. ab All: et W. citata pertinet potius ad *N. nudam* n. 3. Ceterum stirps hæc post Bocconem lecta tantum fuit a laudatis Botanicis, nec in *Italia*, nec in *Gallia* adinvenitur ut sciam.

6. *N. foliosa* = Moris st: sard: III. p. 10. (*Sardin*: in nemoribus calcareis *Oliena* Moris l. c.). Perenn: Villoso-viscosa, folia cordato-ovata acuta serrata inferiora petiolata superiora sessilia, cymæ pauciflorae valde foliosæ, corollæ cæruleæ.

Species magis dubiæ vel novæ.

7. *N. Perretii* = Nob: *N. lanceolata* Perret hb: non Lam: « *N.* caule foliisque subtus pubescentibus, » foliis omnibus petiolatis ovato - oblongis cordatis

» grosse dentatis apice acutis mucronulatis; cymis » pedunculatis paucifloris axillaribus sub-racemosis » folio brevioribus terminalibus sub-spicatis; bracteis » lineari-lanceolatis acuminatis calycem villosiusculum superantibus; corollæ (ex sicco albidæ) tubo » longitudine calycis. » Nob: *N. lanceolata*, sub quo nomine hanc stirpem habui a cl: Perret sine indicatione nec patriæ nec Auctoris, descripta a Lam: dict: I. p. 702. n. 2., nunc ad *N. graveolentem* n. 1. amandata sec: Poir: dict: suppl: II. p. 204., toto cœlo differt a planta Perretii, quæ a ceteris quoque characteribus indicatis distincta videtur. Habitus *Lamii* sed flores *Nepetæ*.

8. *N. Balbisii* = Nob: *N. colorata* Balb: hb: non W. « *N.* undique incano-tomentosa, foliis brevi-petiolatis cordato-ovatis obtusis rugosis undulato-crispis crenulatis; cymis verticillatis, verticillis distantibus pedunculatis sub-3-floris; bracteis linearibus » brevissimis; calycibus apice coloratis tubo corollæ » filiformi dimidio brevioribus. » Nob: Sub *N. colorata* W. quo nomine communicata stirps hæc a cl: Balbisio plures species confusæ sec: Spr: syst: II. 727., inter alias *N. grandiflora* M. B. quæ a planta Balbisii valde diversa. Accedit potius ad *N. crispam* W. sp: III. 50., a qua vix differt pubescentia *crebriori* præsertim in calyce, foliis *brevius petiolatis tenuissime crenulatis* nec reapse dentatis, bracteis *brevioribus*.

9. *N. citriodora* = Balb:? Culta in h. Ripul: ex semin: missis a cl: Balb: sub allato nomine, a Steud: citata, a Spr: omissa, habitu a ceteris mihi notis videtur differre præsertim ramis divaricatis fere horizon-

talibus hinc adscendentibus, grato citri odore quo tota planta scatet, cymis longissime pedunculatis inferioribus 1-2 superioribus 3-4-floris; folia sunt petiolata lanceolato-ovata serrata uti tota planta subincana, bracteæ filiformes calyce multoties breviores, calyx cylindricus tubum corollæ sub-æquat.

XXVI. Hyptis Lin: gen: ed: Schreb: n. 969. ex Jacq: = Spr: syst: n. 2096. = Lam: ill: t. 507.

» *Cal*: 5-fidus. *Cor*: lab: super: 2-infer: 3-fidum, » lobo medio cucullato. *Stam*: declinata. »

Obs: Genus a *Nepeta* vix distinctum, habitu tamen, inflorescentia præsertim plerumque capitata, diversum, nunc constans 30. circiter stirpibus herbaceis vel suffruticosis, omnibus ex *Ind*: occid: regionibus calidioribus, inter quas plures valde obscuræ. Corollam *resupinatam* dicit Jacq:; sed cons: Lam: dict: III. p. 176., Poiteum monogr: hujusce generis in ann: mus: VII. p. 460., nec non observ: R. Br: pr: fl: nov: Holl: ed: 2. tom: I. p. 356., qui omnes structuram a Jacq: tributam optimis rationibus denegant. Plures stirpes possideo satis notas; sequentem autem dubiam vel novam.

Species dubia vel fortassis nova.

1. *H. psammophila* = Mart: hb: (*Brasil*:). Communicata a cl: Martio sub hoc nomine, exhibet caulem herbaceum tortuosum diffuso-ramosum, folia ovato-oblonga glabriuscula serrata, pedunculos axillares internodio paullo breviores filiformes villosiusculos præ-

sertim versus axillas foliorum, capitula orbiculata piso communi parum majora, bracteas ovato - lanceolatas acutas villosas flores sub-æquantes.

XXVII. STACHYS Lin: gen: ed: Schreb: n. 974. = Spr: syst: n. 2097. = Lam: ill: t. 509.

» *Cal*: 5-fidus. *Cor*: lab: super: fornicatum emar-
» ginatum, infer: 3-lobum, lobis lateralibus reflexis,
» intermedio majore emarginato. *Stam*: post deflora-
» tionem versus latera reflexa. »

Obs: Genus constans 55. circiter stirpibus per orbem sparsis, præsertim ex *Eur*:, *Asia* med: et *Afr*: bor:, paucis americanis, herbaceis vel fruticosis, foliis integris sæpe cordatis, floribus sub-solitariis vel plerumque verticillatis verticillis pauci- vel multifloris, corollis colore vario.

A. *Floribus solitariis.*

1. *St*: *glutinosa* = L. h. Cliff: 310. (*Creta*, *Corsica*. *Sardin:* in rupestribus frequens MORIS st: sard: I. p. 36.). Suffrut: Glabra ramulis spinulosis sub - glutinosis, folia lanceolata inferiora versus apicem sub-3-dentata superiora minora integerrima, pedunculi axillares solitarii brevissimi. = 2. *St*: *corsica* = Pers: ench: II. p. 124. *Glechoma grandiflora* DC.? (*Corsica*. *Sardin*: ad rupes in montibus frequens). Herbacea pumila prostrata diffusa hirsutiuscula, folia petiolata cordato-rotundata crenata parva, flores axillares solitarii respectu plantæ conspicui calycibus campanulatis spinulosis.

B. *Verticillis 6-floris.*

* 3. *St*: *maritima* = L. mant: 82. = Spr: syst: II. 734. = Jacq: h. Schoëmbr: t. 70. (Ad litora maris *Mediterran*: Balb: add: p. 90.). Perenn: vel suffrut: Pubescens, folia obovato - oblonga crenato - undulata summa integerrima, verticilli inferiores remoti.

* 4. *St*: *annua* = L. syst: 448. = Spr: syst: II. 734. = Jacq: fl: austr: t. 360. Ic: taur: vol. 11. t. 11. (*Eur*: passim. *Pedem*: inter stipulas in *Monteferrato* et agro *Nicæensi* frequens, etiam in *Liguria* atque in collibus provinc: *Taurinens*: All: n. 115. In agris montanis provinc: *Segusianæ* Re fl: segus: p. 49. Inter arvorum stipulas ab *Augusta Taurinor*: ad *Sturam* tum in locis sterilibus prope *Duriam* supra *S. Pè dj Coi* atque etiam prope *Venariam* eundo versus *Collegno* Re fl: tor: I. p. 308. Ad *Ticinum* vulgaris Biroli fl: acon: I. p. 202.). Ann: Lævis glabra ramosissima erecta in montanis, procumbens in planitie; folia ovato-lanceolata 3-nervia dentata, verticilli remotiusculi. Huc refert Spr: 1. *St*: *Balbisii* Link: quam non vidi; 2. *St*: *pubescentem* Tenor: quam possideo, sed hæc valde differt, et proximior potius *St*: *arvensi* n. 6., a qua recedit caule perenni, floribus concoloribus. Cons: Tenor: syll: fl: neap: p. 289.

* 5. *St*: *hirta* = L. sp: II. 813. = Spr: syst: II. 734. = All: pedem: n. 113. t. 2. f. 3. Ic: taur: vol. 14. t. 75. f. 1. (*Ital*:, *Afr*: bor:, *Asia* min: In agro *Nicæensi* All: n. 113. c. descr: *Sardin*: in pascuis aridis litoris occid: Moris st: sard: I. p. 36.). Perenn:

Pumila sub-prostrata hispida, folia parva petiolata cordato-oblonga obtusa dentata, verticilli remoti, calyx aristato-pungens, labium super: 2-fidum.

❄ 6. *St: arvensis* = L. syst: veget: 448. = Spr: syst: II. 735. = Oed: fl: dan: t. 587. Ic: taur: vol. 23. t. 68. (*Eur*: passim. *Uneliæ* et *Nicææ* secus arva All: n. 116. Secus *Atison* in magna valle *Ossulæ* et in arvis frequens Biroli fl: acon: I. p. 202. *Sardin*: in arvis et in pascuis frequens Moris st: sard: I. p. 36.). Ann: Debilis hirsutiuscula brachiata, folia cordato-ovata obtusissima dentata, corollæ tubus longitudine calycis, galea integerrima. Variat corollis majoribus purpureis, calyce lanato (*St*: *purpurea* Poir:). Hanc habeo ex cl: Tenor: in agro *Neapol*: lectam.

❄ 7. *St: sylvatica* = L. fl: suec: 489. 526. = Spr: syst: II. 735. = Sabb: hort: III. t. 38. Vern: *Urtia morta* (*Eur*: passim. *Pedem*: ad sepes et in ruderatis frequentissima All: n. 108. Re fl: segus: p. 49. et fl: tor: I. p. 306. Biroli fl: acon: I. p. 201.). Ann: Erecta hirsuta, folia magna petiolata cordato-late-ovata grosse dentata sub-acuminata, spica elongata verticillis distantibus, flores ampliusculi rubri.

C. *Verticillis multifloris.*

❄ 8. *St: recta* = L. mant: 82. = Spr: syst: II. 736. = Jacq: fl: austr: t. 359. (*Eur*: passim. *Pedem*: ubique in alveis fluminum, saxosis collibus et declivibus sterilibus All: n. 114. Re fl: segus: p. 49. et fl: tor: I. p. 307. Biroli fl: acon: I. p. 202.). Perenn: Adscendens hirsuta, folia sub-sessilia lanceolata sub-

dentata, spicæ elatæ verticillis remotis sub-10-floris, flores lutei vel rubri in *St*: *bufonia* Thuill:, quam possideo ex hb: Perret.

* 9. *St: heraclea* = All: pedem: n. 112. = Spr: syst: II. 736. = Colum: ecphr: p. 128. t. 131. All: l. c. t. 84. f. 1. (In collibus comit: *Nicæens*: locis minime cultis All: l. c. c. descr: In argillosis collibus elatioribus *Siciliæ* sec: Guss:). Perenn: Villosa immo ad nodos calycesque lanata, folia petiolata lanceolata denticulata superiora sessilia, verticilli spicati inferiores remotissimi hinc approximati demum sub-congesti sub-10-flori, calyces pungentes, flores obscure rubri, galea lanata. Cl: All: auct: p. 3. n. 112. observat, semina hujusce stirpis sata in H. B. T. plantas dedisse *St*: *alpinam* n. 12. maxime referentes; sed de plantæ habitu ibi loquitur, non de differentiis in inflorescentia et flores. Ico sua de *St*: *heraclea* fallax præsertim in calyce qui lanatus non adparet.

* 10. *St*: *palustris* = L. fl: suec: 490. 528. = Spr: syst: II. 736. = Blackw: t. 273. (*Eur*: passim. *Pedem*: abunde secus fossas All: n. 109. Re fl: segus: p. 49. et fl: tor: I. p. 307. Ad vias oryzarum ubique Biroli fl: acon: I. p. 201.). Perenn: Puberula, folia sub-sessilia lanceolata serrata basi emarginato-sub-amplexicaulia, verticilli sub-spicati sub-10-flori.

* 11. *St*: *germanica* = L. sp: 812. = Spr: syst: II. 736. = Jacq: fl: austr: t. 319. Ic: taur: vol. 5. t. 78. et vol. 10. t. 48. (*Eur*: passim. *Pedem:* secus arva saxosa et in ruderatis declivibus abunde All: n. 111. Re fl: segus: p. 49. et fl: tor: I. p. 307. Secus *Sturam* et in pascuis hujus urbis extra *Portam novam*

ipse sæpius vidi. In pascuis et campis etiam urbis *Novariæ* Biroli fl: acon: I. p. 202. *Sardin*: in collibus apricis Moris st: sard: I. p. 36.). Perenn: Erecta undique albo-tomentosa, folia brevi-petiolata ovato-oblonga crenata, verticilli spicati foliosi 20 - 30 - flori, dentes calycini ovati nec pungentes, galea rotundata.

✻ 12. *St: alpina* = L. fl: suec: II. n. 527. = Spr: syst: II. 737. = Lapeyr: pyr: I. p. 14. t. 8. (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: in spongiosis ad Alpium radices All: n. 110. Circa sylvas in regione *di Fossimagna* Re fl: segus: p. 49. Ad radices alpium *Novariens*: vulgaris Biroli fl: acon: I. p. 201.). Perenn: Villosiuscula, folia sub-cordato-ovata cartilagineo-dentata, verticilli 12-20-flori, calyces colorati sub-pungentes, galea horizontalis glabra. Habitu quidem similis *St*: *heracleæ* n. 9., sed characteribus allatis, floralibus præsertim, valde diversa.

Species magis dubiæ vel novæ.

13. *St*: *astracanica* = Bellard: Ita in scheda specim: ex hb: Biroli. Planta undique glabra foliis petiolatis late ovatis obtusissimis rotundato - dentatis basi in petiolum sub-decurrentibus, spica terminalis pedunculata bracteis ovatis acuminatis tecta; forsan ætate verticillos emittit, quos videre mihi datum non fuit, ideoque nec flores in specim: tenellam inflorescentiam gerente.

14. *St*: *elegans* = Bellard: hb: Caulis erectus villoso-hirsutiusculus, folia brevi-petiolata glabra ovato-rotundata rugosa æqualiter serrata, verticilli sub-6-

flori, calyx villosus dentibus acutis non aristatis. Corollæ desunt in specim:

15. *St*: *fœtida* = Vitm: Ita in scheda specim: ex hb: Biroli et in ejus catalogo. « *St*: caule herbaceo » erecto inferne glabro superne ramisque villosiuscu- » lis, foliis oblongis in petiolum attenuatis obtusis- » simis integerrimis, spica terminali, verticillis re- » motiusculis sub-4-floris, stipulis late ovatis calyci- » busque valide spinosis corollæ tubum sub-æquan- » tibus (Patria?). » Nob:

16. *St*: *albicaulis* = Lindl: bot: reg: 1558.? Missa sub hoc nomine a Bertero e *Chili* saxosis declivibus apricis collium *Valparaiso* cum dubitationis signo; caulis et folia plus minus albo-villosa inferiora petiolata superiora sessilia omnia lanceolata obtusiuscula æqualiter crenata nervosa, verticilli spicati inferiores remoti superiores approximati sub-6-flori, bracteæ ovatæ calycesque setaceo-spinulosi corollæ tubo breviores, flores ex sicco flavescentes.

XXVIII. Leonurus Lin: gen: ed: Schreb: n. 977. excl: *L. lanato* = Spr: syst: n. 209. = Lam: ill: t. 509. = *Cardiacæ*, *Chaituri* et *Panzeriæ* spec: quorund:

» *Cal*: 5-dentatus aristatus. *Cor*: 1/3 lobis omni- » bus indivisis. *Antherarum* loculi paralelli. »

Obs: Genus habitu melius dignoscendum quam characteribus floralibus, qui variant staminibus villosis (*Cardiaca* Moench:), glabris (*Chaiturus* Moench:), labii inferioris lobo medio emarginato (*Panzeria* Moench:), corollæ longitudine ejusque laciniarum pro-

portione, optimas notas specificas præbentibus. Constat autem 10. circiter stirpibus herbaceis, quarum 2. europææ, ceteræ asiaticæ, foliis oblongis varie lobatis, floribus axillaribus verticillatis sessilibus.

❋ 1. *L. Cardiaca* = L. h. Cliff: 313. = Spr: syst: II. 737. = Fl: dan: t. 727. Vern: *Cardiaca* (*Eur*:, *Asia* min: *Pedem*: ad sepes frequens et quandoque versus fossas ALL: n. 118. RE fl: segus: p. 50. et fl: tor: I. p. 310. BIROLI fl: acon: I. p. 203.). Perenn: Glabriusculus, folia cuneata 3-5-loba lobis inciso-dentatis acutis, verticilli sub-6-flori corollæ calycem pungentem superantes, lobus medius labii inferioris elongatus. Variat corollis sub-lanatis in plantis spontaneis, vel prorsus glabris in plantis a me cultis in h. Ripul: ex seminibus missis sub nomine *L. occidentalis* et *orientalis*, quæ non differunt inter se et omnes *Cardiacæ* characteres præseferunt excepta corollæ glabritie.

❋ 2. *L. Marrubiastrum* = L. sp: 817. = Spr: syst: II. 737. = Jacq: fl: austr: V. p. 3. t. 405. Ic: taur: vol. 5. t. 10. (*Eur*: præsertim orient: *Pedem*: ad muros *Vicinovi* ac ad vias et fossas agri *Alexandrini* ALL: n. 119. Secus *Verbanum* ad *Belgirate* unice BIROLI fl: acon: I. p. 203.). Differt a priori foliis oblongis grosse dentatis nec reapse lobatis, calycibus longius spinosis corollam sub-æquantibus, lobo medio labii infer: subrotundo.

Species dubia.

3. Habeo specim: s. fl: ex hb: BIROLI sub nomine *L. neglecti* SCHULT: quem non video enumeratum nisi

a Steud: Habitu omnino diversus, ſolia longissime petiolata magna rotundata basi profunde cordata lobis ita conniventibus ut peltata prima facie adpareant glabra subtus pallidiuscula undulato-sinuata sinubus brevibus rotundatis inæqualiter dentatis. An aliud genus?

XXIX. Ballota Lin: gen: ed: Schreb: n. 975. excl: variis stirpib: = Spr: syst: 2099. = Lam: ill: t. 508.

» *Cal*: pentagonus 5-dentatus. *Cor*: 1/3 labio super: » recto, lobo medio labii infer: emarginato. »

Obs: Genus nunc constans 2. tantum stirpibus europæis, ceteris ad alia genera amandatis vel tamquam illarum varr: consideratis.

❋ 1. *B. nigra* = L. sp: ed: 1. p. 582. non ed: 2. = Spr: syst: II. 738. *B. alba* L. sp: ed: 2. et ſl: suec: II. n. 540. = *B. fœtida* Lam: ſl: fr: II. p. 381. et ill: t. 508. f. 1. Vern: *Erba dla tajura*, *Erba verda*, *Marrubi neir* (*Eur*: passim. *Pedem*: sepes et ruderata sæpe cum urticis inhabitat All: n. 127. Re ſl: segus: p. 49. et ſl: tor: I. p. 308. sub *B. sylvestri* ex Schrad: Biroli ſl: acon: I. p. 202. sub *B. nigra* et *B. alba*. *Sardin*: ad vias et ad sepes Moris st: sard: I. p. 35.). Perenn: Undique villosa ſœtens, folia petiolata ovata obtusa crenata, flores in axillis sub-verticillati, calyces dentati vel sub-truncati dentibus ovatis mucronatis patentibus tubum corollæ sub-æquantibus. Variat flore purpureo dentibus calycinis evidentissimis (*B. nigra* L. ſl: suec: 484. 519.), vel flore albo calyce sub-truncato (*B. alba* Tourn: inst: 185., L. ſl: suec: II. n. 540.). Variat quoque plus minus villosa

quandoque fere glabra; hinc non admittenda differentia inter *B. fœtidam* LAM: et *sylvestrem* SCHRAD:

✻ 2. *B. vulgaris* = Spr: syst: II. 738. ex Link: = *B. nigra* L. sp: ed: 2. (Cum priori et in *Pedem*: præsertim in monte *Capucinorum* prope ædem lecta a cl: BERTOLA et habita pro *B. fœtida vera* LAM: diversa ex ejusdem opinione a *B. sylvestri* SCHRAD: glabritie). Differt a priori, cum qua sæpe confusa a Botanicis nostratibus, non solum *glabritie* in tota planta, sed insuper præsertim foliis *acutiusculis* non *obtusis*, potius *serratis* quam *crenatis*, dentibus calycinis *linearibus rectis* nec *ovatis patentibus* tubo corollæ *brevioribus*. In specim: BERTOLÆ hæ differentiæ reapse observantur, sed nomen ab eo impositum fallax, nam sua planta est vera *B. vulgaris*.

XXX. BETONICA Lin: gen: ed: Schreb: n. 973. = Spr: syst: n. 2100. = Lam: ill: t. 507.

» *Cal*: 5-dentatus. *Cor*: tubus elongatus cylindri-
» cus, labio super: verticali planiusculo infer: 3-fido
» lobo medio sub-crenato. »

Obs: Genus constans 10. circiter stirpibus europæis vel asiaticis, herbaceis, foliis plerumque cordato-oblongis rarius lanceolatis linearibusve, floribus verticillato-spicatis.

✻ 1. *B. officinalis* = L. h. Ups: 164. = Spr: syst: II. 738. = Fl: dan: t. 726. Ic: taur: vol. 4. t. 132. f. 1. et t. 133. f. 2. Vern: *Betonica* (*Eur*: austr:, *Anglia*. *Pedem*: in pratis collinis et montanis, et in sylvis abunde ALL: n. 128. RE fl: segus: p. 49. et fl: tor: I. p. 306. BIROLI fl: acon: I. p. 201.). Perenn:

Adscendens villosiuscula, folia cordato-oblonga crenata inferiora longa petiolata superiora sub-sessilia, spica interrupta abbreviata, calyces glabriusculi aristati, lobus medius labii infer: emarginatus, corolla purpurea vel albida in var: *ß* (*B. alba* Bauh:).

❄ 2. *B. stricta* = Ait: h. Kew: II. p. 299. = Spr: syst: II. 738. = *B. officinalis* Pollich: non L. *B. hirsuta* Thuill: non L. Fuchs: hist: 350. c. ic: (*Eur:* passim. *Pedem*: vulgaris in pratis et in pascuis sterilibus prope *Venariam* et eundo versus *Musinè* Re fl: tor: I. p. 306. *Liguria* secus *Leira a Voltri* Bertol: am: ital: p. 159.). Facile confundenda cum priori, a qua tamen satis distinguitur caule stricto foliisque magis villosis, spica oblongiori, calycibus hirsutis, lobo medio labii infer: crenulato.

❄ 3. *B. Alopecuros* = L. sp: 811. = Spr: syst: II. 739. = Jacq: fl: austr: I. p. 50. t. 78. (*German:* med: et austr:, *Ital:*, *Gallia.* In montibus *Sabaud:* All: n. 129.). Differt a prioribus foliis latioribus omnibus petiolatis, spica longiori ac basi foliosa, calycibus pungentibus, galea 2-fida, corolla ochroleuca.

❄ 4. *B. hirsuta* = L. mant: 248. = Spr: syst: II. 739. = Barr: ic: 340. Ic: taur: vol. 14. t. 131. sub *B. Monierii* ex Gouan: (*Ital:*, *Pyren:*, *Caucaso. Pedem*: in lætis pratis alpinis supra arcem *Fenestrellarum* abunde, neque rara in alpibus *Vinadiensib:*, *Valderianis* et *di Viù*, tum etiam in *M. Cenisio* All: n. 130. Re fl: segus: p. 49. In pratis subalpinis uti illis *del Margozzo* non rara Biroli fl: acon: I. p. 201.). Evidentius undique hirsuta, spica continua ovata crassa foliosa, flores majores purpurascentes, galea integra.

XXXI. Marrubium Lin: gen: ed: Schreb: n. 976. = Spr: syst: n. 2101. = Lam: ill: t. 508.

» *Cal*: 10 - striatus 5 - 10 - dentatus. *Cor*: labium
» super: rectum lineare sæpius 2-fidum infer: 3-fi-
» dum lacinia media latiore emarginata. »

Obs: Genus constans ex Spr: 20. circiter stirpibus per orbem sparsis præsertim in *Eur*: austr: et *Asia* med: Herbæ vel rarius suffrutices habitu proprio, plerumque tomentosi, foliis sæpius cordato - sub - rotundis, floribus verticillatis bracteatis.

A. *Calycibus* 5-*dentatis*.

1. *M. Alysson* = L. sp: 815. (*Hispan*:, *Sicil*: *Sardin*: in apricis ruderatisque Moris st: sard: I. p. 36.). Perenn: Albo-lanatum, folia cuneata denticulata, calycis dentes rigidi patentissimi.

B. *Calycibus* 10-*dentatis*.

❀ 2. *M. vulgare* = L. h. Cliff: 342. = Spr: syst: II. 740. = Sabb: hort: III. t. 59. Ic: taur: vol. 5. t. 2. Vern: *Maroubi* (*Eur*:, *Asia* med:, *Amer*: bor: *Pedem*: in arvis et saxosis ruderatis provinciæ *Astensis*, *Liguriæ* et *Montisferrati* sæpe occurrit, circa *Fossano* et *Cherasco*, frequens in valle *Maurianensi* et *di Bardonneche*, prope *Andrà* supra *Eporediam* All: n. 98. Passim in saxosis ruderatis circa *Segusium* Re fl: segus: p. 50. Secus viam *Montiscalerii* sub *Caburelo* Re fl: tor: I. p. 309. ex Bertero. In ruderatis prope

Albam legit Berterus. In ruderatis sabulosis villarum præsertim ad *Ticini* declivem Biroli fl: acon: I. p. 203. *Sardin*: in aridis apricis Moris st: sard: I. p. 36.). Perenn: Incano-villosiusculum, folia sub-rotundo-ovata inæqualiter crenata valde rugosa, dentes calycini setacei uncinati. Huc refert Spr: *M. apulum* Tenor:, quod possideo ex Auctore; reapse non videtur differre nisi tomento crebriori speciatim in caule.

XXXII. Phlomis Lin: gen: ed: Schreb: n. 978. excl: nonnullis stirpib: = Spr: syst: n. 2102. = Lam: ill: t. 510.

» *Cal*: 5-gonus 5-dentatus. *Cor*: lab: super: com-
» pressum carinatum incumbens labio infer: sub-æ-
» quali, lobo medio majori (*Sem: apice barbata* R.
» Br:). »

Obs: Genus ditissimum, nunc redactum a Spr: ad 24. circiter stirpes, aliis ad *Leucadam* R. Br: et *Leonotidem* Pers: amandatis. Frutices vel herbæ plerumque europææ vel asiaticæ, foliis oblongis sæpe cordatis, floribus verticillatis multi-bracteatis plerumque conspicuis, et ideo plures cultæ in hortis ad ornamentum.

1. *Phl*: *fruticosa* = L. sp: 818. (*Eur*:, *Australasia*. *Sardin*: ad rupes *Pauli-Gerrei* Moris st: sard: I. p. 36.). Frutex incano-tomentosus, folia oblonga basi lata valde rugosa sub-crenulata, bracteæ lanceolatæ calycem dentibus subulatis recurvis æquantes, corolla ampla lutea.

* 2. *Phl*: *Lychnitis* = L. sp: 819. = Spr: syst: II. 741. = Mill: ic: t. 203. (*Gallia* austr:, *Hispan*:

In agro *Nicæens*: All: n. 121.). Frutic: Albido-tomentosa, folia lanceolata sub-dentata petiolata floralia ovalia sessilia, bracteæ lineari-subulatæ calycem villosissimum dentibus obtusis æquantes, corollæ croceæ duplo minores quam in præcedentibus.

XXXIII. Leneas R. Br: N. Holl: I. p. 504. = Spr: syst: n. 2103. = *Phlomidis* sp: alior:

» *Cal*: 10-striatus 8-10-dentatus ore æquali vel
» obliquo. *Cor*: labium super: inferiori elongato bre-
» vius. *Anther*: lobis divaricatis. Cetera *Phlomidis.* »

Obs: Genus a *Phlomide* diremptum ex R. Br: notis indicatis. Habitus fere idem: stirpes ex Spr: 22. exoticæ fere omnes ex *Indiis* orient:, paucæ americanæ vel africanæ. Seqq: sæpe occurrunt in hortis.

1. *L. zeylanica* = Spr: syst: II. 742. ex R. Br: *Phlomis zeylanica* L. sp: 820. (*Ceylan*, *Ind*: orient:). Ann: Pilosa, folia lanceolata, calyx oblique deorsum truncatus obsolete 8-dentatus, corolla alba mediocris.

= 2. *L. martinicensis* = Spr: syst: II. 744. ex R. Br: Sub *Phlomide* Sw: prodr: 88. (*Martinica*). Ann: Villosiuscula, folia ovato-oblonga grosse dentata, verticilli globosi, calyx incurvus oblique 8-dentatus dente supremo valde producto, flores numerosi parvi albidi.

XXXIV. Leonotis Pers: ench: II. p. 127. = Spr: syst: n. 2104. = *Phlomidis* spec: L.

» *Cor*: labium super: elongatum, infer: abbrevia-
» tum marcescens, lacinia media vix majore. Cetera
» *Leucadis.* »

Obs: In hoc genere et duobus præcedentibus mo-

nuit R. Br:, stigmatis laciniam superiorem esse brevissimam, qua nota et antherarum lobis divaricatissimis illa differunt a *Leonuro*; species ex Spr: 4. *Africæ* austr: incolæ, inter quas ubique in hortis colitur *L. Leonurus* R. Br: (*Phlomis* L.). Suffrutex perelegans glabriusculus scaber, folia approximata lanceolata dentata, spica terminalis verticillata verticillis remotiusculis multifloris, calyx brevissime recurvato-10-dentatus bracteis subulatis suffultus, corolla amplissima aurea; galea tomentosa.

XXXV. Molucella Lin: gen: ed: Schreb: n. 979. = Spr: syst: n. 2105. = Lam: ill: t. 510.

» *Cal*: campanulatus irregulariter dentato-spinosus » corolla amplior. *Cor*: labium super: integrum infer: » 3-fidum lacinia media productiore. »

Obs: Genus inter omnes *Labiatas* distinctissimum calycis structura ac habitu proprio. Herbæ rarius frutices fere omnes ex *Ind:* orient:, 1. tantum europæa, foliis integris vel varie incisis, floribus axillaribus verticillatis plerumque spinuloso-bracteatis, dentibus calycinis numero et proportione diversis in variis stirpibus (7. ex Spr:); in quibusdam corolla tenuis quidem sed longitudine calycem excedens.

❋ 1. *M. frutescens* = L. sp: 821. = Spr: syst: II. 744. = All: pedem: 122. t. 2. f. 2. Ic: taur: vol. 13. t. 49. (*Cypro*. *Pedem*: abunde inter *Saorgio* et *Brelio* et supra *Sospello* e rupium fissuris exit All: n. 122. c. descr:). Frutic: Villosiuscula dichotomo - ramosa, folia ovato-rotundata crenulata ad basim spicis horizontalibus sub-ternatis instructa, calycis dentes 10.,

quorum 5. alterni longiores spinosi, 1. corolla alba calyce parum longior, galea villosissima.

Trib: IV.

THYMEÆ

Stam: didynama antheris perfectis, *calyx* 2-labiatus.

XXXVI. Dracocephalum Lin: gen: ed: Schreb: n. 984. = Spr: syst: n. 2053. = Lam: ill: t. 513.

» *Cal*: lab: super: integrum infer: 2-fidum vel sub-
» æquale 5-dentatum. *Cor*: faux inflata labio super:
» integro vel emarginato, infer: 3-lobo. »

Obs: Genus naturaliter transiens a veris *Nepeteis* ad veras *Thymeas* ob calycem modo sub-æqualem modo reapse 2-labiatum, constans 30. circiter stirpibus americanis vel asiaticis paucis europæis, herbaceis vel raro suffruticosis, foliis sub-integris forma varia ramosissime compositis, floribus bracteatis spicatis vel verticillatis aut rarius pedunculis axillaribus 1- vel multifloris.

✻ 1. *Dr*: *Ruyschiana* = L. fl: suec: II. n. 537. = Spr: syst: II. 693. = Fl: dan: t. 121. (*Eur*: passim. *Pedem:* abunde in pratis *Pralugnan*, in summo jugo *Col dla Rova* versus *Bardonneche* et loco dicto *la Comba d'Ambin* ultra parvum *M. Cenisium* All: n. 117. Re fl: segus: p. 50.). Perenn: Glabrum, folia sub-fasciculata integerrima, bracteæ longæ margine leviter ciliatæ, corolla violacea mediocris.

❀ 2. *Dr*: *moldavica* = L. h. Ups: 166. = Spr: syst: II. 693. = Blachw: t. 551. (*Podolia* austr:, *Moldavia*, *Sibir*: *Pedem*: ad agrorum margines *di Mantoula* prope *Fenestrelles* lectum a D. Losano et in arvis *di Annecy* a D. Brunet sec: Re app: II. p. 200.). Ann: Glabriusculum rubescens, folia lanceolata profunde et inæqualiter dentata subtus punctata, flores verticillati verticillis foliosis remotiusculis, bracteæ oblongæ denticulatæ denticulis longe ciliatis, calyx 2-labiatus, corolla mediocris purpurea vel albida.

Species dubia.

3. *Dr*: *pyrenaicum* = Hb: Biroli. Procumbens diffuso-ramosissimum, folia ovato-cuneata inferne integerrima superne rotundato-dentata tenuissime margine et ad nervos subtus villosa, cyma terminalis sub-capitata, bracteæ lanceolatæ calyce sub-æquali dimidio breviores, corolla mediocris ex sicco albida. Patria?

XXXVII. Prasium Lin: gen: ed: Schreb: n. 992. = Spr: syst: n. 2054. = Lam: ill: t. 516.

» *Cal*: labium super: 3-fidum, infer: 2-fidum. *Cor*: » lab: super: emarginatum infer: 3-lobum lobo medio » majore. *Caryops*: drupaceæ. »

Obs: Genus constans 2. stirpibus fruticosis ex *Eur*: austr:, quarum sequens crescit etiam in *Afr*: bor:, *Asia* min: et in *Sardin*: ad sepes et rupes sec: Moris st: sard: I. p. 36., ac colitur in hortis nostris ubi hyeme in frigidario reposita sempervirens servatur.

1. *Pr*: *majus* = L. h. Cliff: 309. Fruticulus glaberrimus ramosissimus, foliis petiolatis sub-cordato ovatis serratis lucidis, pedunculis axillaribus plerumque geminis, dentibus calycinis ovatis acutis mucronatis, corolla alba calyce duplo longiore.

XXXVIII. PRUNELLA Lin: gen: ed: Schreb: n. 990. = Spr: syst: n. 2051. = Lam: ill: t. 516. sub *Brunella*.

» *Cal*: labium super: truncatum 3-dentatum in-
» cumbens, infer: 2-fidum. *Filamenta* adscendentia
» apice 2-dentata dente altero sterili. *Antheræ* di-
» dymæ. »

Obs: Genus constans 8. stirpibus fere omnibus europæis, herbaceis sub-simplicibus, floribus spicatis dense verticillatis, bracteis verticillorum magnis.

❀ 1. *Pr*: *vulgaris* = L. mat: med: p. 154. = Spr: syst: II. 691. = Blackw: t. 24. Ic: taur: vol. 5. t. 17. Vern: *Prunela*, *Brunela*, *Consolida minor*, *Erba S. Maria* (*Eur*: passim, *Asia*, *Amer*: bor:, *N. Holl*: *Pedem*: nihil ad vias atque in pratis vulgatius ALL: n. 123. RE fl: segus: p. 51. et fl: tor: I. p. 216. BIROLI fl: acon: I. p. 207. *Sardin*: in sylvis MORIS st: sard: I. p. 36.). Perenn: Glabriuscula, folia petiolata ovato-oblonga basi sub-dentata, corolla calyce sub-dentato dentibus æqualibus duplo longiore. Stirps valde varians statura, pube, colore florum ab albo ad intense cæruleum.

❀ 2. *Pr*: *grandiflora* = W. sp: III. 177. = Spr: syst: II. 691. = Jacq: fl: austr: IV. p. 40. t. 377. (*Eur*:, *Caucaso*. *Pedem*: in pratis collinis et montanis

All: n. 124. Prope *Venariam* et circa *Eremum* Re fl: tor: I. p. 310. In pratis siccis et ad urbis *Novariæ* mœnia Biroli fl: acon: I. p. 208.). Vix a priori diversa calycis lobo super: 3 - fido, corolla calycem quadruplo superante, galea in medio flexa.

* 3. *Pr: laciniata* = L. sp: 837. = Jacq: fl: austr: IV. p. 41. t. 378. = *Pr: alba* Spr: syst: II. 691. ex Pall:? *Pr: grandiflora* var: β W. sp: III. 177. *Pr: pinnatifida* Pers: Ic: taur: vol. 5. t. 13. 16. (*Eur*: *Pedem*: vulgaris in pascuis siccis et apricis All: n. 125. Re fl: segus: p. 51. In pascuis prope *Venariam* Re fl: tor: I. p. 316. *Novariæ* cum priori, cum qua confusa Biroli fl: acon: I. p. 208.). Differt a præcedentibus foliis superioribus sub - pinnatifido - incisis cauleque cinereo-pubescentibus, calycis lobo superiori 3-lobo lobis brevissimis obtusis mucronatis. Huc refert cl: Steud: plures species Auctorum, inter quas *Pr: hastæfoliam* Link: a Spr: omissam ab *hastata* Brot: diversam, quamque possideo et differre vix videtur foliis glabriusculis majoribus ac minus profunde laciniatis.

* 4. *Pr: hyssopifolia* = L. sp: 837. = Spr: syst: II. 692. = Moris: hist: III. p. 364. s. 11. t. 5. f. 7. (*Gallia* austr: In agro *Nicæens*: All: n. 126.). Magis accedit ad *Pr: vulgarem* n. 1. cujus meram var: esse suspicatus est cl: All: l. c. et auct: p. 3., sed caulis erectior firmior, folia sub-sessilia lanceolata integerrima scabra, spica elongata cylindrica basi foliosa, corollæ valde majores, labii superioris carina pilosa.

XXXIX. Melissa Lin: gen: ed: Schreb: n. 983. excl: 2. stirpib: = Spr: syst: n. 2052. = Lam: ill: t. 512. = *Melissæ*, *Thymi* et *Hormini* spec: nonnullæ Auctor:

» *Cal*: aridus labio super: plano 3-dentato infer:
» 2-fido. *Cor*: labio super: fornicato emarginato, in-
» fer: 3-fido, lobo medio ob-cordato. *Stam*: adscen-
» dentia. »

Obs: Genus constans 8-10. stirpibus fere omnibus europæis, herbaceis rarissime suffruticosis, foliis indivisis, floribus axillaribus sub-verticillatis quandoque racemosis.

❀ 1. *M. officinalis* = L. sp: 827. = Spr: syst: II. 692. = Lam: ill: t. 512. f. 1. Ic: taur: vol. 4. t. 116. Vern: *Melissa*, *Sitronnela*, *Confortacœur* (*Eur*: austr: *Pedem*: in umbrosis collibus ad sepes et vias et secus nemora All: n. 136. Re fl: segus: p. 50. et fl: tor: I. p. 314. Biroli fl: acon: I. p. 206. *Sardin*: in umbrosis *Iglesias* Moris st: sard: I. p. 36.). Perenn: Glabriuscula, folia petiolata ovata serrata petiolis villosiusculis, flores axillares dimidiato-verticillati bracteis oblongis pedicellatis suffulti, corolla parva alba vel rubella; tota planta suaveolens. Variat omnibus partibus hirsuta, foliis obtusiusculis (*M. hirsuta* Balb:), vel sub-cordatis (*M. cordifolia* Pers:).

❀ 2. *M. grandiflora* = L. sp: 827. = Spr: syst: II. 692. = Lobel: ic: 512. Barr: ic: t. 398. Ic: taur: vol. 4. t. 117. (*Carniola*, *Ital*:, *Græcia*, *Asia* min: *Pedem*: frequens ad vias umbrosis locis subalpinis et ad Alpium radices, circa thermas *Vinadii* et *Valderii* copiosissima nascitur All: n. 137. Re fl: segus: p.

50. Ex *Dego* retulit BERTERUS). Differt a priori speciatim glabritie, foliis rubescentibus, pedunculis axillaribus longiusculis 3-4-floris, corollis calyce triplo longioribus læte purpureis.

XL. THYMUS Lin: gen: ed: Schreb: n. 982. = Spr: syst: n. 2058. = Lam: ill: t. 512. = *Thymus* et *Acynos* Pers: = *Melissæ* spec: nonnullæ L.

» *Cal*: fauce villis clausa, labio super: 3-fido infer:
» 2-fido sæpius breviore. *Cor*: brevis labio super: plano
» sub-2-fido, infer: 3-fido, lobo medio latiore inte-
» gro aut emarginato. *Stam*: adscendentia. »

Obs: Genus constans 60 circiter stirpibus per orbem sparsis præsertim per *Europam* et *Asiam* med:, paucis ex *Afr*: vel *Amer*:, multis valde dubiis. Herbæ aut fruticuli aromatici sæpe procumbentes vel repentes, foliis parvis indivisis, floribus capitatis aut verticillato - spicatis vel pedunculis axillaribus 1 - vel plurifloris. Cl: DC. duas distinctas sectiones constituit inter stirpes lobo medio labii infer: *integro* (*Thymus*) et *emarginato* (*Calamintha*); sed faciliores videntur quæ ab inflorescentia metiuntur utpote magis perspicua.

A. *Flores arcte capitati.*

1. *Th: creticus* = Spr: syst: II. 695. ex Brot: non DC. *Satureja capitata* L. mat: med: 145. (Ad oras maris *Mediterr*: *Sardin*: in rupestribus *Calari* MORIS st: sard: I. p. 36.). Fruticulus incanus foliis lineari-lanceolatis sub-fasciculatis carinatis punctatis, capitulis oblongis, bracteis corolla brevioribus.

B. *Floribus laxe capitatis aut verticillato-spicatis.*

❀ 2. *Th*: *Serpyllum* = L. fl: suec: 477. 535. = Spr: syst: II. 696. = Blackw: t. 418. Ic: taur: vol. 4. t. 98. et 101. Vern: *Serpon*, *Serp*, *Serpoulet*, *Pourrieul* (*Eur*:, *Asia* med: *Pedem*: ubique in pascuis et declivibus apricis sterilibus potissimum All: n. 76. Re fl: segus: p. 50. et fl: tor: I. p. 311. Biroli fl: acon: I. p. 205. In montibus *Sardin*: med: Moris st: sard: I. p. 37.). Perenn: vel fruticul: Diffusus decumbens glabriusculus ramis adscendentibus, folia ovata basi ciliata, verticilli plus minus approximati, calyx hirsutus, stamina corollam sub-æquantia. Variat statura, foliorum latitudine, glabritie, florum magnitudine et colore ab albo ad purpureum. Cons: Griesslich in Arch: bot: I. p. 542. ubi 22. stirpes *Thymi* illegitimas dicit et ad *Th*: *Serpyllum* L. referendas.

❀ 3. *Th*: *exserens* = Spr: syst: II. 696. ex Ehrh: = *Th*: *Serpyllum* var: Griessl: l. c. (*Eur*: *Pedem*: vulgaris in *Venariæ* pratis Re app: III. p. 11.). Confusus certe ab All: cum priori, a quo vix differt ramis *erectis* nec *adscendentibus*, calyce *glabriusculo*, staminibus corollam *excedentibus*. At observandum circa stamina sæpe immo quandoque in iisdem individuis *Th*: *Serpylli* corollæ breviora æqualia vel longiora evadere.

❀ 4. *Th*: *montanus* = Waldst: et Kit: pl: rar: Hungar: I. p. 72. t. 71. = Spr: syst: II. 695. = *Th*: *Serpylli* var: ex Griessl: l. c. (*Hungar*:, *Transylv*:

Pedem: in apricis collium *Taurinens*: et etiam prope *Venariam* minime rarus Re fl: tor: I. p. 313. In pascuis montanis uti *alla Colma* frequens Biroli fl: acon: I. p. 205.). Differt a præcedentibus pedunculis in verticillis 1-floris; stamina corollam sub-excedunt. Cl: W. sp: III. 143. *Th: pannonicum* All: ad *montanum* refert forsan errore ductus e syn: Clusii; utrosque habemus; planta Allionii ad seq: referenda; verum *Th*: *montanum* ipse forsan non cognovit vel cum *pannonico* confusit. Var: *β* crescit in alpibus *Apuanis* Bertol: am: ital: p. 379.

❀ 5. *Th*: *lanuginosus* = Schk: Bor: Haud: II. p. 164. t. 164. = Spr: syst: II. 696. = *Th*: *Serpyllum* var: δ L. sp: 825. et Griessl: l. c. (*Eur*: *Pedem*: in arenosis fluminis *Durille* prope arcem *Exilles*, in sterilibus et sabulosis torrentium inter Alpes non infrequens All: n. 77. Re fl: segus: p. 50. sub *Th*: *pannonico*. In *M. Musiné* et etiam sec: *Sturam* prope *Venariam* Re fl: tor: I. p. 312. sub *Th*: *lanuginoso*. In rupibus apricis montanis et collinis Biroli fl: acon: I. p. 205.). Differt a *Th*: *montano* caulibus repentibus lanuginosis, foliis magis rotundatis villosissimis, spicis longioribus, staminibus evidentius exsertis.

❀ 6. *Th*: *vulgaris* = L. h. Cliff: 305. = Spr: syst: II. 696. = Blackw: t. 211. Ic: taur: vol. 14. t. 97. Vern: *Timid* ab Hortul:, a Nicæensib: *Tubò*, *Frugula* (*Eur:* austr:, *Sibir*: *Pedem*: in apricis saxosis collium *Nicœens*:, inter *S. Vincent* et *Augustam Prœtoriam* atque in *Giambava*, secus flumen *Bormida* in prov: *Aquensi* All: n. 78.). Fruticul: Erectus ramo-

sissimus rigidiusculus, folia ovato-lanceolata margine revoluta, flores verticillato-spicati. Variat glaber vel puberulus, foliis latioribus, spicis brevioribus etc. Ubique cultus in hortis ad usum culinæ.

C. *Floribus distincte verticillatis.*

❀ 7. *Th: Acinos* = L. fl: suec: 478. = Spr: syst: II. 697. = Lobel: ic: 506. Ic: taur: vol. 4. t. 120. et vol. 13. t. 80. (*Eur:*, *Asia* med: *Pedem*: in arvis montanis et subalpinis sterilibus abunde, potissimum in alveis fluminum All: n. 79. Re fl: segus: p. 50. et fl: tor: I. p. 312. Biroli fl: acon: I. p. 205. In rupestribus *Sardin*: med: Moris st: sard: I. p. 36.). Ann: Erectus ramosus villosiusculus, folia oblonga acuta sub-serrata, verticilli distantes 6-flori, pedunculi brevissimi 1-flori.

❀ 8. *Th*: *alpinus* = L. sp: 826. = Spr: syst: II. 697. = Jacq: fl: austr: I. p. 60. t. 97. *Acynos purpurascens* Pers: Vern: *Poulieul* (Alpib: *Eur*: med: et austr: *Pedem*: in montanis *Andurni*, circa thermas *Vinadii*, inter *Limon* et *Tenda*, in saxosis apricis Alpium obviam venit All: n. 80. Re fl: segus: p. 50. In arenosis secus *Sturam* prope *Venariam* eundo versus *Caselle* Re fl: tor: I. p. 312. In apricis Alpium præsertim supra *Craveggia* valle *Vegetii* Biroli fl: acon: I. p. 205.). Vix ac ne vix quidem a priori distinctus foliis obtusioribus concavis, verticillis paucifloris, calycibus hirsutis.

9. *Th: corsicus* = Spr: syst: II. 697. ex Pers: *Th*: *nummularifolius* Deslong: sec: Steud: (*Corsica, Sardin*:

in irriguis montanis Moris st: sard: I. p. 37.). Fruticulus repens glabriusculus, folia minima orbiculata integerrima margine sub-cartilaginea, verticilli sub-4-flori, flores pedunculati minimi, calyx basi æqualis hirsutiusculus. Optima species.

❋ 10. *Th*: *Barrelieri* = Spr: syst: II. 698. = *Melissa cretica* L. sp: 828. = Barr: ic: 1166. *Th*: *creticus* DC. non Brot: (*Gallia* austr: Agro *Nicæens:* circa *Lucerame* All: n. 140. sub *Melissa cretica*). Suffrut: Albido-villosus, folia ovato-oblonga rugoso-venosa serrata, pedunculi multiflori in axillis foliorum secus ramos racemum terminalem elongatum constituentes.

❋ 11. *Th*: *Piperella* = L. syst: veg: p. 453. = Spr: syst: II. 698. = Barr: ic: t. 694. All: pedem: t. 37. f. 3. Vern: *Peuvrella* (*Hispan*:, *Ital*:, *Croatia. Pedem:* in alpibus maritimis ad rupes ubique uti illis quæ pertinent ad *Monregalensem* provinciam atque ad oppida *di Garessio*, *Carlin*, *la Briga* All: n. 81. c. descr:). Perenn: Sub-decumbens glaber, folia ovato-sub-rotunda sessilia integerrima, pedunculi breves 3-5-flori, dentes calycini in spinulam abeuntes.

❋ 12. *Th*: *Calamintha* = Scop: carn: ed: 2. vol. I. p. 425. n. 733. = Spr: syst: II. 699. *Melissa Calamintha* L. mat: med: 153. = Blackw: t. 166. Ic: taur: vol. 4. t. 118. Vern: *Calaminta* (*Eur*: austr: *Pedem*: in sylvis ceduis et apricis collium *Taurinens:* atque montanis; var: *β* ad radices montis *les Cravasses* in valle *Exiliarum* et in *Sabaud*: ad ripas lacus *Annecy* All: n. 130. sub *Melissa*. Re fl: segus: p. 50. sub *Melissa* et fl: tor: I. p. 313. sub *Thymo*. In monta-

nis et collinis ad oras sylvarum frequens Biroli fl: acon: I. p. 206. sub *Melissa*). Perenn: Elatus hirsutus, folia ovata serrata pro genere majuscula, pedunculi dichotomo-racemosi inferiores folio breviores superiores longiores, dentes calycini inferiores longiores.

❀ 13. *Th: Nepeta* = Spr: syst: II. 699. = *Melissa Nepeta* L. sp: 828. = Blackw: t. 167. Ic: taur: vol. 4. t. 119. et vol. 22. t. 49. Vern: *Erba Carrera, Frasca, Nebbieta, Majourana servaja, bastarda* (*Eur*: passim. *Pedem*: ad vias secus arva et ad muros All: n. 139. sub *Melissa*. Re fl: segus: p. 50. sub *Melissa* et fl: tor: I. p. 313. sub *Thymo*. Biroli fl: acon: I. p. 206. sub *Melissa*. *Genuæ* ubique in collibus Bertol: am: ital: p. 160. *Sardin*: in pascuis collinis Moris st: sard: I. p. 37.). Vix distinguitur a priori racemis omnibus folio longioribus, foliis et floribus minoribus, dentibus calycinis sub-æqualibus, odore *Menthæ Pulegii*.

XLI. Gardoquia R. et P. prodr: fl: peruv: p. 148. = Spr: syst: n. 2059.

» *Cal*: fauce nuda. *Cor*: calyce multo longior labio super: emarginato infer: 3-fido lobis sub-æqualibus. *Stam*: distantia. »

Obs: Genus ab Auctoribus fl: Peruv: statutum pro nonnullis stirpibus ab ipsis detectis, in posterum usque ad 20. circiter a recentioribus Botanicis adauctum. Frutices omnes *Peruviam* et *Chili* colentes, ramosissimi graveolentes, foliis integris, floribus axillaribus solitariis rarius sub-verticillatis vel 2-3. eidem pedunculo insidentibus.

1. *G. obovata* = R. et P. l. c.? Specim: missa sub hoc nomine cum dubitationis signo a cl: Bertero e fruticetis apricis collium *Valparaiso* ubi vernacule *Oreganillo* nuncupatur, videntur quadrare cum phrasi Ruiziana; sed hæc admodum manca uti etiam diagnosis Spr: syst: II. 699., quæ ideo emendanda ut sequitur: « *G.* caule erecto striato foliisque glabris, » foliis oppositis vel fasciculato-verticillatis obovato- » oblongis obtusis integerrimis tenuissime punctatis, » pedunculis brevissimis oppositis sub - verticillato - » cymosis, corolla rubra calyce dimidio longiore. » Nob:

2. *G. salviæfolia* = Nob: *G.?* Berter: in scheda (Cum priori; vulgo *Salvia blanca* ex Bertero). « *G.* » caule erecto tomentoso rimoso superne ramisque » tetragonis, foliis petiolatis cordatis ovato - lanceo- » latis acutis dentatis subtus albo - tomentosis reti- » culato - venosis lacunoso - rugosis supra læviusculis » glabriusculis floralibus sessilibus ovatis, spica ter- » minali verticillata, verticillis remotiusculis sub-6- » floris, calyce lanato dentibus subulatis sub-æqua- » libus corolla flava dimidio brevioribus. » Colla pl: rar: chil: fasc: III. t. XLVIII. ined:

XLII. Thymbra Lin: gen: ed: Schreb: n. 962. = Spr: syst: n. 2060. = Lam: ill: t. 512.

» *Cal*: fauce nuda extus utrinque linea villosa exa- » ratus. *Cor*: lobis sub-æqualibus. Cetera *Thymi.* »

Obs: Genus habitu *Thymi*, stylus 2 - fidus pro charactere generis a nonnullis Auctoribus notatus haud essentialis, talis enim plus minus adparet in

omnibus Labiatis. Species 3. ex Spr:, quarum 2. *Eur:* austr: et *Asiam*, altera *Afr:* bor: incolunt, quibus forsan jungenda *Th:* *cephalotus* sec: Desv: in Arch: bot: II. p. 382. sub *Thymo* a L. aliisque Botanicis relata.

❀ 1. *Th: spicata* = L. sp: 795. = Spr: syst: II. 700. = Barr: ic: rar: t. 1230. (*Græcia*, *Creta*, *Asia* min:, *Syria*. *Pedem:* in montibus inter *Garesio* et *d'Ormea* All: n. 90.). Suffrut: Villosiuscula rigida, folia lineari-lanceolata, flores spicati purpurascentes.

❀ 2. *Th: verticillata* = L. sp: 796. = Spr: syst: II. 700. sub *Th: ambigua* ex Clark: = J. Bauh: hist: III. part: 2. p. 277. cum ic: (*Græcia*, *Eur:* austr: In agro *Nicæens:* All: n. 89.). Vix differt a priori, cujus forsan var:, spicis patentius verticillatis, foliis 4-fariam imbricatis.

XLIII. Lepechinia W. h. Berol: I. p. 21. t. 21. = Spr: syst: n. 2061. = *Hormini* sp: Orteg: et Pers: non L.

» *Cal:* 2-labiatus 2/3. *Cor:* calyce æqualis, labio
» super: 2-fido, infer: 3-partito laciniis sub-æquali-
» bus. *Stam:* distantia. »

Obs: Genus pro fructificatione ludens inter duo præcedentia, sed habitu diversum et accedens potius ad *Melissam*, nunc constans 2. stirpibus herbaceis, sc: *L. spicata* W. l. c. ex *Mexico* et *L. clinopodifolia* W. en: ex *Sibir:* Primam habeo ex plantis cultis in H. B. T. Perenn: erecta glaberrima rubescens, folia petiolata oblongo-ovata basi sub-truncata crenata, spica terminalis ovata compacta, bracteæ imbricatæ, calyces sub-scariosi dentibus spinosis.

XLIV. Clinopodium Lin: gen: ed: Schreb: n. 131. excl: *Cl: incano* = Spr: syst: n. 2062. = Lam: ill: t. 511.

» *Cal*: 2-labiatus 3/2 dentibus aristatis. *Cor*: labio
» super: erecto emarginato, infer: 3-fido, lacinia me-
» dia majore emarginata. *Verticilli* setaceo - involu-
» crati. »

Obs: Genus nunc constans ex Spr: stirpibus 4. herbaceis, quarum 1. tantum europæa; involucrum setaceum singulis verticillis subjectum habitum proprium huic generi præcipue tribuit.

❀ 1. *Cl: vulgare* = L. sp: 821. = Spr: syst: II. 700. = Lam: ill: t. 511. f. 1. Ic: taur: vol. 4. t. 104. (*Eur*: passim, *Asia*, *Amer:* bor: *Pedem*: ubique ad sepes et vias potissimum in collinis et montanis, frequens quoque secus arva All: n. 141. Re fl: segus: p. 50. et fl: tor: I. p. 310. In pascuis et sylvis vallis *Arbogna* varians flore albo et variegato Biroli fl: acon: I. p. 204. *Genuæ* secus *Leira* Bertol: am: ital: p. 159. *Sardin*: in sylvis montanis Moris st: sard: I. p. 35.). Perenn: Erectum sub - simplex pilosiusculum, folia brevissime petiolata sub - cordato - ovata remote denticulata, verticilli 2 - 3. distantes capituliformes magni multiflori floribus sessilibus purpureis, albidis vel variegatis.

Species dubia vel nova.

2. *Cl: atropurpureum* = Birol: hb: ex H. Berol: Differt a priori caule adscendente diffuso - ramoso, foliis longius petiolatis oblongioribus sub-sinuatis, ca-

pitulis minoribus, demum planta undique patentius villosa (Patria?).

XLV. Melittis Lin: gen: ed: Schreb: n. 985. = Spr: syst: n. 2063. = Lam: ill: t. 513.

» *Cal*: magnus labio super: sub-integro infer: 2-
» fido vel crenulato laciniis inæqualibus. *Cor*: calyce
» longior limbo dilatato patente, labio super: integro
» plano infer: 3-lobo lobis magnis inæqualibus inte-
» gris aut crenatis. *Antheræ* 2-loculares, loculis su-
» periorum super, inferiorum juxta se positis (*an-*
» *theræ cruciatæ* L.). »

Obs: Genus habitu *Melissæ* sed characteribus propriis satis distinctum, constans ex Spr: 4. stirpibus, quarum 2. europææ bene determinatæ, 2. exoticæ et dubiæ respectu generis.

❀ 1. *M. Melissophyllum* = L. h. Cliff: 309. = Spr: syst: II. 700. = Jacq: fl: austr: t. 26. Ic: taur: vol. 4. t. 144. Vern: *Menta servaja* (*Eur*: fere tota. *Pedem*: passim in umbrosis sylvis montanis et collium *Taurinens*: All: n. 64. Re fl: segus: p. 50. et fl: tor: I. p. 315. Biroli fl: acon: I. p. 206.). Perenn: Elatum villosiusculum, folia petiolata ovata æqualiter dentata dentibus rotundatis, pedunculi axillares longitudine petioli solitarii vel gemini ternique 1-flori, calyx glaber, corolla calyce duplo longior rubella vel alba sæpius labio inferiore purpureo-maculato.

XLVI. Ocymum Lin: gen: ed: Schreb: n. 986. exclusis nonnullis stirpib: = Spr: syst: n. 2049. = Lam: ill: t. 514. = *Ocymi*, *Geniospori*, *Orthoriphonis*, et *Plectranthi* spec: Bentham.

» *Cal*: labium super: integrum sub-rotundum in-
» cumbens, infer: 4-fidum. *Cor*: labium super: 4-
» lobum sub-æquale, infer: majus porrectum indi-
» visum. *Stam*: declinata, quorum 2. breviora basi
» processu vario instructa. »

Obs: Genus uti duo sequentia pro fructificatione adhuc obscurum, nunc cum ipsis conjunctum, nunc varie disjunctum ab Auctoribus, modo constans ex Spr: 30. circiter stirpibus exoticis præsertim ex *Ind*: orient:, herbaceis vel suffruticosis, plerumque suaveolentibus, foliis ovatis plus minus oblongis indivisis vel rarissime lineari-lanceolatis, floribus laxe verticillato-spicatis vel racemosis. Nonnullæ cultæ generalim in hortis ob suavitatem odoris. Cons: Bentham Labiat: gen: et sp: in Arch: bot: I. p. 531. pro hoc genere et duobus seqq: Occurrit sæpius *O. Basilicum* = L. h. Cliff: 315. Vern: *Basalicò* (*Ind*: orient:, *Pers:*). Ann: Odoratissimum, varians speciatim foliis valde majoribus glaberrimis bullatis (*O. bullatum* Pers:), vel villosiusculis inæqualiter incisis (*O. fimbriatum* Pers:), integerrimis saturate violaceis (*O. nigrum* Hortul:), pube evidentiori (*O. pilosum* W.), calycibus hirsutiusculis radice perennante (*O. adscendens* W.), odore *cynnamomi*, *fœniculi* vel *anisi* etc. Huc etiam pertinent sec: Spr: *O. ramosum* Thb: quod non possideo, et *O. valentinum* Hortul: quod habeo ex hb: Bellardi.

XLVII. Lumnitzera Spr: syst: n. 2048. = *Ocymi* et *Plectranthi* spec: alior: = *Moschosmæ* spec: Reich:

» *Cal*: labium super: ovatum. *Cor:* labium super: » 3 - 4 - fidum. *Stam*: omnia basi processu destituta. » Cetera *Ocymi.* »

Obs: Genus prorsus artificiale habitu omnino *Ocymi*, constans ex Spr: 13. stirpibus cum hoc patriam communem habentibus. Colo *L. polystachyam* = Spr: syst: II. 687. ex Jacq: Sub *Ocymo* L. (*Ind*: orient:). Ann: Erecta brachiata scabriuscula, folia ovata glabra crenulata, racemi axillares pluri-spicati verticillis nudis approximatis, floribus minimis, cor: lab: super: 3 - fidum.

XLVIII. Plectranthus L'Herit: stirp: I. p. 85. t. 41. = Spr: syst: n. 2050. = Lam: ill: t. 514. sub *Germanea* = *Ocymi*, *Germaneæ*, *Colei*, *Dentidiæ*, et *Lavandulæ* spec: quorund:

» *Cal*: labium super: integrum infer: 3 - 4 - fidum, » fructifer basi subtus gibbosus. *Cor*: lab: super: 3- » 4-fidum, infer: integrum porrectum sub-concavum. » Cetera *Lumnitzeræ.* »

Obs: Genus facie pariter *Ocymi*; corollæ tubus modo evidenter calcaratus (in *Germanea*), modo vix gibbus, labium infer: concavum vel planiusculum in *Plectranthis spuriis* R. Br: qui consulendus in prodr: N. Holl: ed: 2. vol. I. p. 361. et conferendus cum Bentham l. c. Constat autem ex Spr: 30. circiter stirpibus præsertim ex *Indiis* orient: et *N. Holl:*, nonnullis americanis. Colitur plerumque in hortis nostris

= 1. *Pl: fruticosus* = L'Herit: stirp: I. p. 85. t. 41. (*C. B. S.*). Frutesc: Glabriusculus, folia ampla ovata grosse dentata, racemi terminales compositi, flores pedicellati, corolla cærulea longe calcarata.

Species dubiæ.

2. *Pl: nodosus* = Bellard: hb: Erectus sub-simplex villosiusculus, folia ovata dentata, spica terminalis simplex hirta verticillis 2. inferioribus remotis ceteris fere congestis, flores brevi-pedicellati, corolla vix gibbosa (Patria?).

3. *Pl: pallidus* = Birol: hb: Elatus carnosulus glaberrimus, folia ovato-rotundata basi cordata obtuse dentata, racemus terminalis inferne ramosiusculus ramulis divaricatis, verticilli pauciflori, corolla calyce dimidio longior sub-gibbosa (Patria?). Hasce duas stirpes penes Auctores enumeratas non inveni.

XLIX. Scutellaria Lin: gen: ed: Schreb: n. 989. = Spr: syst: n. 2064. = Lam: ill: t. 515.

» *Cal*: labia integra, super: operculatum post an-
» thesim clausa. *Cor*: longa ringens, galea sub-3-
» dentata, labio infer: 3-fido lacinia media emar-
» ginata. »

Obs: Genus satis distinctum habitu etiam inspecto, constans ex Spr: 45. circiter stirpibus herbaceis vel rarius suffruticosis per orbem sparsis, foliis sæpius integris quandoque pinnatifidis, floribus axillaribus solitariis vel racemoso-spicatis racemis axillaribus terminalibusve.

1. *Floribus axillaribus solitariis.*

❉ 1. *Sc*: *galericulata* = L. fl: lapp: 239. = Spr: syst: II. 701. = Fl: dan: t. 637. Ic: taur: vol. 5. t. 19. (*Eur*: et *Asia* passim. *Pedem*: ad oras lacuum et secus fluentes aquas et in pascuis sub - humidis All: n. 143. Secus *Avilianæ* lacus et in locis humidis *di Giaveno* Re fl: tor: I. p. 50. In saxis secus *Padum* et speciatim in sylva ad meridiem *della Praglia di Pianezza* Re fl: tor: I. p. 315. Secus *Ticinum* et *Padum* et in sylvis *della Vesca* urbis *Novariæ* Biroli fl: acon: I. p. 207. Juxta torrentes *Sardin*: med: Moris st: sard: I. p. 36.). Perenn: Glabriuscula, folia brevi-petiolata cordato-oblonga serrulata, flores parvuli sub-secundi cærulei.

❉ 2. *Sc*: *hastifolia* = L. it: gott: 212. = Spr: syst: II. 701. = Ic:? (*Eur*: *Pedem*: in humidis præsertim circa oppidum *Villastellone* Balb: addit: p. 90.). Valde priori affinis, a qua differt foliis sub-integerrimis brevioribus inferioribus hastatis superioribus sagittatis, floribus paullo majoribus.

❉ 3. *Sc*: *minor* = L. sp: 835. = Spr: syst: II. 173. = Lindern: hort: alsat: 216. t. 9. (*Eur*: *Pedem*: secus fossas prope *Zublena* All: n. 144. c. descr: Ad ripas lacus *Cusii* versus *Buscione* rara Biroli fl: acon: I. p. 207.). Parum differt a præcedentibus statura undique minori, foliis superioribus præsertim reapse integerrimis.

2. *Floribus racemosis.*

✻ 4. *Sc*: *alpina* = L. sp: 839. = Spr: syst: II. 702. = All: pedem: n. 142. t. 26. f. 3. Ic: taur: vol. 5. t. 20. (Alpibus *Eur*: med: *Pedem*: in lapidosis Alpium et saxosis torrentium locis aridis frequentissima All: l. c. In pascuis *M. Cenisii* Re fl: segus: p. 50. In alpibus *Novariens*: secus vallem *di Bugnanco* præcipue abundat Biroli fl: acon: I. p. 207. In *Montblanc* legit Berterus). Perenn: Adscendens villosiuscula, folia ovata sub-cordata crenata, racemi terminales simplices rotundato-tetragoni, flores conspicui bracteis duplo longiores violacei.

✻ 5. *Sc*: *Columnæ* = All: ped: n. 145. t. 84. f. 2. = Spr: syst: II. 702. = Col: ecphr: I. p. 187. t. 189. Ic: taur: vol. 28. t. 88. (*Ital*: *Pedem*: secus torrentem qui descendit ad oppidum *Grognard* All: l. c. c. descr:). Perenn: Hirsuta præcipue ad flores, folia sub-cordato-ovata obtuse dentata, racemi terminales simplices, flores magni cærulei. Cons: All: l. c. præsertim ob differentias inter hanc stirpem suam et *Sc*: *peregrinam* L. cum qua confusa fuerat.

Species nova vel dubia.

6. *Sc*: *macrantha* = Fisch: mss: « *Sc*: caule erecto
» fastigiato glaberrimo, foliis sessilibus lanceolatis sub-
» integerrimis glabris subtus pallidiusculis margine te-
» nuissime ciliatis, racemis terminalibus paniculatis

» laxis, bracteis lanceolatis calycem sub-æquantibus,
» corollis (ex sicco flavis) longissimis. » Nob: Optima species missa a cl: Fisch: e *Dahuria*. Corollæ fere semipollicares.

L. Prostanthera Labill: Nov: Holl: II. p. 18. t. 157. = Spr: syst: n. 2066.

» *Cal*: ut in *Scutellaria*. *Cor*: ringens, galea semi-
» 2-fida, labii infer: lacinia media 2-loba. *Antheræ*
» subtus calcaratæ. *Caryops*: nucamentaceæ sub-bac-
» catæ. »

Obs: Genus a cl: Labill: statutum pro unica stirpe, et satis distinctum præsertim antherarum calcare quo omnes species etiam posterius a cl: R. Br: detectæ præditæ sunt, cujus forma et longitudo optimos præbent characteres specificos, nunc constans ex Spr: 14. stirpibus omnibus *N. Holl*: incolis, fruticosis glandulosis graveolentibus, foliis indivisis plerumque dentatis vel crenatis, floribus axillaribus solitariis vel racemosis.

1. *Pr*: *Lasianthos* = Labill: l. c. (Terra *Diemen*). Glaberrima, folia ovato-lanceolata, superne intense viridia subtus rufescentia, racemi paniculati, corollæ hirsutæ, calcaris antherarum lobum alterum duplo longius, embryo albuminosus.

Obs: geographica circa *Labiatas.*

Labiatæ per orbem sparsæ circiter . . 1050

Labiatæ pedemontanæ.

Lycopus	2
Salvia	12
Rosmarinus	1
Ajuga	6
Teucrium	11
Lavandula	3
Sideritis	5
Origanum	2
Satureja	5
Hyssopus	1
Mentha	13
Galeobdolon	1
Galeopsis	4
Lamium	7
Glechoma	1
Nepeta	5
Stachys	10
Leonurus	2
Ballota	1
Betonica	4
Marrubium	1
Phlomis	1
Molucella	1
Dracocephalum	2
	101

S. R. . .	101
Prunella	4
Melissa	2
Thymus	11
Thymbra	1
Clinopodium	1
Melittis	1
Scutellaria	4
	125

Et sic fere 8.am partem constituunt.

Ordo CXXVIII.

MYOPORINEÆ

(R. Br: prodr: ed: 1. p. 514. ed: 2. p. 370. = Bartl: ord: nat. p. 176. = Inter *Verbeneas* Spr:).

Char: essentialis.

» *Cal*: 5-partitus persistens. *Cor*: sub-æqualis vel » 2-labiata. *Stam*: didynama quandoque rudimentum » quinti raro polliniferi. *Ovar*: 2-4-loculare, loculis » 1-2-spermis, ovulis pendulis. *Styl*: 1. *Stigm*: sub- » integrum. *Drupa* putamine 2-4-loculari, loculis 1- » 2-spermis. *Sem*: albuminosa. *Embr*: teres. *Radic*: » supera. »

Obs: Ordo *Verbenaceis* proximus fatente ipso R. Br:, et cum illis iterum conjungendus juxta opinionem cll: Bartl: et Spr:, differens tamen præsertim ovulis *pendulis*, radicula *supera* nec ut in *Verbenaceis* constanter *infera*; habitus etiam, inflorescentia præcipue inspecta, proprius videtur. Constat autem 5. generibus australasicis (excepta *Bontia*), fruticosis glabris, foliis sparsis oppositisve integris exstipulatis, floribus parvulis axillaribus fasciculatis vel solitariis.

I. Myoporum R. Br: l. c. = Spr: syst: n. 2133. = Andr: bot: rep: t. 283. sub *Pogonia* = Vent: malm: t. 108. sub *Audrewsia* = *Bertoloniæ* sp: Spin: non Spr: nec Raddi.

» *Cor*: sub-hypocrateriformis, tubo brevi, limbo » 5-lobo sub-æquali. *Stigm*: obtusum. *Drupa* baccata » 4-locularis 4-sperma vel 2-locularis, loculis 2- » spermis. »

Obs: Genus constans 18. circiter stirpibus fruticulosis sempervirentibus, ramulis foliisque novellis sæpe fucatis, foliis sæpius pellucido-punctatis, floribus albis vel purpurascentibus, fauce plerumque barbata, pedunculis fasciculatis rarius solitariis.

1. *M. ellypticum* = R. Br: l. c. *Pogonia*, *Audrewsia* et *Bertolonia glabra* Auct: cit: Frutex elatus, folia elliptica lucida integerrima mucronulata, pedunculi sub-aggregati. = 2. *M. serratum* = R. Br: l. c. p. 516. *Pogonia tetrandra* Labill:, *Bertolonia punctata* Spin: Vix a priori diversum foliis sub-serratis acutis nec reapse mucronatis saturatius viridibus evidentius punctatis, pedunculis sub-umbellatis. Utræque cultæ in h. Ripul:

II. Bontia Lin: gen: ed: Schreb: n. 1062. = Spr: syst: n. 2136. = Lam: ill: t. 546. manca quoad putamen (Inter *Solaneis* affines Juss: gen: p. 127.).

» *Cor*: ringens, labio super: sub-erecto emarginato, » infer: 3-fido revoluto longitudinaliter barbato. *Stam*: » didynama absque rudimento quinti, quorum 1.

» quandoque sterile. *Stigm*: 2 - lobum. *Drupa* puta-
» mine 2 - loculari, loculis 2 - partitis, semi - loculis
» 1-2-spermis. »

Obs: Genus constans unica stirpe (*B. daphnoides*) adhuc obscura circa fructus structuram, qui a L. forsan errore ducto a descr: Plumer: et icone Dillen:, nec non a Lam: in dict: et ill: l. c., et demum a W. sp: III. 394., quamvis hoc tempore (1800) character fructus jam emendatus fuisset a cl: Juss: l. c., pro 1-spermo fuit consideratus. Arbor ex *Antillis*, foliis lanceolatis glabris inferioribus serratis superioribus integerrimis, pedunculis axillaribus solitariis, corolla grandiuscula lutea barba purpurea. Specim: ex Bertero, sed deest fructus.

Ordo CXXIX.

VERBENACEÆ

(Juss: ann: mus: VII. p. 63. = R. Br: prodr: ed: 1. p. 510. ed: 2. p. 366. = Bartl: ord: nat: p. 178. = *Pyrenaceæ* Vent: tabl: II. p. 315. = *Vitices* Juss: gen: p. 106. excl: III. sect: = J. S. Hill: fam: I. p. 245. t. 43.).

Char: essentialis.

» *Cal*: tubulosus persistens varie dentatus. *Cor*: » tubulosa limbo plerumque irregulari decidua. *Stam*: » sæpius didynama, rarius diandra vel tetrandra, ra- » rissime (in *Tectonia*) pentandra. *Ovar*: 3-4-locu- » lare, loculis 1-2-spermis, ovulis rectis. *Styl*: 1. » *Stigm*: 2-fidum vel rarius indivisum. *Fructus* dru- » paceus vel baccatus rarius capsularis (in *Petrea*). » *Album*: nullum vel parcum. *Embr*: erectus. *Radic*: » infera. »

Obs: Ordo *Myoporineis* nimis affinis et forsan cum eis conjungendus ut supra observavi, constans 40. generibus circiter, inter quæ 2-3. valde dubia. Arbores, frutices vel rarius herbæ per orbem sparsæ præsertim in regionibus tropicalibus, nonnullæ in utriusque zonæ temperatæ plagis, foliis exstipulatis sæpius oppositis verticillatisve simplicibus vel rarius compositis, floribus opposite cymosis (*Viticeæ* Bartl:), vel

spicatis in rachide alternis aut capitato-confertis (*Verbeneæ* Bartl:). Cons: A. S. Hill: *caract: génériq: des Verben: et des Labiées* in Bull: univ: 1826. Mai p. 76., et 1829. Mai p. 248., nec non Chamiss: in Linnæa 1832. p. 213. et 364.

Trib: I.

VITICEÆ

I. Clerodendron Lin: gen: ed: Schreb: n. 1057. = *Volkameriæ* pleræque ejusd: = Spr: syst: n. 2121. = Lam: ill: t. 544.

» *Cal*: campanulatus 5-fidus vel 5-dentatus. *Cor*: » tubo cylindraceo, limbo 5-partito sub-æquali. *Stam*: » didynama exserta. *Stigm*: 2-fidum acutum. *Bacca* » 4-pyrena calyce sæpius ampliato cincta, ossiculis » 1-locularibus 1-spermis. »

Obs: Genus nunc constans 35. stirpibus circiter exoticis, præsertim ex *Ind*: orientalibus, *China*, *Japon:* et *N. Holl*: Arbores vel frutices, foliis oppositis rarius ternis simplicibus integris vel lobatis petiolorum basi persistente, floribus corymbosis aut paniculatis sæpius conspicuis suaveolentibus. Nonnullæ cultæ in calidariis europæis ad ornamentum, inter quas non omittendum *Cl*: *fragrans* = W. en: 659. *Volkameria japonica* Jacq: h. Schoëmbr: III. p. 48. t. 338. non Thb:? (*Japonia*). Planta undique culta in calidariis europæis ob suavitatem odoris florum, folia tamen graveolent; occurrit semper penes nos floribus plenis, hinc species valde dubia.

II. Volkameria Lin: gen: ed: Schreb: n. 1056. exclusis variis stirpib: ad *Clerodendron* amandatis. = Spr: syst: n. 2124. = Lam: ill: t. 544.

» *Cal:* 5-fidus. *Bacca* 2-pyrena, ossiculis 2-locu-
» laribus 3-spermis. Cetera *Clerodendri.* »

Obs: Genus habitu *Clerodendri* et ab eo vix distinctum fructus structura, nunc constans ex Spr: 3. stirpibus tantum ex *Ind*: orient: et occid:, inter quas possideo *V. aculeatam* = L. sp: 889. (*Jamaica, Barbados*). Frutex glaber e petiolorum rudimentis spinosus, folia ovato-oblonga acuta integerrima, pedunculi axillares 3-chotomi, corollæ tubus calyce sextuplo longior.

III. Ægiphila Lin: gen: ed: Schreb: n. 173. = Spr: syst: n. 436. = Lam: ill: t. 70. (*Tetrand*: *mon:* L.).

» *Cal*: campanulatus 4-dentatus. *Cor*: 4-fida limbo
» æquali. *Stam*: 4. æqualia exserta. *Styl*: semi-2-fidus.
» *Bacca* 2-locularis, loculis 2-spermis. »

Obs: Genus recedens ab ordine floribus *4-fidis regularibus*, sed ex habitu et ceteris fructificationis organis haud disjungendum, constans 12. circiter stirpibus fere omnibus ex regionibus æquinoctialibus *Americæ*, fruticosis, foliis simplicibus, floribus corymboso-paniculatis, inter quas colo *Æ. martinicensem* = L. mant: 198. (*Martinica*). Frutex glaber diffuso-ramosus, folia ovato-lanceolata integerrima acuminata, paniculæ axillares et terminales ramis corymbosis.

IV. CORNUTIA Lin: gen: ed: Schreb: n. 1028. = Spr: syst: n. 74. = Lam: ill: t. 541. manca quoad nucem (*Diandr*: *monog*: Spr: male).

» *Cal*: 5 - dentatus. *Cor*: 4 - loba limbo inæquali. » *Stam*: didynama quorum 2. fertilia exserta 2. sæ- » pius sterilia vel prorsus abortiva. *Stigm*: 2-fidum. » *Drupa* globosa nuce 4-loculari 4-sperma. »

Obs: PLUMERIUS qui genus hoc constituit, et subinde LINNÆUS, baccam 1 - spermam ei tribuunt, sed postmodum, fructu bene perpenso, veram drupam nuce 4 - sperma illum præseferre constitit. Species 3. ex *Amer*: calidiore et *Mexico*, fruticosæ, foliis integris, floribus corymbosis axillaribus vel paniculatis terminalibus. Occurrit sæpius in calidariis *C. punctata* = W. sp: III. 322. *Hostia cærulea* Jacq: h. Schoëmbr: I. p. 60. t. 114. (*Amer*: calid:). Planta erecta diffuso-ramosa ramis tetragonis, folia glabriuscula late ovata sub-dentata, corymbi axillares et terminales 3-chotomi, flores cærulei. Tota fœtens.

V. PETITIA Jacq: amer: XIV. t. 182. f. 6. = Spr: syst: n. 423. (*Tetrand*: *monog*: L.).

» *Cal*: 4-dentatus. *Cor*: tubo longo limbo 4-fido » æquali. *Stam*: 4. æqualia. *Stigm*: simplex. *Drupa* » nuce 2-loculari 2-sperma. »

Obs: Genus constans 2. stirpibus americanis, fruticosis, foliis oppositis simplicibus integerrimis, paniculis axillaribus oppositis. Possideo ex BERTERO *P. domingensem* = Jacq: l. c. (*Hispaniola*). Arbuscula

foliis ovato-oblongis acuminatis utrinque glabris nec subtus *tomentosis* ut in phrasi Spr:

VI. Callicarpa Lin: gen: ed: Schreb: n. 175. = Spr: syst: n. 430. = Lam: ill: t. 69. (*Tetrand*: *monog*: L.).

» *Cal*: 4-dentatus. *Cor*: campanulata limbo 4-par-
» tito æquali. *Stam*: 4. æqualia exserta. *Styl*: indivi-
» sus. *Drupa* tetrapyrena, ossiculis 1-locularibus 1-
» spermis. »

Obs: Genus constans 20. circiter stirpibus ex *Amer*: vel *Asia*, nonnullis ex *N. Holl*:, fruticosis oppositifoliis, pube ramulosa vel stellulata conspersis, foliis simplicibus denticulatis rarius integerrimis, cymis axillaribus plerumque dichotomis, floribus parvis albis vel purpurascentibus. Colitur sæpe *C. americana* = L. mant: II. p. 198. (*Amer*: bor: et austr:). Folia ovato-oblonga serrata supra nervis subtus tota tomentosa, cymæ petiolo breviores compactæ, calyx glabriusculus.

VII. Premna Lin: gen: ed: Schreb: n. 1025. = Spr: syst: n. 2118. = Lam: ill: t. 543. = *Premnæ* et *Pityrodiæ* sp: R. Br:

» *Cal*: cyathiformi-campanulatus 5-dentatus. *Cor*:
» labio super: sub-2-lobo, infer: 3-partito laciniis
» sub-æqualibus. *Stam*: didynama exserta. *Stigm*: 2-
» fidum. *Drupa* putamine 4-loculari 4-spermo axi
» perforato. »

Obs: Genus constans 15. circiter stirpibus ex utraque *India* et *N. Holl*:, fruticosis oppositifoliis, foliis

simplicibus plerumque integerrimis, cymis terminalibus paniculatis, rarius (in *Pr*: *salvifolia* Spr:, *Pitjrodia* R. Br:) pedunculis axillaribus multifloris. Possideo sub nomine *Citharexylonis melanocardii* unicam hujusce generis speciem, quam existimo esse *Pr*: *reticulatam* Poir: dict: suppl: I. p. 348. ex Juss: Quadrat habitu et foliis ovatis sub-acuminatis reticulatis supra lucidis subtus puberulis, sed desunt flores in specim:

VIII. Vitex Lin: gen: ed: Schreb: n. 1060. excl: 1. specie = Spr: syst: n. 2120. = Lam: ill: t. 541.

» *Cal*: brevis 5-dentatus. *Cor*: labio super: 2-fido, » infer: 3-fido, lacinia media majore. *Stam*: didyna- » ma adscendentia. *Drupa* putamine 4-loculari 4- » spermo. »

Obs: Genus a *Premna* vix diversum organis fructificationis, sed habitu distinctissimum, constans 30. circiter stirpibus exoticis, una tantum europæa, fruticosis, foliis oppositis ternis digitatis vel pinnatis rarissime simplicibus, floribus axillaribus terminalibusve sæpius paniculatis.

❋ 1. *V*. *Agnus castus* = L. sp: 890. = Spr: syst: II. 757. = Blackw: t. 139. (*Eur*: austr: *Pedem*: in collibus maritimis prope *Albenga*, inter *Menton* et *Monaco* All: n. 458. *Sardin*: in irriguis *Cala d'Ostia*, *Sulcei*, *S. Priamo* Moris st: sard: I. p. 37.). Folia digitata septena vel quinata foliolis lanceolatis sub-integerrimis subtus ramisque incano-tomentosis, spica terminalis elongata simplex floribus verticillato-congestis verticillis distantibus.

Trib: II.

VERBENEÆ

IX. Duranta Lin: gen: ed: Schreb: n. 1052. = Spr: syst: n. 2129. = Lam: ill: t. 545.

» *Cal*: campanulato-tubulosus 5-dentatus. *Cor*: in-
» fundibuliformis limbo 5-lobo plano inæquali. *Stam*:
» didynama inclusa. *Drupa* tetrapyrena ossiculis 2-
» locularibus 2-spermis. »

Obs: Genus constans 7-8 stirpibus ex *Amer*: æquinoctiali, fruticosis quandoque spinosis, foliis oppositis aut ternis simplicibus, floribus laxe spicatis satis conspicuis violaceis. Occurrit sæpe in calidariis europæis *D. Plumieri* = L. sp: 888. *D. Plumerii* Spr: syst: II. 764. (*Amer*: merid:). Erecta diffuso-ramosa sub-spinosa glabra, folia ovato-oblonga sub-serrata subtus albidiuscula, spicæ terminales racemosæ longissimæ sub-nutantes, calyces fructiferi contorti.

X. Petrea Lin: gen: ed: Schreb: n. 1024. = Spr: syst: n. 2125. = Lam: ill: t. 539.

» *Cal*: campanulatus coloratus limbo duplici, ex-
» ter: 5-partito longo patente æquali scarioso, inter:
» 5-dentato brevissimo. *Cor*: calyce brevior limbo 5-
» fido sub-æquali. *Stam*: didynama inclusa. *Stigm*:
» capitatum. *Caps*: 2-locularis 2-sperma calyce
» clausa. »

Obs: Genus speciosum habitu proprio, constans ex Spr: 5. stirpibus americanis, fruticosis plerumque

scandentibus, foliis simplicibus oppositis integerrimis, floribus racemosis. Possideo ex BERTERO *P. volubilem* = L. h. Cliff: 319. Frutex scandens glaberrimus, folia brevi-petiolata elliptica lucida coriacea reticulato-venosa, racemi terminales laxi longissimi, laciniæ calycinæ exteriores ovato-lanceolatæ obtusæ violaceæ, corolla cærulea.

XI. CITHAREXYLUM Lin: gen: ed: Schreb: n. 1019. = Spr: syst: n. 2128. (*Citharexylon*). = Lam: ill: t. 545.

» *Cal*: tubuloso-campanulatus 5-dentatus. *Cor*: in-
» fundibuliformi-rotata, limbo sub-æqualiter 5-lobo.
» *Stam*: 4. quandoque 5. vel rudimentum quinti sub-
» æqualia inclusa. *Styl*: simplex. *Drupa* 2-pyrena
» ossiculis 2-locularibus 2-spermis. »

Obs: Genus constans 15. circiter stirpibus ex *Amer*: merid:, arboreis vel fruticosis, foliis oppositis integris sæpe coriaceis, floribus laxe spicatis terminalibus axillaribusve. Calyces in paucis sub-truncati vix obsolete dentati. Nonnullæ species coluntur in calidariis nostris, inter quas excellit *C. villosum* = Jacq: ic: rar: I. t. 118. (*Hispaniola*). Rami tetragoni foliaque subtus villosiuscula, folia ovata coriacea superne lucida apice sub-dentata, spicæ sub-nutantes, calyx fere truncatus.

XII. PRIVA Spr: syst: n. 2112. ex Adans: et Juss: ann: mus: = *Verbenæ*, *Zapaniæ*, *Blaïriæ*, *Tortulæ*, *Tamoneæ*, et *Casteliæ* spec: quorund:

» *Cal*: ventricosus 5-dentatus. *Cor*: tubo cylindra-
» ceo limbo 5-fido inæquali. *Stam*: didynama inclusa,

» 2. quandoque abortiva. *Drupa* exsucca calyce in-
» flato tecta 4-locularis 2-partibilis loculis 1-spermis. »

Obs: Genus sub-obscurum et ideo ejus species modo ad unum modo ad alterum ex supra citatis ab Auctoribus amandatæ, nunc a SPR: constans 6. stirpibus americanis, herbaceis scabridis sub-2-chotomis oppositifoliis, foliis simplicibus sub-integerrimis, floribus spicatis bracteatis; inter illas colo *Pr: lappulaceam* = Spr: syst: II. 752. ex Pers: Sub *Verbena* L., W. (*Ind:* occid:). Ann: Villosiuscula, folia ovato-oblonga dentata, spicæ breves ovatæ compactæ, calyces fructiferi uncinato-hispidi, filamenta 2. sterilia.

XIII. TAMONEA Aubl: guy: II. p. 660. t. 268. = Spr: syst: n. 2114. = Lam: ill: t. 542. = *Verbenæ*, *Kæmpferæ*, *Ghiniæ*, *Leptocarpi* spec: quorund:

» *Cal*: 5-aristatus. *Cor*: labio super: sub-integro
» infer: 3-fido. *Stam:* didynama inclusa quorum 2.
» minora sterilia, filamentis medio squamulosis. *Stigm*:
» 4-fidum. *Drupa* baccata (*sicca* ex SPR:) calyce cin-
» cta 4-5-locularis, loculis 1-spermis, inermis aut
» 4-spinosa. »

Obs: Genus ludens inter *Verbenam* et *Privam*, constans 2. stirpibus ex *Amer*: merid:, herbaceis, foliis oppositis ovatis serratis superioribus interdum sub-pinnatifidis, spicis axillaribus oppositis, floribus alternis pedicellatis bracteatis, fructibus nigris. Possideo *T. verbenaceam* = Spr: syst: II. 754. (*Verbena curassavica* L., *Ghinia spinosa* W.), quæ refert folia glabriuscula, fructus 4-spinosos.

XIV. Spielmannia Medic: in act: palat: vol. III. phys: p. 198. = Spr: syst: n. 2127. = Lam: ill: t. 85. = *Lantanæ* spec: L.

» *Cal*: 5-fidus. *Cor*: limbus 5-fidus, fauce bar-
» bata. *Stam*: 4. æqualia inclusa. *Stigm*: uncinatum.
» *Drupa* nuce 2-loculari 2-sperma. »

Obs: Genus recte a *Lantana* disjunctum, cum qua stigmatis structura solum convenit, constans unica stirpe ex *C. B. S.* sc: *Sp*: *africana.* Frutex villosiusculus, foliis oppositis sessilibus sub-decurrentibus ovatis serratis, floribus axillaribus solitariis sessilibus. Cult: in h. Ripul:

XV. Verbena Lin: gen: ed: Schreb: n. 43. excl: nonnullis stirpib: = Spr: syst: n. 2109. = Lam: ill: t. 17. (*Diand*: *monog*: L., W.).

» *Cal*: 5-fidus dente 1. sub-breviori. *Cor*: infun-
» dibuliformis limbo irregulariter 5-lobo. *Stam*: di-
» dynama inclusa. *Utriculus* 4-spermus cito rumpens,
» ut maturi fructus caryopses sistant (*drupa exsucca*
» *quadripartibilis* Kunth, *pericarpium tenue evani-*
» *dum* R. Br.). »

Obs: Genus jam numerosissimum, a quo disjunctæ fuerunt stirpes staminibus 2. evanidis vel abortivis (*Stachytarpheta*) et 2-spermæ (*Zappania*) quæ demum ad *Lippiam* amandatæ fuerunt, modo constans ex Spr: stirpibus 48. Herbæ vel rarius suffrutices, fere omnes americani 2. tantum europæi, foliis oppositis rigidis sæpissime serratis, floribus paniculato-

spicatis sessilibus bracteatis sæpius parvis plerumque violaceis.

❋ 1. *V. officinalis* = L. fl: suec: II. n. 30. = Spr: syst: II. 750. = Oed: fl: dan: t. 628. Ic: taur: vol. 1. t. 21. Vern: *Verbena*, *Barbena* (In temperatis totius orbis. *Pedem*: ad vias et in ruderatis frequentissima All: n. 160. Re fl: segus: p. 8. et fl: tor: I. p. 317. Biroli fl: acon: I. p. 8. *Genuæ* in viis campestribus Bertol: am: ital: p. 104. *Sardin*: ad vias Moris st: sard: I. p. 37.). Ann: vel perenn: Erecta hispidula, folia 3-fido-laciniata, spicæ filiformes racemosæ, flores remotiusculi minimi cærulescentes.

2. *V. supina* = Mill: dict: n. 3. (*Eur*: austr:, *Gallo-prov*:, *Asia* min:, *Ægypt*: *Sardin*: ad vias *Sedilo* Moris st: sard: I. p. 37.). Ann: Pilosa, folia sub-2-pinnatifida, spicæ filiformes, flores remotiusculi minimi. = 3. *V. melindres* = Gillier Bot: reg: 1184. (*Buenos-Ayres Amer*: merid:). Suffrut: Debilis hispidula procumbens ramis nutantibus, folia lanceolata inferiora sub-laciniata superiora dentata demum sub-integerrima, spica terminalis conica simplex, flores ampli pro genere, bracteæ lineares calyce dimidio breviores, corolla læte coccinea laciniis emarginatis. Inter omnes stirpes mihi notas pulcherrima ob magnitudinem et colorem florum, quibus fere toto anno luxuriat. Cult: in h. Ripul:

XVI. Stachytarpheta Vahl: enum: I. p. 205. = Spr: syst: n. 87. = *Verbenæ* sp: L. (*Diand*: *monog*: W. en:, Spr:).

» *Cal*: tubulosus 4-dentatus. *Cor*: tubus curvatus,

» limbus 5-lobus inæqualis. *Stam*: didynama, quo-
» rum 2. sterilia. *Caryops*: 2. immaturæ in drupæ
» formam junctæ. »

Obs: Genus *Verbenæ* affine, sed characteribus allatis nec non habitu, inflorescentia præsertim, satis distinctum, constans 20. circiter stirpibus e regionibus calidis *Americæ* et *Asiæ*, herbaceis vel suffruticosis, foliis oppositis serratis crenatisve, spicis terminalibus demum alaribus solitariis teretibus gracilibus, floribus alternis sessilibus bracteatis rachidi carnosæ semi-immersis. Occurrit sæpe in hortis ad ornamentum *St*: *mutabilis* = Vahl: l. c. p. 208. Sub *Verbena* Jacq: (*Caracas*). Frutesc: Sub-incano-villosa, folia ovata dentata-rugosa superne hispidula subtus incano-pubescentia, spica longior et flores majores quam in ceteris mihi cognitis.

XVII. Lippia Lin: gen: ed: Schreb: n. 993. = Spr: syst: n. 2111. = Lam: ill: t. 539. = *Verbenæ*, *Stachytarphetæ*, *Zapaniæ*, et *Aloysiæ* spec: Auctor:

» *Cal*: 4-5-dentatus demum 2-valvis. *Cor*: limbo
» super: emarginato 2-lobo, infer: 3-fido. *Stam*: di-
» dynama inclusa. *Drupa* exsucca calyce tecta 2-lo-
» cularis 2-sperma. »

Obs: Genus fructificatione ludens inter *Verbenam* et *Stachytarphetam*, facie in plerisque stirpibus ad *Lantanam* magis accedens, nunc constans 30. circiter speciebus ex *Amer*: merid:, una tantum europæa, fruticosis vel herbaceis, foliis simplicibus oppositis rarissime ternis integris plerumque serratis, floribus sæpius capitatis, rarius paniculatis vel spicatis.

* 1. *L. repens* = Spr: syst: II. 752. = Sub *Zapania* Bertol: rar: ital: pl: deç: II. ed: 1. p. 27. n. 1. (*Ital*: palud: marit: *Sarzanæ* in palustribus pratorum arenosorum Bertol: l. c. c. descr:). Perenn: Repens glaberrima, folia carnosa cuneiformia superne serrata, capitula ovato - conica pedunculis folio longioribus.

2. *L. citriodora* = H. et B. pl: æquin: II. p. 269. *Verbena triphylla* Herit:, W. (*Peruvia*, *Chili*, *Paraguay*). Frutic: Elata glaberrima, folia sæpius terna lanceolata margine scabra, spicæ paniculatæ laterales et terminales, flores parvi plerumque terni. Tota planta citrum redolet, unde culta ubique sub nomine vernac: *Erba limonaria*. In h. Ripul: contra murum meridiei expositum hyeme non perit.

XVIII. Lantana Lin: gen: ed: Schreb: n. 1026. excl: *L. salvifolia* = Spr: syst: n. 2126. = Lam: ill: t. 540.

» *Cal*: brevissimus tubulosus obsolete dentatus.
» *Cor*: tubulosa obliqua, limbo inæqualiter 4 - lobo.
» *Stam*: didynama inclusa. *Drupa* baccata 1 - pyrena,
» osiculo 2 - loculari 2 - spermo, rima loculis inter-
» posita. »

Obs: Genus constans 25. circiter stirpibus ex *Indiis* præsertim occid:, plurimis inter se valde similibus, ex forma et longitudine bractearum præcipue distinguendis, fruticosis rarissime herbaceis, aculeatis vel inermibus, foliis simplicibus oppositis aut sæpius ternis crenato-serratis plerumque rugosis, capitulis axillaribus pedunculatis, floribus bracteatis sæpe in eodem capitulo colorem ex ætate mutantibus, nonnullæ

cultæ in hortis europæis ornamenti gratia et præsertim seqq: = 1. *L. mixta* = L. syst: veg: 473. (*Ind*: occid:). Inferne tantum aculeata, pedunculi folium sub-æquantes, bracteæ lanceolatæ floribus sub-longiores. Venit in hortis nostris sub nomine *L. Camaræ*, sed non est; vera *Camara* inermis capitula refert laxa, bracteas lineares abbreviatas. = 2. *L. nivea* = Vent: h. Malm: p. et t. 8. (*Ind*: orient:). Aculei validiores quam in præcedenti, a qua et ab affinibus distinguitur præsertim capitulis majoribus laxiusculis, bracteis linearibus corollæ niveæ tubo intus flavido dimidio brevioribus.

Lantanæ dubiæ vel novæ.

3. *L. cinerea* = Lam: dict: I. p. 559. n. 3. (*Amer*: merid:). Omissa a W. et Spr: videtur accedere ad *L. involucratam* L. syst: 474., sed differt tota cinerascens foliis numquam ternis valde majoribus molliusculis, capitula parva pedunculis folio brevioribus, flores pallide purpurei. = 4. *L. reticulata* = Pers: ench: II. p. 141. (*S. Domingo*). Pariter omissa a W. et Spr: Cons: Colla h. Ripul: app: III. p. 41. not: 1.

5. *L. longifolia* = Mart: in sched: (*Brasil*: *Estrada de Minas*). Stirps distinctissima præsertim foliorum forma et glabritie, a cl: Martio communicata, quam non video descriptam, et sic definio: « *L.* inermis » glaberrima, foliis oppositis lanceolatis in petiolum » attenuatis acutis ultra medium argute serratis su» pra lucidis infra opacis, capitulis sub-hemisphæ-

» ricis, pedunculis folio brevioribus, bracteis lanceo-
» latis corollæ tubum sub-æquantibus. » (Corollæ ex sicco luteolæ videntur).

6. *L. mollis* = Nob: *L....?* Mart: in sched: (*Brasil: Barra de Vara*). « *L.* inermis puberula, foliis op-
» positis ternisve brevi-petiolatis ellipticis mollissi-
» mis dentatis supra viridibus villosiusculis subtus
» albido-puberulis ad nervos hirsutiusculis, capitulis
» oblongis brevissime pedunculatis, bracteis ovato-
» lanceolatis hirsutis corollæ tubo dimidio breviori-
» bus. » Nob:

7. *L....?* Mart: in sched: (*Brasil: Moriba*). Specim: ex Martio mancum; caulis lævis glaber, folia sub-cordato-ovata scaberrima acuta serrata, pedunculi folio longiores, capitula hemisphærica parva, bracteæ lanceolatæ tenuissime serrulatæ corollam sub-æquantes.

Obs: geographica circa *Verbenaceas*.

Verbenaceæ per orbem sparsæ circiter . . 300

Verbenaceæ pedemontanæ.

Vitex	1
Verbena	1
Lippia	1
	3

Ordo CXXX.

SELAGINEÆ

(Choisy mém: sur la famille des Sélaginées, Genève 1813. tab: I. = Bartl: ord: nat: p. 176. = *Viticibus* affines Juss: gen: p. 110. excl: *Eranthemo*).

Char: essentialis.

» *Cal*: monosepalus persistens 3-5-dentatus aut » 3-5-fidus raro 2-sepalus. *Cor*: tubulosa limbo 4- » 5-lobato, lobis plerumque inæqualibus. *Stam*: » sæpius 4. didynama aut æqualia apice tubi co- » rollæ inserta, rarius 2. *Ovar*: 1. minimum ovatum. » *Styl*: 1. filiformis. *Fructus* sub-drupaceus siccus » 2-locularis loculis 1-spermis semine uno aliquando » abortivo. *Album*: carnosum. *Embr*: inversus in axi » albuminis. *Radic*: supera. *Cotyled*: pendulæ. »

Obs: Ordo ex Choisy valde affinis *Verbenaceis*, *Personatis*, *Acanthaceis*, et *Labiatis*, sed ultra leves differentias inter unumquemque ipsorum, differt ab omnibus præsertim embryone *inverso*, et habitu quodam proprio. Constat autem 6. generibus, inter quæ 2. linnæana (*Selago* et *Hebenstreitia*), 4. ab hisce dirempta, vel ex stirpibus omnino novis creata. Species omnes ex promomptorio *B. S.*, suffruticosæ vel rarius herbaceæ humiles, foliis alternis aut sub-oppositis sæpe fasciculatis linearibus vel ovatis, floribus spicatis bracteatis.

I. AGATHELPIS Choisy l. c. p. 25. t. 1. n. III. = *Selaginis* et *Eranthemi* spec: alior:

» *Cal*: tubuloso-cylindricus 5-dentatus. *Cor*: tu-
» bulosa limbo 5-lobo. *Stam*: 2. »

Obs: Genus constans 2. stirpibus, inter quas possideo ex cl: LABILL: *A. angustifoliam* (*Selago dubia* L.?, *Eranthemum angustifolium* L., LAM: ill: t. 17. f. 1., W., SPR:). Fruticulus pumilus glabriusculus, foliis linearibus alternis sparsisve, floribus laxe longeque spicatis, bracteis ellipticis, corollæ tubo recurvo bracteam duplo superante. Nomen genericum omnino incongruum; alludit enim ad promomptorium *Bonæ Spei*, patriam non solum hujusce generis, sed omnium *Selaginearum*.

II. SELAGO Lin: gen: ed: Schreb: n. 995. = Spr: syst: n. 2108. excl: nonnullis stirpib: = Choisy l. c. p. 28. t. 1. n. V. = Lam: ill: t. 521.

» *Cal:* ovatus aut campanulatus 3-5-fidus aut 3-
» 5-dentatus. *Cor*: 4-5-loba. *Stam*: 4. *Caps*: 2-lo-
» cularis, loculis sponte separabilibus 1-spermis. (Char:
» ex CHOISY). »

Obs: Genus jam constans ex SPR: 35. stirpibus, modo a cl: CHOISY ad 28. redactum, suffruticosis, foliis nunc latiusculis nunc sæpius linearibus integris aut dentatis glabris villosisve, floribus spicatis. Cultam habeo in h. Ripul: *S. fasciculatam* = L. mant: 250. Glabra, folia obovato-elliptica serrata sub-decurrentia, bracteæ lineari-lanceolatæ, florum spiculæ fasciculatæ, stamina didynama.

III. Hebenstreitia Lin: gen: ed: Schreb: n. 1033. = Spr: syst: n. 2113. excl: nonnullis stirpib: = Choisy l. c. p. 22. t. 1. n. 1. = Lam: ill: t. 521.

» *Cal*: spathæformis monosepalus superius floris la-
» tus occupans apice emarginatus. *Cor*: basi tubulosa
» apice sub-unilabiata. *Stam*: 4. corollam fere supe-
» rantia. *Caps*: 2-locularis loculis ovato-cylindricis non
» sponte separabilibus non inflatis. (Char: ex Choisy). »

Obs: Genus constans ex Auctor: 10-12. stirpibus, modo ex cl: Choisy 3., ceteris vel ad novum *Dischismatis* genus ob calycem 2 - sepalum, vel ad *H. dentatæ* varr: amandatis. Suffrutices foliis alternis sparsisve, floribus spicatis, bracteis integris glabris.

1. *H. dentata* = L. sp: 878. Glabra erecta fastigiato-ramosa, folia linearia, bracteæ lineari-lanceolatæ, spica laxa, corolla calyce multo longior multicolor. Variat foliis ubique vel apice tantum dentatis, vel integris (*H. integrifolia* L.). = 2. *H. tenuifolia* = Reich: in bot: en: t. 133. ex Schrad: *Polycenia hebenstreitioides* Chois: l. c. p. 21.? Ann: Erecta glabra, folia alterna linearia integerrima semi-pollicaria cum aliis fasciculatis duplo triplove brevioribus commixta, spica terminalis elongata, bracteæ ovato-lanceolatæ acuminatæ flores alternos sub-æquantes. Planta culta in h. Ripul: e seminibus missis a cl: Martio sub allato nomine differt a *Polycenia hebenstratioidea* Choisy, cum qua confusa, characteribus allatis; nec ico ejusdem t. 11. f. 1. quadrat cum nostra nisi fructificationis organis; an igitur *Polyceniæ* species altera?

Ordo CXXXI.

ACANTHACEÆ

(R. Br: Prodr: N. Holl: ed: 1. p. 472. ed: 2. p. 328. = Bartl: ord: nat: p. 183. = *Acanthi* Juss: gen: p. 102. addita *Cyrtandra* inter *Scrophulariis affines* p. 121. = J. S. Hill: fam: I. p. 236. t. 41.).

Char: essentialis.

» *Cal:* persistens 4-5-divisus æqualis vel inæqua-
» lis, raro multifidus vel integer et obsoletus. *Cor:*
» decidua plerumque irregularis sub-2-labiata 4-5-
» loba. *Stam:* didynama, quorum 2. sæpe abortiva
» quandoque rudimentum quinti, antheris 2-locula-
» ribus vel rarius 1-locularibus. *Ovar:* disco glandu-
» loso basi cinctum 2-loculare loculis 2-poly-spermis.
» *Styl:* 1. *Stigm:* 2-3-lobum raro indivisum. *Caps:*
» 2-locularis, loculis 2-poly-spermis abortu quando-
» que 1-spermis sæpius elastice dehiscentibus, dis-
» sepimento contrario per axim 2-partibile. *Sem:*
» sæpius retinaculis aucta exalbuminosa. *Embr:* cur-
» vatus vel rectus. *Radic:* centripeta curvata vel recta. »

Obs: Ordo satis naturalis, tamen haud facile circumscribendus, constans ex Bartl: generibus 25. in 2. tribus divisis, sc: capsula elastice 2-valvi, seminibus in loculis sæpius binis retinaculis incumbentibus (*Genuinæ*); et fructu polyspermo loculis dissepimenti lobis seminiferis revolutis sub-2-partitis (*Cyrtandreæ,*

Didymocarpeæ Don:). Herbæ vel frutices fere omnes intratropicales, pauci europæi, ramis sæpissime nodoso-articulatis, foliis oppositis raro 3-4-ternis, simplicibus integris vel serratis rarissime sinuatis vel lobatis, inflorescentia varia, floribus sæpius 3-bracteatis speciosis, unde nonnullæ cultæ in calidariis europæis ornamenti gratia.

I. Justicia Lin: gen: ed: Schreb: n. 35. excl: nonnullis stirpib: = Spr: syst: n. 106. = Lam: ill: t. 12. f. 1. 2. (*Diand: monog*: L., W., Spr:, *Acantheæ genuinæ* cum seqq:).

» *Cal*: 4-5-fidus æqualis. *Cor*: irregularis 2-labiata
» vel ringens labio infer: diviso. *Stam:* 2. perfecta
» antheris 2-locularibus, loculis insertione sæpius
» inæqualibus, sterilia nulla vel obsoleta. *Caps*: ovalis
» 2-locularis, loculis 2-spermis, dissepimento reti-
» nacula seminum gestante adnato. »

Obs: Genus numerosissimum (137. stirpes ex Spr:) posthac forsan adhuc dividendum ex observationibus cl: R. Br: prodr: ed: 2. tom. I. p. 331. Herbæ vel frutices fere omnes intratropicales, pauci ex *N. Holl*: Ex antherarum loculorum insertione, inflorescentia, ac corollæ structura optimæ exsurgunt divisiones. Inter pulchriores a me cultas excellit *J. picta* = L. sp: 21. (*Ind*: orient:). Statim distinguitur foliorum disco macula longitudinali irregulari lucida picto, spicis axillaribus terminalibusque paucifloris, floribus sub-verticillatis brevissime bracteatis, corollis magnis coccineis lucentibus.

II. Dicliptera Juss: ann: mus: tom. IX. p. 267. t. 23. f. 3. = Spr: syst: n. 107. = Lam: ill: t. 12. f. 3. = *Justiciæ* et *Diantheræ* spec: alior:

» *Cor*: labium infer: sub-integrum. *Caps*: sub-glo-
» bosa sub - unilocularis, placenta libera centralis,
» cui semina pauca ope retinaculorum adhærent. Ce-
» tera *Justiciæ*. »

Obs: Genus vix a *Justicia* distinctum notis indicatis, ac bracteis sæpe maximis, constans nunc ex Spr: 27. stirpibus intratropicalibus, herbaceis vel rarius suffruticosis. Occurrit sæpe in calidariis nostris *D. resupinata* = Spr: syst: I. 86. ex Juss: *Justicia sexangularis* Cav: non L. (*N. Hispan*:). Perenn: Sexangularis erecta, folia ovata, flores axillares pedunculati sub - verticillati, bracteæ 2 - valves cordatæ obtusæ.

III. Aphelandra R. Br: Prodr: ed: 1. p. 475. in obs: et in h. Kew: IV. p. 55. = Spr: syst: n. 2216. = Jacq: h. Schoêmbr: III. p. 38. t. 320. sub *Justicia* (*Didyn*: *angiosp*: Spr:).

» *Cal*: 5 - partitus inæqualis. *Cor*: 2 - labiata labio
» infer: 3-fido. *Stam*: 4. æqualia sub-exserta, antheris
» 1-locularibus. *Caps*: 2-locularis, loculis 2-spermis,
» dissepimento contrario adnato. *Sem:* retinaculis sus-
» tenta. »

Obs: Genus constans 1 - 2. stirpibus, inter quas speciosissima *A. cristata* = R. Br: l. c. *A. pulcherrima* Kunth, *Justicia cristata* Jacq:, *Justicia pulcher-*

rima L. Frutex ex *Amer*: calidiori erectus glabriusculus, folia opposita magna ovata acuta integerrima, spica terminalis simplex vel racemosa tetragona elongata bracteis ovatis sub-coloratis imbricatis tecta, flos sessilis ex unaquaque bractea, calyx bracteis brevior, corolla longissima (2-pollicaris) læte coccinea. Cult: in h. Ripul: Variat puberula vel nitida (*A. nitida* Nees).

IV. Harrachia Colla h. Ripul: p. 64. not: 1. tab: XII. = Jacq: fil:

» *Cor*: tubus linearis basi inflatus, limbo 3-par-
» tito, lobis planis sub-æqualibus apice 2-fidis. *Stam*:
» 4. intra tubum. Cetera *Aphelandræ*. »

Obs: Genus constans unica specie (*H. speciosa*) ex *Indiis* orient: Ad hanc refert cl: Spr: syst: II. 826. *Justiciam infundibuliformem* L. et *Crossandram undulæfoliam* Salisb: Cons: tamen descr: et obs: nostram in h. Ripul: l. c.

V. Eranthemum Lin: gen: ed: Schreb: n. 30. excl: 2. stirpib: = Spr: syst: n. 109. = Lam: ill: t. 17. f. 2. = *Justiciæ* spec: Vahl: (*Diand*: *monog*: L.).

» *Cal*: 5-partitus æqualis. *Cor*: hypocrateriformis
» limbo 5-partito sub-æquali. *Stam*: 2. perfecta ex-
» serta, 2. sterilia, antherarum loculis paralellis mu-
» ticis. *Caps*: ut in *Justicia*. »

Obs: Genus prorsus artificiale, fructificatione a *Justicia* vix diversum, constans ex Spr: 20. stirpibus exoticis præsertim ex utriusque *Indiæ* regionibus calidioribus, 1. tantum ex *N. Holl*:, fruticosis spinosis

vel inermibus, habitu vario. Præ ceteris colitur in hortis *E. nervosum* = Spr: syst: I. 89. ex R. Br: Sub *Justicia* Vahl: *Ruellia varians* Vent:, sub quo nomine venit apud Hortulanos (*Ind*: orient:). Suffrut: Glabrum caule ramisque tetragonis, folia ovato-oblonga utrinque attenuata valde nervosa, spicæ axillares et terminales, bracteæ sub-coloratæ, flores ampli cærulei demum rosei, filamenta quandoque 5 - 6. fertilia.

VI. Ruellia Lin: gen: ed: Schreb: n. 1050. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 2214. = Lam: ill: t. 550.

» *Cal*: 5-partitus æqualis. *Cor*: infundibuliformis, » limbo 5-fido sub-æquali patente raro sub-ringens. » *Stam*: didynama sæpius inclusa. *Caps:* teretiuscula » sub-sessilis loculis polyspermis. »

Obs: Genus sub-obscurum pro nonnullis stirpibus, a præcedentibus vix distinctum corollæ forma et præsentia capsulæ loculis *poly* - nec 2 - *spermis*. Cons: R. Br: prodr: ed: 2. p. 334. in observationibus. Spec: 86. ex Spr: exoticæ præsertim ex utraque *India*, herbaceæ rarius suffruticosæ plerumque oppositifoliæ sæpe pilosæ, inflorescentia varia; paucæ cultæ in calidariis europæis ad ornamentum, inter quas notatu digna *R. elegans* = Poir: dict: suppl: IV. p. 727. *R. formosa* Sims:, Andr: et Spr: non H. et B. (*Brasil:*). Suffrut: Pilosiuscula, folia ovata integerrima, pedunculi axillares et terminales longissimi sub-corymbosi, corollæ coccineæ amplissimæ sub-ringentis tubus sub-incurvus compressiusculus, stamina e fauce exserta. Nomen a cl: Poir: impositum retinere censui ne con-

fundatur cum *R. formosa* H. et B. etsi hæc ad *Hygrophilæ* genus amandata a Spr: syst: II. 828. In caldariis floret fere toto anno.

Species dubia vel nova.

2. *R. villanovensis* = Nob: *R....*? Mart: hb: « *R.*
» caule erecto, ramisque sub - tetragonis brevibus
» villosis, foliis ovato-lanceolatis in petiolum brevem
» attenuatis acutis sub-integerrimis superne scabrius-
» culis subtus petiolisque ciliatis, floribus axillaribus
» solitariis sub - sessilibus, calycibus ebracteatis vil-
» losis, corolla sub-ringente elongata. » Nob:

Obs: Missa a cl: Martio a *Villanova* (*Brasil:*) sine nomine specifico, accedere videtur ad *R. fœtidam* Humb: et *tubifloram* Bonpl:; differt autem a priori foliis supra *scabriusculis* subtus *villosis* nec *glabris*, ab altera iisdem notis ac absentia *acuminis*, insuper ab utraque corolla *sub-ringente*.

VII. Acanthus Lin: gen: ed: Schreb: n. 1061. excl: 1. stirpe = Spr: syst: n. 2212. = Lam: ill: t. 550. = *Acanthi* et *Dilivariæ* sp: Juss:

» *Cal:* 4-partitus inæqualis, laciniis lateralibus mi-
» noribus. *Cor:* 1 - labiata. *Stam:* 4. didynama, an-
» theris 1-locularibus barbatis. *Ovarii* loculi 2-ovu-
» lati. *Caps:* loculi abortu 1-spermi. »

Obs: Genus constans ex Spr: 6. stirpibus, inter quas 2. europææ ceteræ exoticæ, herbaceis vel fruticosis, foliis oppositis sæpius inciso-spinosis, floribus spicatis 1 - vel 3 - bracteatis.

1. *A. mollis* = L. h. Cliff: 326. (*Italiæ* et *Galliæ* merid: humentibus, *Græcia*. *Sardin*: in ruderatis umbrosis *Calari*, *Oristano* Moris st: sard: I. p. 37.). Perenn: Glaber, folia radicalia magna sinuato-pinnatifida inermia caulina profundius pinnata laciniis subdecurrentibus dentato-inermibus vel spinulosis, spica elata, flores magni 3-bracteati albi bracteis latis foliaceis spinoso-dentatis.

VIII. Blepharis Juss: gen: p. 103. = Spr: syst: n. 2713. = *Acanthi* spec: alior:

» *Cal*: duplex uterque 4-partitus, exter: ciliatus. » Cetera *Acanthi*. »

Obs: Genus artificiale, constans ex Spr: 10. stirpibus exoticis habitu ab *Acanthis* haud diversis, inter quas possideo *Bl*: *arboream* = Spr: syst: II. 809. *Acanthus* Forsk: descr: 115. (*Arabia*). Stirps arborescens glabra foliis sinuato-dentatis margine spinosis, spica densa bracteis imbricatis ciliato-spinosis, floribus rubris.

IX. Elytraria Michx: amer: I. p. 9. t. 1. = Spr: syst: n. 105. = *Justiciæ* et *Tubifloræ* spec: L. (*Diandr*: *monog*: Spr:).

» *Cal*: 4-5-partitus bracteatus inæqualis. *Cor*: 5-
» fida sub-æqualis. *Stam*: 4., quorum 2. sterilia.
» *Caps*: 2-locularis 2-valvis oligosperma. *Sem*: disse-
» pimento contrario inferne adnexa absque retina-
» culis. »

Obs: Genus constans 7-8. stirpibus exoticis habitu proprio, herbaceis plerumque acaulibus, pedunculis

elongatis dense squamatis mono - aut polystachyis, spicis dense imbricatis bracteis 1-floris. Habeo cultam in h. Ripul: *E. virgatam* = Michx: l. c. *Justicia acaulis* L. Planta perennis *Carolinæ* inferioris incola, glabra, foliis radicalibus ovato-lanceolatis subsessilibus integerrimis, scapo altissimo monostachyo, spica pollicari squamis ovatis margine membranaceis villosis, calyce 4-partito lacinia inferiore 2-dentata, corolla alba laciniis crenatis.

X. Barleria Lin: gen: ed: Schreb: n. 1051. excl: 1. stirpe = Spr: syst: n. 2220. = Lam: ill: t. 549.

» *Cal:* 4-partitus sub-æqualis. *Cor*: 2-labiata 5-
» loba. *Stam:* didynama, quorum 2. multo breviora.
» *Capsula* 4-angularis 2-locularis loculis 1-2-sper-
» mis. »

Obs: Genus nunc constans 30. circiter stirpibus fere omnibus intratropicalibus præsertim ex *Ind*: orient:, suffruticosis vel herbaceis spinosis aut inermibus, foliis plus minus ovato-oblongis plerumque integerrimis raro crenulatis, inflorescentia varia.

1. *B. cristata* = L. sp: 887. (*Ind*: orient:). Suffrut: Inermis villosiuscula, folia ovata acuta sub-integerrima, flores axillares sessiles sub-solitarii, calycis laciniæ inæquales, corolla cærulea. = 2. *B. flava* = Spr: syst: II. 828. ex Jacq: *Justicia*, *Dianthera*, *Eranthemum* Auctor: (*Arabia*). Suffrut: Inermis glaberrima, folia ovato-lanceolata, spica terminalis imbricata, calycis lacinia altera 2-fida, flores gemini sessiles ampliusculi flavi. Cult: in h. Ripul: c. priori.

XI. THUMBERGIA Lin: gen: ed: Schreb: n. 1059. = Spr: syst: n. 2222. = Lam: ill: t. 549.

» *Cal*: duplex exter: 3-sepalus (*bracteæ* COLLA), » infer: 12-fidus. *Cor*: sub-campanulata, limbo di- » viso laciniis sub-æqualibus sub-contortis. *Stam*: di- » dynama. *Stigm*: 2-lobum. *Caps*: rostrata 2-locula- » ris loculis 2-spermis. *Sem*: absque retinaculis quo- » rum vices gerunt lobuli carnosi. »

Obs: Genus constans ex SPR: 6. stirpibus exoticis, herbaceis vel fruticosis sæpe scandentibus, foliis oppositis integerrimis hastatis vel cordatis, floribus sæpius axillaribus solitariis vel confertis rarius racemosis, quibus addenda *Th*: *cordata* = Colla h. Ripul: p. 139. not: 1. tab: XXI. c. descr: *Th*: *volubilis* Pers:? Cult: in h. Ripul:

Obs: geographica circa *Acanthaceas*.

Acanthaceæ per orbem sparsæ circiter . . 400
Acanthaceæ pedemontanæ 0

Ordo CXXXII.

LENTIBULARIEÆ

(Rich: in fl: paris: I. p. 26. = R. Br: prodr: ed: 1. p. 429. ed: 2. p. 285. = Bartl: ord: nat: p. 168. = *Lysimachiis* affines Juss: gen: p. 98. = *Personatæ* Vent: = *Utricularinæ* Hoffmans:, Linck:).

Char: essentialis.

» *Cal*: persistens 2-sepalus vel 2-labiatus. *Cor*:
» decidua 2-labiata, labio infer: in calcar basi pro-
» ducto. *Stam*: 2. inclusa imæ corollæ inserta, an-
» theris simplicibus nunc medio constrictis. *Ovar*:
» 1-loculare multi-ovulatum. *Styl*: 1. brevissimus.
» *Stigm*: 2-labiatum. *Caps*: 1-locularis polysperma,
» placenta centrali magna. *Sem*: parva exalbuminosa.
» *Embr*: quandoque indivisus. »

Obs: Ordo constans 2. tantum generibus, *Primulaceis* et *Scrophularinis* affinis, sed habitu proprio distinctissimus. Herbæ humiles aquaticæ vel paludosæ per orbem sparsæ, foliis radicalibus indivisis vel compositis vesiculiferis immersis vel rarius emersis, scapis squamulosis vel nudis elongatis 1-floris vel quandoque racemosis, floribus 1-bracteatis vel rarius ebracteatis. Ex cl: Rich: embryo in toto ordine indivisus seu *monocotyledoneus* habetur, sed ex observationibus cl: R. Br: *dicotyledoneus* in *Pinguiculis* extat.

I. Utricularia Lin: gen: ed: Schreb: n. 41. = Spr: syst: n. 86. = Lam: ill: t. 14. (*Diand: monog*: L.).

» *Cal*: 2-sepalus, sepalis æqualibus indivisis. *Fila-* » *menta* incurva. *Stigm*: infundibuliforme. *Embr*: in- » divisus. »

Obs: Genus constans 70. circiter stirpibus per orbem sparsis, præsertim per *Amer*: et *N. Holl*:, 3. tantum europæis, aphyllis vel foliis radicalibus simplicibus aut compositis instructis.

❋ 1. *U. vulgaris* = L. sp: 26. = Spr: syst: I. 51. Bertol: fl: ital: I. p. 120. = Fl: dan: t. 138. Ic: taur: vol. 20. t. 25. (*Eur*: et *Amer*: bor: aq: stagn: *Pedem*: in stagnis circa *Civasso* et *Villanova Astensium*, in spongiosis prope *la Marsaglia*, in fossis circa *Borgomasino*, vulgaris est ad lacus et paludosa in planitie *Pedemontana* All: n. 197. Re fl: segus: p. 8. In aquosis trans *l'Abbadia di Stura*, abunde in stagno *della Praglia di Pianezza* dicto *la Meuja*, atque in aquis stagnantibus non procul a *S. Egidio* Re fl: tor: I. p. 35. In oryzis præsertim *di Obbiate* copiosa Biroli fl: acon: I. p. 8.). Perenn: Folia pinnata dichotomo-capillacea radiciformia utriculis compressis nervulis pellucidis instructa, scapus pauci-squamatus sub-racemosus, corolla flava grandiuscula calcare conico labium inferius sub-æquante.

❋ 2. *U. minor* = L. sp: 26. = Spr: syst: I. 51. Bertol: fl: ital: I. p. 122. = Fl: dan: t. 128. (*Eur*: aq: stagn: *Pedem*: in sylvis *Stupinixii* ex Piottaz sec: Re fl: tor: I. p. 36. In oryzis rarissime occurrit præ-

sertim in illis *di Nibbia*, *Prot* etc. Biroli fl: acon: I. p. 8. *Albæ* ad aquas stagnantes reperit Berterus). Differt a priori statura undique minori, laciniis foliorum parcius decompositis, corolla pallidius flava calcare carinato brevissimo.

II. Pinguicula Lin: gen: ed: Schreb: n. 40. = Spr: syst: n. 85. = Lam: ill: t. 14. (*Diand*: *monog*: L.).

» *Cal*: 2-labiatus, labio super: 3 - infer: 2 - fido. » *Stigm*: 2-lamellatum. *Embr:* dicotyledoneus. »

Obs: Genus habitu etiam a priori diversum, foliis radicalibus rosulatis pinguibus integerrimis, scapo nudo unifloro, constans 15. circiter stirpibus americanis vel europæis.

❋ 1. *P. vulgaris* = L. sp: 25. = Spr: syst: I. 48. Bertol: fl: ital: I. p. 115. = Fl: dan: t. 93. Ic: taur: vol. 1. t. 18. (*Eur*: fere tota. *Pedem*: ad radices Alpium in umbrosis asperis rupibus aquarum stillicidio irriguis sat frequens All: n. 199. Copiose in pratis spongiosis *di Caldemozzo* Re fl: segus: p. 8. Ad radices alpium *Aconiensium* frequens Biroli fl: acon: I. p. 7. In *Apennino Liguriæ* occiduæ retro *Pegli* locis editis dictis *la Scaggia* prope *Fontana buona*, montibus *Nicæensib*: ad *S. Martinum*, et ex rupestribus irriguis *di Saorgio* etc. Bertol: l. c.). Ann: vel perenn: Folia oblonga integerrima glanduloso-puberula margine sub-inflexa, scapus glaber bracteola sub flore instructus, stamina ovario lateralia, corolla grandiuscula purpurea calcare subulato corollam sub-æquante, capsula ovata. Huc pertinent *P. lusitanica* et

P. villosa All: n. 198. 201. non L., tum *P. grandiflora* Pollin: non Lam: Cons: quoad lusus hujusce stirpis Bertol: l. c. p. 116.

❋ 2. *P. alpina* = L. fl: lapp: XII. t. 12. f. 3. et sp: pl: 25. = Spr: syst: I. 48. Bertol: fl: ital: I. p. 118. 848. = Fl: dan: t. 453. Ic: taur: vol. 1. t. 19. (*Eur*: alpib: *Pedem*: ad nivis deliquescentis stillicidia in *M. Cenisio* loco *los Laros*, in alpibus *di Viù* et *Valdensium* non infrequens All: n. 200. In fungosis *Alpium* frequens circa lacum *M. Cenisii*, invenitur quoque prope *Segusium* loco dicto *le Gorgie* Re fl: segus: p. 8. In rupestri cavea secus rivulum excurrentem retro *Eremum*, prope *Peceto*, in valle dicta *Rivauta* Re fl: tor: I. p. 34. sub *P. flavescente* Schrad: Ad montem *Moro* et *Rosa* frequens Biroli fl: acon: I. p. 7. In monte *Margozzolo* Bertol: l. c. p. 119.). Differt a priori statura generatim minori, ac præsertim calcare crasso conico corolla alba valde breviore, capsula rostrata. *P. flavescens* Schrad: eadem ac *purpurea* Vahl: vix var: *alpinæ* constituit.

❋ 3. *P. grandiflora* = Lam: dict: vol. III. p. 21. non Pollin: = Spr: syst: I. p. 48. Bertol: fl: ital: I. p. 117. = Lam: ill: t. 14. f. 2. (*Gallia* austr: et *Hibern*:, *Ital*: *Pedem*: in alpibus *Vesuli* et in valle *Varaitæ* circa *S. Peyre* Balb: misc: p. 5. In colle *di Tenda* ex Bonjean sec: Bertol: l. c.). Differt a prioribus foliis oblongioribus, flore duplo triplove majori, calcare subulato corolla cærulea sub-longiore, staminibus ovario sub-positis, capsula conica. Specim: apuana a cl: Savi communicata perfecte quadrant cum

vesulanis. *P. longifolia* DC. non differt nisi foliis longioribus.

Obs: geographica circa *Lentibularias.*

Lentibulariæ per orbem sparsæ circiter . . 86

Lentibulariæ pedemontanæ.

Utricularia	2
Pinguicula	3
	5

Ordo CXXXIII.

PRIMULACEÆ

(Vent: tabl: II. p. 285. = R. Br: Prodr: ed: 1. p. 427. ed: 2. p. 283. = Bartl: ord: nat: p. 165. = *Lysimachiæ* Juss: gen: p. 95. sect: 1. et 2. excl: *Sheffieldia* = J. S. Hill: fam: I. p. 218. t. 39.).

Char: essentialis.

» *Cal:* regularis persistens 5- raro 4-6-7-fidus.
» *Cor:* regularis decidua limbi laciniis lobis calycinis
» numero æqualibus iisque alternis. *Stam:* totidem
» epipetala laciniis corollæ oppositis (an semper?),
» filamentis quandoque basi monadelphis, antheris
» incumbentibus 2 - locularibus. *Ovar:* 1 - loculare
» multi - ovulatum. *Styl:* 1. *Stigm:* sæpissime capita-
» tum. *Caps:* sæpius valvata, placenta centrali libera.
» *Sem:* numerosa peltata albuminosa. *Embr:* inclusus
» hilo paralellus. *Radic:* vaga. *Cotyl:* foliaceæ integræ. »

Obs: Ordo satis naturalis *Myrsineis* affinis, sed habitu et fructu capsulari distinctissimus, constans 20. circiter generibus. Herbæ vel rarius suffrutices plerique in hemisphæri borealis plagis frigidioribus vel temperatis degentes, foliis simplicibus sæpius integris oppositis verticillatis vel sparsis haud raro supra radicem confertis, cauligeris vel scapigeris, floribus solitariis aggregatis racemosis aut umbellatis plerumque elegantibus.

I. Cyclamen Lin: gen: ed: Schreb: n. 262. = Spr: syst: n. 613. = Lam: ill: t. 100.

» *Cal*: campanulatus semi-5-fidus. *Cor*: tubus sub-
» globosus brevissimus, limbus 5-partitus laciniis re-
» troflexis. *Stam*: brevissima antheris sagittatis in-
» clusis. *Caps*: globosa apice dentibus 5. dehiscens
» (*bacca 5-valvis tecta putamine capsulari* Juss:). »

Obs: Genus constans 10. circiter stirpibus parum distinctis præsertim laciniarum corollæ structura, fere omnibus europæis, perennibus, radice tuberosa, foliis omnibus radicalibus sæpius cordatis discoloribus scapigeris, scapo 1-floro, floribus conspicuis plerumque suaveolentibus. *C. linearifolium* DC. quod forma foliorum a ceteris valde distinctum esset, quodque inventum dicitur circa *Draguignanum* a cl: Olivier, disparuit ceu DC. ipse nos monet, nec extat in ejus herbario.

✱ 1. *C. europæum* = L. mat: med: p. 57. = Spr: syst: I. 572. = Jacq: austr: V. p. 1. t. 401. Ic: taur: vol. 25. t. 51. Vern: *Pan poursin* (*Eur*: austr: *Pedem*: abunde in saxosis prope viam ducentem ad pagum *Viù*, ad radices montium *Canapiciens*: et *Bugellens*: frequens, inter *Aviliana* et *Giaveno*, *Sabaud*: prope *Annecy* All: n. 324. Re fl: segus: p. 19. In rupibus collium *di Maggiora*, *Arona*, *Romagnano* etc. Biroli fl: acon: I. p. 66.). Tuber sub-rotundus depressus magnus uti in ceteris stirpibus, folia cordata plus minus orbiculata denticulata subtus purpurascentia superne viridia sæpius maculis sinuosis albescentibus picta, corolla purpurea vel alba suaveo-

lens laciniis lanceolatis, pedunculi in flore erecti, in fructu spiraliter contorti ad tellurem usque. Variat foliorum forma, florum colore etc. Cons: R. et S. syst: IV. p. 129.

✻ 2. *C. hederæfolium* = Ait: h. Kew: I. p. 196. = Spr: syst: I. 572. = Lob: ic: 605. Pass: hort: flor: autumn: p. 14. t. 14. sec: Bertol: am: ital: p. 18. (*Ital*: *Liguria* pro var: β foliis hysteranthiis Viv: ann: bot: I. part: 2. p. 167. et Bertol: l. c. *Sardin*: in sylvis frequens Moris st: sard: I. p. 37.): Vix differt a priori, cujus probabiliter var:, foliis angulatis; in var: β laciniæ corollæ sunt late ovatæ, flores inodori, folia post inflorescentiam prodeunt. Ad hanc var: referendum *C. neapolitanum* Tenor: sec: Bertol: l. c.

3. *C. persicum* = Mill: dict: n. 3. (*Græcia*). Differt a præcedentibus statura majori, foliis cordato-reniformibus, laciniis corollæ obtusis, floribus constanter? albis vix odoratis. Cult: in h. Ripul: ad ornamentum.

II. Dodecatheon Lin: gen: ed: Schreb: n. 261. = Spr: syst: n. 614. = Lam: ill: t. 99.

» *Cal*: semi-5-fidus, laciniis sub-reflexis. *Cor*: tubus » abbreviatus oblongus, laciniis retroflexis. *Stam*: bre- » vissima antheris extra tubum exsertis sagittatis con- » niventibus. *Caps*: oblonga apice dehiscens. »

Obs: Genus in fructificatione parum a *Cyclamine* diversum, sed habitu distinctissimum, constans ex Spr: 3. stirpibus *Amer*: bor: incolis, radice perenni fibrosa nec tuberosa, foliis radicalibus oblongis repando-dentatis vel integerrimis, scapo elongato apice

umbellifero involucrato, umbellis multi- vel pauci-floris. Undique in hortis colitur ad ornamentum *D. Meadia* = L. am: acad: III. p. 16., in quo folia sunt repando-dentata, scapus altissimus, umbellæ multifloræ laxæ (sæpius 12-floræ, ex quo nomen genericum), involucri foliola ovata radiis multoties breviora, corolla dilute purpurea, antheræ flavidæ basi macula atro-purpurea notatæ.

III. SOLDANELLA Lin: gen: ed: Schreb: n. 260. = Spr: syst: n. 615. = Lam: ill: t. 99.

» *Cal*: 5-fidus, laciniis lanceolatis erectis. *Cor*: cam-
» panulato-infundibuliformis fimbriato-lacera. *Stam*:
» inclusa, antheris sagittatis adnatis. *Caps*: cylindrica
» apice multi-dentato-dehiscens. »

Obs: Genus constans unica stirpe sequenti.

❋ 1. *S. alpina* = L. h. Cliff: 49. = Spr: syst: I. 513. = Jacq: austr: t. 13. Ic: taur: vol. 7. t. 73. (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: ubique ad nivem deliquescentem prima florens occurrit in Alpibus ALL: n. 323. In pascuis umbrosis *M. Cenisii* et prope *la Fabbrica del marmo* RE fl: segus: p. 19. In uliginosis Alpium uti etiam in pratis spongiosis collium *di Gattico* et ad lacum *Cusii* ubi crescit promiscue cum *S. Clusii* BIROLI fl: acon: I. p. 65.). Herba pumila perennis, folia radicalia longe petiolata reniformi-sub-orbiculata, scapus multiflorus (1-florus in *S. minima* HOPP: var:), stylus corolla brevior vel longior in *S. montana* W. var:; laciniæ calycinæ adpressæ vel patentes in *S. montana*; corolla lilacina vel albida plus minus fimbriata aut sub-integra in *S. Clusii* SMITH: var:

IV. CORTUSA Lin: gen: ed: Schreb: n. 260. = Spr: syst: n. 609. = Lam: ill: t. 99.

» *Cal*: campanulatus 5-fidus, laciniis lanceolatis sim-
» plicibus vel apice 3-dentatis. *Cor*: tubus brevissi-
» mus sensim ampliatus in limbum 5-fidum, laciniis
» ovatis obtusis. *Antheræ* 2-loculares tubo innatæ.
» *Styl*: corolla longior. *Caps*: oblonga 2-valvis apice
» 5-7-dentata. »

Obs: Ex LIN: aliisque Auctoribus tribuitur *Cortusæ* annulus elevatus ad faucem corollæ, de quo silet GÆRTN: fruct: I. p. 231.; immo cl: SCHULT: asseruit illum nunquam vidisse nec veram faucem distinguere potuisse, quod nec nobis datum fuit; tubus equidem annularis cui insident stamina. Stirpes jam 2., nunc *C. Gmelini* ad *Androsacem* amandata, unica sequens.

❄ 1. *C. Matthioli* = L. h. Cliff: 50. = Spr: syst: I. 570. = Jacq: ic: rar: t. 32. All: ped: 340. t. 5. f. 3. Ic: taur: vol. 15. t. 34. (Alpib: *Austriæ, Sibir*:, *Silesiæ*. *Pedem*: abunde in umbrosis ex valle *Exilliarum*, versus jugum *Assietta*, in summa valle *di Chison* inter *les Traverses* et *Sestriers*, similibus locis inter *Tignes* et *Laval* ALL: n. 340. In rivo *di Codizar* supra *Chalmontium* RE fl: segus: p. 19. Ipse legi in *M. Cenisio* ultra lacum loco umbroso occidentem versus, sed rara). Herba perenn: villosa, folia radicalia longe petiolata cordato-orbiculata rotundato-lobata lobis inciso-dentatis, scapus elongatus umbellatus multiflorus involucri foliolis 3-5. lanceolatis radio multoties brevioribus, flores rosei.

V. Primula Lin: gen: ed: Schreb: n. 258. = Spr: syst: n. 616. = Lam: ill: t. 98.

» *Flores* sub-umbellati involucrati. *Cal*: tubulosus » angulatus 5-dentatus vel 5-fidus. *Cor*: tubulosa, » fauce nuda vel glandulosa, limbo 5-lobo. *Stam*: » inclusa. *Stigm*: globosum. *Caps*: apice 10-dentata » dehiscens. »

Obs: Genus numerosissimum pulcherrimumque, constans 60. circiter stirpibus ex regionibus frigidis temperatisve *Eur*:, *Asiæ* et *Amer*:, plerumque herbaceis scapigeris rarius caulescentibus vel basi suffruticosis, foliis plus minus ovato-oblongis sæpe cordatis simplicibus integris vel varie denticulatis villosis vel glabris, floribus sæpius conspicuis in nonnullis stirpibus valde variantibus præsertim cultura.

1. *Foliis villosis.*

1. *Pr*: *prænitens* = Spr: syst: I. 573. ex Ker: *Pr*: *sinensis* Lindl: non *chinensis* Lour: *Pr*: *sertulosa* Kichk: bot: mag: t. 2564. (*China*). Basi fruticulosa crassa divaricato-ramosa undique viscoso-villosa, folia cordata sub-orbiculata 7-9-loba lobis oblongis inciso-dentatis subtus petiolique purpurascentes, umbella multiflora laxa prolifera, involucri foliola lineari-lanceolata incisa radiis triplo breviora, calyx ventricosus basi truncatus, corolla ampla hypocrateriformis fauce nuda limbo patentissimo laciniis apice emarginatis vel crenulatis. Stirps speciosissima nunc in frigidariis europæis abunde culta, ubi variat corolla

plus minus intense purpurea vel alba quandoque plena monstruosa. Cons: A. Brogniart in ann: sc: nat: 1834. part: 2. p. 308.

✱ 2. *Pr*: *suaveolens* = Bertol: journ: de bot: tom: IV. p. 76. n. 1. et am: ital: p. 95. 131. 341. = Spr: syst: I. 573. = Moris: oxon: s. 5. t. 24. f. 4. *Pr*: *Columnæ* Tenor: fl: nap: I. p. 54. n. 50. t. 13. (*Ital*: *Pedem*: in *M. Cenisio* ubi ipse copiosissimam inveni descendendo versus *Lanslebourg* et in alpib: *Monregalensib*: Re app: II. p. 194. In monte *Remazzo* et in proximis montibus *della Scaggia Liguriæ* occiduæ, in *M. Porcile Liguriæ* orient: Bertol: l. c.). Perenn: Folia cordato-ovata in petiolum sub-decurrentia rugosa crenulata, scapus elongatus multiflorus, involucri foliola linearia inæqualia, flores brevi - pedicellati, calyx campanulatus 5 - carinatus, corolla mediocris lutea primum suaveolens cito inodora.

✱ 3. *Pr*: *veris* = W. sp: I. 800. = Spr: syst: I. 573. *Pr*: *veris* α *officinalis* L. sp: I. 204. = Fl: dan: t. 433. Ic: taur: vol. 2. t. 22. sub *Pr*: *officinali*? Vern: *Primula*, *Primavera*, *Fior d' cuc* uti omnes species indigenæ (*Eur*:, *Tauria*, *Afr*: bor: sec: Spr: *Pedem*: in pratis apricis subalpinis All: n. 232. sub *Pr*: *officinali*. *Pr*: *acaulis* All: sec: Balb: et Biroli in mss: Re fl: segus: p. 18. ubi tam *Pr*: *veris* quam *acaulem* refert. Ad margines sylvarum Biroli fl: acon: I. p. 64.). Vix differt a priori floribus omnibus nutantibus, corollæ limbo concavo brevissimo. Certe hæc non est *Pr*: *acaulis* All: nec *Pr*: *elatior* Jacq: cum quibus a nonnullis confusa, sed potius referenda videtur ad *Pr*: *officinalem* All: ceu constat præsertim

ex syn: Bauh: ab ipso huic plantæ tributo (*Pr: veris odorata flore luteo simplici*), quod etiam refertur a W. sub sua *Pr: veris*. Ceterum tam hæc quam prior et seqq: usque ad n. 10. forsan unius typi progenies; ex seminibus cultura innumeras producunt subvarietates in hortis nostris luxuriantes.

* 4. *Pr: acaulis* = All: pedem: n. 331. = Spr: syst: I. 573. = Fl: dan: t. 194. sub *Pr: veris γ acaulis* ex L. Ic: taur: vol. 2. t. 14. (*Eur*: fere tota. *Pedem*: ubique in pratis et sylvis adveniente vere All: l. c. Re fl: segus: p. 18. et fl: tor: I. p. 121. sub *Pr: vulgari*). In hac scapus brevissimus sub terra latet, umbella vix ad superficiem telluris adparet, radii folia sub-æquant et primo intuitu totidem scapi solitarii videntur, corollæ limbus planus est ac major quam in priori, flores erectiusculi.

* 5. *Pr: elatior* = Jacq: misc: p. 158. = Spr: syst: I. 574. = Fl: dan: t. 434. *Pr: veris elatior* var: *β* L. sp: 204. (*Eur*: *Pedem*: circa *Sturam* Re fl: tor: I. p. 121. In pratis circa *Varallo* frequens Biroli fl: acon: I. p. 65.). Medium tenere videtur inter *Pr: veris* cui accedit scapo elato nec sub-terraneo, sed differt corollæ limbo majori plano nec concavo, et *Pr: acaulem* forma et magnitudine corollæ. Cl: All: memorat *Pr: elatiorem* sub *Pr: acauli*, sed addit ei nunquam occurrisse.

* 6. *Pr: viscosa* = All: ped: n. 338. non Lam: nec Vill: = Spr: syst: I. 574. = All: l. c. t. 5. f. 1. Ic: taur: vol. 14. t. 71. f. 1. (*Pyren*: sec: DC. *Pedem*: circa thermas *Valderii* ad rupes All: l. c. c. descr:). Dignoscitur foliis linguiformibus sub-integerrimis ca-

lycibusque viscoso-villosis, umbella sub-8-flora, involucri foliolis ovatis brevibus, floribus cæruleis. *Pr*: *viscosa* Lam: pertinet ad *Pr*: *villosam* Jacq: nec Spr:

❀ 7. *Pr*: *pubescens* = Loisl: fl: gall: I. p. 114. = Spr: syst: I. 574. = Wulf: in Jacq: misc: I. p. 157. t. 18. *Pr*: *hirsuta* Lam: non All: *Pr*: *villosa* var: β W. (Alpibus *Eur*: med: *Pedem*: in alpibus *di Ceresole* reperit Re app: III. p. 6. Habeo etiam ex cl: Bertola lectam in colle *di S. Giovanni*). Folia oblongiora quam in præcedentibus crenata, umbella multiflora, flores rubro-badii.

❀ 8. *Pr*: *villosa* = Jacq: misc: I. p. 159. = Spr: syst: I. 574. = Jacq: austr: V. app: t. 27. Ic: taur: vol. 18. t. 75. sub *Pr*: *hirsuta* All: non Lam: *Pr*: *viscosa* Lam: non All: (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: ubi desinit *Pr*: *auricula* incipit *Pr*: *hirsuta* atque vulgaris est similibus locis in tota Alpium catena quæ a *M. Vesulo* in *Sabaud*: et *Helvet*: continuatur, in summis editissimis Alpibus quandoque minima est et uniflora All: n. 337. sub *Pr*: *hirsuta* c. descr: In *M. Cenisio* et in montibus *Javenensib*: Re fl: segus: p. 19.). Accedit ad *Pr*: *viscosam* n. 6., sed folia serrulata. Ei quoque admodum affinis est *Pr*: *ciliata* Schrank: a R. et S. syst: IV. p. 148. descripta, et, nescio qua auctoritate, in alpibus etiam *pedemontanis* indigena laudata.

❀ 9. *Pr*: *Allionii* = Loisl: journ: de bot: II. p. 262. t. 11. f. 2. = Spr: syst: I. 574. = Loisl: l. c. et fl: gall: suppl: p. 38. t. 3. *Pr: glutinosa* All: auct: p. 6. non L. *Pr*: *viscosa* Vill: non All: (*Pedem*: e rupium fissuris locis umbrosis quæ pluvia non alluit

neque sol percellit circa *la Madonna delle Finestre* All: l. c.). Optima et distinctissima stirps prorsus nana, foliis unguicularibus rosulatis ovato-cuneiformibus obsolete crenatis glutinoso-pubescentibus, scapo 1-floro foliis breviore, corolla maxima. Nomen ab All: impositum rite mutatum, extat enim antiquior *Pr: glutinosa* L. toto cœlo diversa.

2. *Foliis glabris.*

10. *Pr: Palinuri* = Petagn: inst: bot: II. p. 332. (*Neapol*: ad *Palinuri* promomptorii rupes). Pulcherrima species caudice elongato crasso, foliis 3-pollicaribus et ultra spathulatis serratis carnosulis, scapis lateralibus foliis longioribus, umbellis 50-circiter floris, involucri foliolis inæqualibus 1. sæpius maximo pedicellis longiore, calycibus densissime farinosis, corollis luteis odoratis tubo longissimo limbo campanulato laciniis ovatis emarginatis. An typus seqq: ad n. 14.?

*? 11. *Pr: microcalyx* = Lehm: mon: Primul: p. 46. = Spr: syst: I. 575. = Lehm: l. c. t. 4. (In *Liguria* Spr: l. c. In alpibus prope *Nicæam* R. et S. syst: IV. p. 135. ex Colomann:). Fide Auctorum cit: stirpem hanc, quam numquam vidi, refero inter indigenas. « *Pr*: foliis obovato-cuneiformibus profunde » crenato-dentatis glabris, umbella multiflora, involucri foliolis rotundato-ovatis minimis, calycibus » brevissimis hiantibus. (*Diagn*: ex Lehm:). »

* 12. *Pr: marginata* = Curt: bot: mag: 191. = Spr: syst: I. 575. = Lam: ill: t. 98. f. 3. sub *Pr*:

crenata (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: ad rupes locis umbrosis maritimarum alpium ubique Balb: misc: alt: p. 9. In monte *Rosa* et *Turlo* nec non supra *Vanzone* et *Macugnaga* Biroli fl: acon: I. p. 65. sub *Pr*: *crenata*). Caudex crassus, folia ovato - oblonga crenato-dentata albo-emarginata, scapi folio parum longiores, umbellæ multifloræ, involucri foliola radiis 3 - 4 - breviora sub - rotunda, cor: mediocris rubella. Variat statura majori, foliis profundius crenatis nec albo-marginatis.

❋ 13. *Pr*: *Auricula* = L. sp: I. 205. = Spr: syst: I. 575. = Jacq: austr: t. 415. Ic: taur: vol. 2. t. 33. 34. f. 2. et vol. 13. t. 32. Vern: *Ourie d'ours* (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: in summis Alpibus e rupium fissuris frequens, apud nos plerumque purpureos flores ostendit, sed in alpibus tantum nascitur quæ a *M. Vesulo* ad alpes maritimas procedunt; var: flore luteo crescit circa thermas *Valderii* All: n. 336. c. descr: Ad fissuras alpium Aconiensium vulgaris, ubi foliis sub - hirsutis variat Biroli fl: acon: I. p. 65. Hanc habeo quoque ex Perret lectam in *Sabaud*: ad fissuras montis dicti *aux Pertuis*). Crassa sub-carnosa, folia obovata integerrima vel sub-crenata quandoque pulverulenta vel margine ciliolata, scapus folia subæquans multiflorus, involucri foliola ovato-rotundata radiis breviora, calyx sub - farinosus, corolla ampla suaveolens limbo plano. Variat multimode magnitudine partium, et præsertim colore florum ex purpureo ad flavum sæpius variegato. Ubique in hortis culta ad ornamentum; varr: ultra 300. laudant Anthophili.

* 14. *Pr: longiflora* = All: ped: n. 335. = Spr: syst: I. 575. = Jacq: fl: austr: V. t. 46. All: l. c. t. 39. f. 3. (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: in alpibus *Garrexii le Carense*, in valle *Macrœ* prope *la Brusa*, in alpibus *di Vraita* All: l. c. c. descr:). Differt a præcedentibus hujusce sectionis foliis sub - sessilibus oblongis subtus pulverulentis, ac præsertim umbella nutante pauciflora, involucri foliolis subulatis, calyce fere ad basim 5 - partito, corollæ tubo calyce triplo longiore limbi laciniis profunde emarginatis.

* 15. *Pr: farinosa* = L. sp: I. 205. non Nutt: = Spr: syst: I. 575. = Fl: dan: t. 125. Ic: taur: vol. 2. t. 39. (*Eur*: *Pedem*: in pratis irriguis alpium ad nivem deliquescentem uberrime All: n. 334. In pascuis et pratis humidis montanis et alpestribus, abunde prope *li Durant*, in montibus *S. Georgii* Re fl: segus: p. 19. In summis alpibus *di Cepomorello* unice Biroli fl: acon: I. p. 65.). Folia spathulato-lanceolata in petiolum longum attenuata subtus farinosa, scapi folio longiores sub - multiflori, calyx tubo corollæ carneæ parum brevior, faux glandulosa ex quo ad *Androsacem* accedit. *Pr: farinosa* Nutt: pertinet ad *Pr: pusillam* Gold:

* 16. *Pr: integrifolia* = Jacq: obs: II. p. 26. non Wulff: = Spr: syst: I. 576. = Jacq: l. c. t. 15. et fl: austr: t. 327. Ic: taur: vol. 2. t. 26. 27. f. 2. et t. 28. 29. 30. f. 1. (In summis alpib: *Eur*: merid: Ad radicem montium *Hungar*: et *Styriœ*. *Pedem:* ex alpibus *Vinadii* All: n. 339. Nascitur etiam in alpibus *di Tenda* observante cl: Bellard:). Folia elliptica integerrima margine sub - ciliata, scapus foliis

longior superne sub-glutinosus 1-3-florus, involucri foliola 1-3-subulata, corollæ carneæ tubus calyce obtusissimo duplo longior fauce villosa limbo patente.

VI. ANDROSACE Lin: gen: ed: Schreb: n. 257. = Spr: syst: n. 617. = Lam: ill: t. 98. = *Androsace* et *Aretiæ* spec: L.

» *Cal*: 5-gonus 5-dentatus. *Cor*: hypocrateriformis » fauce glandulosa. *Caps*: 5-valvis 5-vel 10-sperma. » Cetera *Primulæ*. »

Obs: Genus *Primulæ* valde affine, constans 30. circiter stirpibus generatim pygmeis, Alpium incolis, herbaceis vel raro suffruticulosis, foliis simplicibus, floribus umbellatis in *Androsace* vera, vel solitariis in *Aretia*. Recte a cl: LAM: *Aretiæ* genus cum *Androsace* conjunctum.

1. Floribus umbellatis (*Androsace* L.).

❄ 1. *A. maxima* = L. h. Cliff: 50. = Spr: syst: I. 577. = Jacq: austr: t. 331. Ic: taur: vol. 18. t. 98. f. 1. (*Eur*: med:, *Sibir*: *Pedem*: in arvis circa *Fenestrelle* ALL: n. 325. et circa *Exilles* ALL: auct: p. 6. In arvis calidis provinc: *Segusianæ* RE fl: segus: p. 18.). Ann: Villosa, folia radicalia cæspitosa ovato-oblonga dentata, scapus elongatus, umbella multiflora, involucri foliola oblonga sub-coriacea dentata radiis sublongiora, corolla parva alba fauce flava, fructus pro genere maximi.

❄ 2. *A. villosa* = L. sp: 203. = Spr: syst: I. 577. = Jacq: coll: I. p. 193. t. 12. f. 3. non Jacq:

austr: Ic: taur: vol. 15. t. 69. f. 5. (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: abunde in altissimis jugis *l'Assiette*, *Jallion* et *Albergian*, copiose supra *Sestieres*, *Oulx* et *Pampliné*, in edito jugo *la Vanoesa*, in altioribus montibus supra *Tenda* All: n. 330. excl: syn: Jacq: In alpe *Jallion* crescit var: *uniflora* All: spec: pedem: p. 22. In apricis circa *il Bosco nero* copiosissima Re fl: segus: p. 18. In summis jugis *del Sempione* prope *Gondo* Biroli fl: acon: I. p. 64.). Perenn: Cæspitosa, folia rosulata parva lanceolata convexiuscula ut tota planta albo - villosissima, scapus brevis gracillimus, involucrum 2-5-florum foliolis flore longioribus, corolla calyce longior albo-rosea fauce glandulis rubris luteisve. Syn: Jacq: ab All: citatum pertinet ad stirpem seq:

❀ 3. *A. Chamæjasme* = Wulf: in Jacq: coll: I. p. 194. = Spr: syst: I. 678. = Jacq: austr: t. 332. sub *A. villosa*. *A. obtusifolia* All: pedem: n. 326. t. 46. f. 1. et ic: taur: vol. 25. t. 69. f. 1. (Alpib: *Eur*: med:, *Sibir*: *Pedem*: abunde in herbidis nivosis jugi *du Vallon* in valle *d'Exilles*, in alpibus *Savine* et in utroque *M. Cenisio*, secus viam quæ ex monte *Vallon de Chaumont* ducit ad superiorem *Crai du Cradenage*, in summis alpibus *Graiis* All: l. c. Re fl: segus: p. 22. Ad nives deliquescentes *della Rosa*, *Turlo* etc. Biroli fl: acon: I. p. 64., omnes sub *A. obtusifolia*). Valde priori affinis, sed differt tota glabra vel vix ciliata, scapis elongatis, calyce turbinato. Variat foliis prorsus glabris obtusiusculis (*A. obtusifolia* All:), vel margine ciliatis acutioribus (*A. Cha-*

mæjasme). Differentiæ hæ tam leves, ut auctoritate etiam cl: Spr: hasce stirpes in unam conjungere satius existimaverim. Idem dicendum de *A. affini* Birol: in *Giorn: di fisica di Pavia* 1820. dec: II. Bim: IV. c. ic:, inventa in montibus editioribus *Monregalensib*:; ludit inter *A. villosam* et *Chamæjasme*.

❊ 4. *A. lactea* = L. sp: 204. excl: syn: All: = Spr: syst: I. 578. = Jacq: austr: t. 333. *A. pauciflora* Vill: delph: II. p. 477. t. 15. (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: in alpibus *di Briola tinta* et vallis *Dobbia* sec: Biroli mss: *Sabaud*: in monte *Venoesa* Bellard: app: p. 16. sub *A. pauciflora*). Perenn: Sub-caulescens glabra, folia lineari-lanceolata, scapi filiformes magis elongati quam in præcedente pauciflori, involucri foliola radiis multoties breviora, corolla nivea calyce turbinato longior.

❊ 5. *A. carnea* = L. sp: 204. = Spr: syst: I. 578. = Pluk: alm: 332. t. 108. f. 5. All: ped: t. 5. f. 2. Ic: taur: vol. 15. t. 69. f. 1. (Alpib: *Eur*: med: *Pedem:* similibus locis crescit ac *A. obtusifolia* All: n. 327. c. descr: Ubique in pascuis *M. Cenisii* Re fl: segus: p. 18. In *M. Rosa* Biroli fl: acon: I. p. 64.?). Vix differt a duabus præcedentibus foliis tenuissime sub-hirsutis, radiis brevioribus, corollæ carneæ laciniis integerrimis. Observat cl: Biroli, plantas in *M. Rosa* lectas ad figuram Vill: delph: II. t. 15. magis accedere quam ad W. descriptionem; hinc dubito illas ad veram *A. carneam* non esse referendas, ac potius spectare ad *A. paucifloram* seu ad *A. lacteam* L.

2. Floribus solitariis (*Aretia* L.).

* 6. *A. Aretia* = Lapeyr: pyren: p. 91. = Spr: syst: I. 678. *A. helvetica* L. = Hall: hist: n. 617. t. 2. Ic: taur: vol. 15. t. 69. f. 4. sub *Androsace helvetica* (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: in jugo altissimo *M. Silvio* prope *Alagna*, in alpibus supra *Cima*, in alpibus *Nicæensib*: loco dicto *le grand Mauros* All: n. 329. In summis alpibus uti ad *M. Turlum*, *Morum*, *Sempionem* abundat Biroli fl: acon: I. p. 63.). Perenn: Pusilla villoso-canescens, folia ovata crassiuscula minima arcte imbricata, flores terminales sub-sessiles albi. Huc pertinet sec: Spr: *A. bryoides* DC. quæ reapse ex specim: meis non differt. An idem dicendum de *A. imbricata* Lam: quam cl: Spr: sub *argentea* Lapeyr: dubitanter enumerat? Valde dubito; habitus identicus, flores et capsula intra calycem plus minus sessiles characterem nimis levem præbent. Cons: tamen R. et S. syst: IV. p. 159. 160. 161.

* 7. *A. alpina* = Lapeyr: pyren: p. 93. = Spr: syst: I. 578. Sub *Aretia* L. sp: 203. = Hall: hist: I. n. 618. t. 11. Ic: taur: vol. 15. t. 69. f. 3. (Alpib: *Eur*: med: *Pedem*: non infrequens in summis jugis quæ a *Rochemelon* usque ad montem *Silvium* protenduntur All: n. 328. In editioribus vento perflatis *M. Cenisii* supra *la Posta* et loco dicto *L'eau blanche* Re fl: segus: p. 18. Ad montem *Rosa* Biroli fl: acon: I. p. 63.). Perenn: Folia oblonga plus minusve pubescentia pube ramosa, flores pedunculati axillares et terminales, corollæ cæruleæ lobi emarginati.

* 8. *A. ciliata* = DC. fl: fr: n. 2358. = *A. alpina* var: Spr: syst: I. 578. = DC. ic: gall: rar: t. 6. (*Pyren: Pedem*: lecta a D. Giusta in valle *Dobbia* ad montem *Olenotro*). Admodum priori propinqua et cum ea confusa a Spr:, sed differt foliis longioribus margine evidenter ciliatis pube furcata simplici nec ramosa obductis, lobis corollæ integris. Huc referenda *A. pubescens* DC. fl: fr: 2352. quæ differt tantum pube densiori, pedunculis brevioribus.

* 9. *A. Vitaliana* = Lapeyr: pyren: p. 49. = Spr: syst: I. 578. = Jessle epist: p. 71. t. 10. f. 1. Sub *Primula* L. sp: 206. Ic: taur: vol. 4. t. 71. f. 3. (Alpib: *Eur*: med: *Pedem:* frequentissima ad nivem deliquescentem in alpibus, sed parcius in montibus *Helveticæ* proximis et *Sabaud:*, ea carent *Alpes maritimæ* All: n. 333. sub *Primula* c. descr: Frequens in pascuis *M. Cenisii* Re fl: segus: p. 18. Ad montem *Morum* non procul a glacie unice Biroli fl: acon: I. p. 63.). Perenn: Ramosa, folia lineari-lanceolata supra glabra subtus pubescentia, flores brevi-pedunculati axillares et terminales majores quam in præcedentibus hujusce sectionis, corollæ luteæ lobi conniventes.

VII. Trientalis Lin: gen: ed: Schreb: n. 626. = Spr: syst: n. 1392. = Lam: ill: t. 275. (*Hept: mon*: L).

» *Cal*: 7-partitus. *Cor*: rotata 7-partita æqualis
» plana. *Stam*: 7. corollæ basi inserta. *Stigm*: capi-
» tatum. *Bacca* exsucca globulosa 1-locularis suturis
» dehiscens. »

Obs: Genus constans unica stirpe (*Tr: europæa*)

ex *Eur*: et *Amer*: bor: nec non sec: DC. ex *Arduena* sylva circa *S. Hubertum*. Herba perennis pumila glaberrima inferne squamosa squamis alternis superne prædita foliis 5-9-verticillatis ovato-lanceolatis inæqualibus, pedunculus terminalis filiformis 1 - florus sæpius solitarius, calyx coloratus, corolla extus purpurea intus lactea. Quandoque flos est 5-6-fidus cum totidem staminibus. Plantæ americanæ foliis gaudent angustius lanceolatis, ceterum non differunt (*Tr*: *americana* Pursh:).

VIII. Hottonia Lin: gen: ed: Schreb: n. 285. excl: *H. indica* = Spr: syst: n. 623. = Lam: ill: t. 100.

» *Cal*: 5-partitus laciniis linearibus. *Cor*: hypocra-
» teriformis limbo explanato 5 - lobo. *Antheræ* in
» fauce tubi. *Stigm*: globosum. *Caps*: globosa evalvis
» stylo coronata. »

Obs: Genus constans 3. stirpibus, una tantum europæa, habitu proprio, foliis pectinato-multifidis, floribus verticillatis pedunculatis vel sessilibus, quandoque 8-fidis cum totidem staminibus. *H. indica* L. nunc pertinet ad *Gratiolam trifidam* W. (*Limnophila trifida* R. Br:).

❀ 1. *H. palustris* = L. h. Cliff: 51. = Spr: syst: I. 532. = Lam: ill: t. 100. (*Eur:* fossis et aquis stagnantibus. *Pedem:* iisdem locis et circa lacus All: n. 347. Prope *Montemcalerium* in rivulo secus viam et in sylvis *Stupinixii* prope *Sangone* Re fl: tor: I. p. 122. Ad *Verbanum* versus *Ingera* rara Biroli fl: acon: I. p. 66.). Perenn: Glabra sarmentosa, folia immersa laciniis linearibus integerrimis, caulis erectus longe

supra aquam elatus, flores pedunculati, corolla incarnata.

IX. Lysimachia Lin: gen: ed: Schreb: n. 269. = Spr: syst: n. 611. = Lam: ill: t. 101.

» *Cal*: 5-fidus. *Cor*: rotata. *Filamenta* basi dilatata
» sub-connata. *Stigm*: obtusum. *Caps*: globosa mu-
» cronata 5-10-valvis. »

Obs: Genus constans 25. stirpibus circiter per orbem sparsis præsertim ex *Eur*: et *Amer*: bor:, perennibus, foliis integris oppositis verticillatisve, pedunculis racemoso-multifloris vel 1-floris. Nonnullæ cultæ ad ornamentum.

1. *Pedunculis racemoso-multifloris.*

✻ 1. *L. vulgaris* = L. virid: Cliff: 415. = Spr: syst: I. 57. = Fl: dan: t. 689. Ic: taur: vol. 2. t. 41. (*Eur*:, *Asia*. *Pedem*: frequentissime ad fossas et loca aquosa All: n. 341. Re fl: segus: p. 19. et fl: tor: I. p. 123. Secus aquæductus præsertim oryzis et pratis Biroli fl: acon: I. p. 67.). Elata glabriuscula, folia lanceolata opposita vel varie verticillata, panicula terminalis ramis racemosis, flores bracteati mediocres aurei, stamina basi coalita.

2. *Pedunculis 1-floris.*

✻ 2. *L. punctata* = L. h. Cliff: 52. = Spr: syst: I. 571. = Jacq: austr: t. 366. Ic: taur: vol. 26. t. 76. (*Austria*, *Bohemia*, *Hollandia*, *Ital*: *Pedem*: in pro-

vinciæ *Aquensis* pascuis sub-humidis All: n. 342.). Sub-simplex pubescens, folia opposita vel verticillata ovato-lanceolata sæpius subtus punctis fuscis notata, pedunculi axillares verticillati folio breviores, flores flavi glanduloso-ciliati, filamenta basi connata.

❋ 3. *L. nemorum* = L. h. Cliff: 52. = Spr: syst: I. 572. = Fl: dan: t. 174. Ic: taur: vol. 19. t. 52. (*Eur*: nemoribus. *Pedem*: in sylvis et dumetis irriguis circa *Varallo* et torrentem oppidi *Monastero Montisregalis* et secus torrentem loco dicto *Montenotte* in provincia *Aquensi* All: n. 344. In sylvis umbrosis alpestribus Re fl: segus: p. 19. In dumetis irriguis circa *Varallo* Biroli fl: acon: I. p. 67.). Pumila procumbens basi radicans, folia opposita ovata, pedunculi axillares solitarii graciles folio sub-longiores, flores tenelli aurei.

❋ 4. *L. nummularia* = L. virid: Cliff: 13. = Spr: syst: I. 572. = Fl: dan: t. 493. Ic: taur: vol. 2. t. 45. Vern: *Dorbin* (*Eur*: *Pedem*: vulgaris locis humectis atque in pratis umbrosis All: n. 345. Re fl: segus: p. 19. Speciatim in nemoribus *del Parco della Veneria* Re fl: tor: I. p. 67.). A ceteris statim distinguitur foliis cordato-sub-orbiculatis.

❋ 5. *L. Linum stellatum* = L. h. Ups: 37. = Spr: syst: I. 572. = Magn: monsp: 163. t. 162. (*Gallia austr*:, *Ital:*, *Græcia*. *Pedem*: in vineis circa *Segusium*, in agro *Nicæensi* frequens All: n. 343. Ubertim in vineis *di Mompantero* et *delle Blaccie* prope *Segusium*, copiose in declivibus *di Condove* regione dicta *la Roccea* Re fl: segus: p. 19. In *Sardin*: arvis Moris st: sard: I. p. 37.). Ann: Omnium minima

glabra ramosa, folia opposita lineari-lanceolata, pedunculi axillares solitarii folio sub-breviores, calyces corollam albo-virentem superantes.

Species nova vel dubia.

6. *L. dahurica* = Ledeb: Ita in sched: specim: communicati a cl: Fischer: ex *Dahuria*. « *L.* caule » elato simplici glaberrimo, foliis verticillatis (3-4.) » sessilibus angusto-lanceolatis superne nigro pun- » ctatis inferne albidiusculis, pedunculis axillaribus » racemosis foliis brevioribus, pedicellis filiformibus » 1-floris (corolla lutea calyce duplo majori). » Nob:

X. Anagallis Lin: gen: ed: Schreb: n. 270. = Spr: syst: n. 610. = Lam: ill: t. 101.

» *Cal*: 5-partitus laciniis acutis. *Cor*: rotata. *Filam*: » basi villosa libera. *Stigm*: sub-globosum. *Caps*: glo- » bosa circumscissa. »

Obs: Genus constans ex Spr: 12. stirpibus fere omnibus europæis, herbaceis rarissime suffruticosis sæpe decumbentibus, foliis alternis oppositis verticillatisve integerrimis, pedunculis axillaribus, floribus parvis, calycibus corolla brevioribus vel longioribus.

❈ 1. *A. phœnicea* = Lam: fl: fr: II. 285. = Spr: syst: I. 570. *A. arvensis* var: *β* L. sp: I. 211. = Fl: dan: t. 88. Ic: taur: vol. 2. t. 46. Vern: *Pouroussa*, *Erba dla Madona*, *Galinęta* uti seq: (*Eur:* et *Asia* med:, *Amer*: bor: *Pedem*: in agris pinguibus et hortis abunde All: n. 316. c. descr: Re fl: segus: p. 19. et fl: tor: I. p. 124. Biroli fl: acon: I. p. 67. pro hac

et seq: conjunctim. *Genuæ* in littore *alla Foce* idem Bertol: am: ital: p. 131. *Sardin*: in arvis et ad vias Moris st: sard: I. p. 37.). Ann: Prostrata glaberrima, folia opposita sessilia ovata, pedunculi folio longiores, calyces integerrimi corolla phænicea margine glandulifera breviores. Variat corolla carnea (*A. carnea* h. Vindeb:).

* 2. *A. cærulea* = Schreb: spicil: fl: Lips: p. 5. = Spr: syst: I. 570. *A. arvensis* var: α L. sp: I. 211. = Tabernæm: hist: p. 1092. c. icon: Ic: taur: vol. 2. t. 47. (*Eur*: et *Asia* med: *Pedem*: in valle *Ocelli* inter segetes frequens nec iisdem locis alibi rara All: n. 317. Re fl: segus: p. 19. et fl: tor: I. p. 124. In agro *Nicæens*: sec: R. et S. syst: IV. p. 117. *Sardin*: in agris cultis Moris st: sard: I. p. 37.). Priori maxime propinqua et ideo a L. et W. pro sola var: habita, sed satis distinguitur caule *erectiusculo*, foliis *angustioribus*, calycibus *serrulatis* corollam constanter *cæruleam* vel raro albescentem numquam phæniceam *sub-æquantibus*.

3. *A. collina* = Schousb: pl: marocc: p. 64. = *A. fruticosa* Vent: choix t. 14. = *A. grandiflora* Andr: rep: t. 367. (*Marocco*. *Sardin*: in aridis maritimis ins: *S. Pietro* Moris st: sard: I. p. 37.). Inter omnes pulcherrima suffruticosa ramosissima ramis diffusis decumbentibus, folia lanceolata terna, corolla pro genere amplissima miniata calyce acutissimo duplo longior. In hortis, et hyeme in frigidariis penes nos culta fere toto anno floribus numerosissimis luxuriat.

* 4. *A. tenella* = L. syst: veg: 165. = Spr: syst: I. 570. = Fl: dan: t. 1205. (*Eur*: et *Amer*: austr:

Spr: l. c. In totius fere *Eur*: ericetis humidis et in subalpinis sed ubique rara R. et S. syst: IV. 119. *Pedem*: locis aquosis secus flumen *le Var*, secus torrentes et ad fontium scaturigines *Unelicæ*, in comit: *Nicæensi* ad oppidum *Lucerame* All: n. 346. sub *Lysimachia* ex L. sp: ed: 2. p. 211.). Ann: Tenuis repens, folia opposita parva sub-orbiculata, pedunculi folio 2-3-longiores, corolla basi tubulosa rosea calyce duplo longior, stigma acutum. Habitus *Lysimachiæ*, corolla *Centunculi*, fructus *Anagallidis*.

❋ 5. *A. Monelli* = L. sp: 211. = Spr: syst: I. 570. = Barr: ic: t. 584. All: pedem: t. 85. f. 4. (*Eur*: austr:, *Tauria*. In agro *Nicæensi* All: n. 318. sub *A. verticillata* c. descr:). Ann: vel perenn: Erecta, folia verticillata lanceolata, pedunculi divaricati, corolla grandiuscula cærulea. Variat caule altiore foliis ternis quaternisve internodiis multo brevioribus (hanc sistunt icon: Barr: et All:); vel caule humiliore foliis plerumque oppositis internodiis parum brevioribus (hæc est *A. Monelli* qualem exhibet Moris: hist: II. s. 5. t. 26. f. 3.); aut demum caule humiliore foliis oppositis internodio sæpius longioribus (huc pertinet *A. linifolia* L. sp: 212.).

XI. Centunculus Lin: gen: ed: Schreb: n. 189. = Spr: syst: n. 457. = Lam: ill: t. 83.

» *Cal*: 4-5-fidus. *Cor*: sub-rotata 4-fida. *Stam*: » 4-5. brevia. *Caps*: 1-locularis circumscissa. »

Obs: Genus ab *Anagallide* distinctum floribus sæpius 4-fidis, constans 2-3. stirpibus *Eur*: et *Amer*: bor: incolis, herbaceis humilibus, floribus sessilibus vel pedicellatis.

✱ 1. *C. minimus* = L. fl: suec: 129. 136. = Spr: syst: I. 440. Bertol: fl: ital: II. p. 184. = Fl: dan: t. 177. Ic: taur: vol. 19. t. 35. f. 8. (*Eur*: pascuis. *Pedem*: in paludibus *Frossaschi*, ad lacum supra *Eporediam*, ad oppidum *Cassinelle* et *Micuglia* in prov: *Aquensi*, prope *la Morra di Saluzzo*, prope *Eremum Taurinensium* et pascua prope *Volpiano*, in *Sabaud*: prope *Chalances* All: n. 306. Abunde in locis declivibus secus *Sturam* præsertim prope *il porto di Leynì*, ac in arvis locis humectis et post ingentes pluvias vernales Re fl: tor: I. p. 104. In *Lomellina* a *Confienza* Bertol: l. c. *Sardin*: in humidis montanis Moris st: stard: I. p. 37.) Plantula 2-3-pollicaris ann: glabra, folia alterna sessilia ovata integerrima, flores axillares sessiles solitarii corolla fugaci alba vel rubella.

XII. Samolus Lin: gen: ed: Schreb: n. 294. = Spr: syst: n. 765. = Lam: ill: t. 101.

» *Cal*: semi-inferus 5-fidus. *Cor*: campanulata » sub-hypocrateriformis 5-loba, inter lobos squamu- » lis 5. munita. *Stam*: tubo inserta sub squamulis » corollæ. *Caps*: 1-locularis apice 5-dentata. »

Obs: Genus nunc constans ex Spr: 7. stirpibus, una tantum europæa, ceteris exoticis, valde obscuris pro genere. Herbæ foliis alternis integris, floribus racemoso-corymbosis, pedicellis sæpe medio aut basi 1-bracteatis.

✱ 1. *S. Valerandi* = L. h. Cliff: 51. = Spr: syst: I. 702. = Fl: dan: t. 198. Ic: taur: vol. 2. t. 76. (*Eur*:, *Asia*, *Afr*: et *Amer*: austr: *Pedem:* circa

fontes calidiores *Valderii*, ad fontium scaturigines in agro *Nicæensi*, ad irrigua circa *Uneliam*, in *Sabaud*: circa *Moutiers*, inter *Giambava* et *Musso*, in uliginosis non procul ab *Orbassano* All: n. 322. In valle *Segusiana* vulgatissimus ad fossas Re fl: segus: p. 21. In humectis prope *Sturam* Re fl: tor: I. p. 134. Ad *Ticini* foces unice Biroli fl: acon: I. p. 73. *Liguria a Sestri di Ponente* in littoris initio Bertol: am: ital: p. 133. *Sardin*: ad rivulos frequens Moris st: sard: I. p. 37.). Perenn: Erectus glaber, folia sub-sessilia ovato-spathulata, racemi erecti multiflori, pedicelli sub-gemini supra medium bractea lanceolata muniti, flores albi parvi.

XIII. Coris Lin: gen: ed: Schreb: n. 329. = Spr: syst: n. 608. = Lam: ill: t. 102.

» *Cal*: 5-dentatus setoso-spinosus, spinis superio-
» ribus simplicibus inferioribus dentatis. *Cor*: tubu-
» losa inæqualiter 5-loba lobis emarginatis. *Stam*:
» brevia. *Stigm*: crassiusculum. *Caps*: globosa in fundo
» calycis 5-valvis. »

Obs: Species unica.

❋ 1. *C. monspeliensis* = L. h. Cliff: 68. = Spr: syst: I. 570. = Lam: ill: t. 102. Ic: taur: vol. 18. t. 46. (*Eur*: austr: In collibus siccis et rupibus agri *Nicæensis* neque in montibus *Ligurum* desideratur uti circa *Garrexium* All: n. 204.). Herba ann: vel suffruticosa erectiuscula ramosissima cinerascens, folia sparsa parva linearia ciliata, flores ad apicem ramorum spicati purpurei. Planta culta valde robustior, foliorum cilii evidentiores et quasi in spinas conversi.

Obs: geographica circa *Primulaceas.*

Primulaceæ per orbem sparsæ circiter . . 160

Primulaceæ pedemontanæ.

Cyclamen	2
Soldanella	1
Cortusa	1
Primula	17
Androsace	9
Hottonia	1
Lysimachia	5
Anagallis	4
Centunculus	1
Samolus	1
Coris	1
	43

Et sic quartam partem excedunt.

Ordo CXXXIV.

GLOBULARIÆ

(DC. fl: fr: ed: 3. vol. III. p. 427. = Bartl: ord: nat: p. 127. = *Lysimachiis* affines Juss: gen: 97.).

Char: essentialis.

» *Flores* capitati involucro polyphyllo cincti rece-
» ptaculo paleaceo impositi. *Cal*: persistens 5-lobus
» sæpius irregularis. *Cor*: tubulosa inæqualiter 4-5-
» loba. *Stam*: 4. summo corollæ tubo inserta. *Ovar*:
» liberum 1 - ovulatum. *Styl*: et *stigm*: 1. *Semen*
» (*akenium*) solitarium calyce inclusum carnoso-al-
» buminosum. *Embr*: rectus. *Radic*: supera. »

Obs: Inflorescentia, numerus staminum ac præsertim fructus structura *Globularias* distinguunt a *Primulaceis*, quibus ceterum affines. Sistunt autem 2. tantum genera sc: *Globulariam* et *Stilbem*, quæ tamen dubia circa ordinem, ac a Spr: ad *Verbenaceas* amandata.

I. Globularia Lin: gen: ed: Schreb: n. 146. = Spr: syst: n. 372. = Lam: ill: t. 56.

» Charact: ordinis. »

Obs: Genus constans 12. circiter stirpibus, 2. asiaticis, 1. ex *Madera*, ceteris europæis, herbaceis vel suffruticosis sæpe repentibus, foliis exstipulatis simplicibus integris vel incisis plerumque fasciculatis.

A. *Herbaceæ.*

✻ 1. *Gl*: *vulgaris* = L. fl: suec: 109. 116. = Spr: syst: I. 376. Bertol: fl: ital: II. p. 5. = Moris: hist: III. s. 6. p. 51. t. 15. f. 46. Ic: taur: vol. 7. t. 60. (*Eur:* collibus calcaribus. *Pedem*: uberrime ad rupes circa *Segusium* et in arenosis fluminis *Duriæ*, in collibus et montanis calidioribus vulgaris All: n. 517. Secus *Duriam* et ad *Condoviarum* rupes Re fl: segus: p. 14. In pascuis secus *Sturam* Re fl: tor: I. p. 90. In rupibus et collibus *Verbani* lacus frequens ubi caule constanter folioso et flore albo occurrit Biroli fl: acon: I. p. 40. *Genuæ* in collibus *al Lagazzo* et *al Castellaccio*, *Sarzanæ* in monte *Darme*, in monte *Caprione* et in arenis *di Marinella* Bertol: l. c. p. 6. Supra *Oreggina* Bertol: am: ital: p. 124.). Perenn: Glabra simplicissima, folia radicalia fasciculata longe petiolata spathulato-oblonga sub-emarginata mucronulata sub-integerrima caulina alterna sessilia lanceolata. Variat caule folioso vel nudo, floribus cæruleis vel albis.

✻ 2. *Gl*: *incanescens* = Viv: fragm: fl: ital: I. p. 2. = Spr: syst: I. 376. Bertol: fl: ital: II. p. 7. = Viv: l. c. t. 3. (*Etrur*:, *Pyren*: *Liguria* Spr:, Viv: et Bertol: l. c. p. 8.). Differt a priori, cui affinis, foliis radicalibus *spathulato-sub-rotundis* 3-*nerviis pulverulentis*, capitulo *ampliori* ac *depressiori*, calycis laciniis *setaceis*, corolla 4-*fida*. Venit etiam sub nomine *Gl*: *pulverulentæ*. *Gl*: *glauca* H. Paris: in cat: Taur: 1812. ex Balbis:, quam R. et S. dubitanter ad *in-*

canescentem referunt, pertinet ad *Gl: salicinam* Lam:

❋ 3. *Gl: nudicaulis* = L. sp: 140. = Spr: syst: I. 376. Bertol: fl: ital: II. p. 11. = Jacq: austr: t. 230. Ic: taur: vol. 18. t. 39. (Alpib: *Noric:*, *Rhæt: Pedem:* in alpibus vallis *S. Martini*, circa *Piossasco* et in editioribus montibus *Valdensium*, in alpibus *Sabaud:*, in montibus *di Tenda* All: n. 516. Ex *Cenisio* habuit Bertol: a Bonjean). Accedit ad *Gl: vulgarem*, sed caulis constanter *nudus* quandoque una alterave squamula tantum vestitus, folia radicalia *lanceolato-oblonga* nec *spathulata*, *integerrima* ac *carnulosa*.

B. *Suffruticosæ*.

❋ 4. *Gl: cordifolia* = L. h. Cliff: 491. = Spr: syst: I. 376. Bertol: fl: ital: II. p. 8. = Jacq: austr: t. 245. (*Eur:* austr:, *Tauria. Pedem:* late occupat saxosa aprica juga montium subalpinorum, raro Alpes attingit All: n. 518. Ubertim ad rupes prope *Segusium* Re fl: segus: p. 14. In subalpinis apricis ubi vix semi-pollicaris observatur, in cacuminibus *del Campello* rara Biroli fl: acon: I. p. 40. *Liguria* in montibus *del Ceriale* Bertol: l. c. p. 9.). Procumbens stolonifera, folia fasciculata sub-rotundo-spathulata sæpius retusa seu ob-cordata quandoque 3-cuspidata denticulo medio minimo, pedunculi nudi vel uno alterove foliolo lanceolato præditi, flores ex cæruleo carnei.

❋ 5. *Gl: Alypum* = L. sp: 139. = Spr: syst: I. 376. Bertol: fl: ital: II. p. 4. = Garid: Aix 210. t. 43. Ic: taur: vol. 7. t. 59. (*Eur:* austr: In sylvis et

incultis agri *Nicæensis* et in maritimis *Unelicæ* All: n. 519. *Liguria* occidua Bertol: l. c. *Sardin*: in saxosis apricis *S. Elia* Moris st: sard: I. p. 37.). Erecta firma sempervirens, folia lanceolata inferiora sæpius 3-dentata superiora plerumque integra cuspidata, involucri foliola ovata imbricata ciliata.

6. *Gl*: *salicina* = Lam: dict: II. p. 732. *Gl*: *longifolia* Ait: (*Madera*). Omnium maxima erecta ramosissima sempervirens, folia omnia sparsa lanceolato-linearia mucronulata nitida, pedunculi axillares solitarii breves, involucrum turbinatum, capitula planiuscula, flores pallide cærulei. Cult: in h. Ripul:

Obs: geographica circa *Globularias*.

Globulariæ per orbem sparsæ	18
Globulariæ pedemontanæ	5



Subclassis IV.

Monochlamydeæ (*DC. syst: I.* 124.).

Char: essentialis.

» *Perigonium* simplex, petalis nempe aut nullis » aut cum calyce coalitis. »

Ordo CXXXV.

PLUMBAGINEÆ

(Vent: tabl: II. p. 26. = R. Br: prodr: ed: 2. p. 281. = Bartl: ord: nat: p. 126. = *Plumbagines* Juss: gen: p. 92. = J. S. Hill: fam: I. p. 216. t. 38.).

Char: essentialis.

» *Involucrum* (*calyx* quorundam) persistens tubu- » losum sæpissime scariosum coloratum integrum aut » dentatum. *Perigonium* (*corolla* quorundam) corol- » laceum hypogynum mono - aut poly - petalum. » *Stam*: 5. receptaculo inserta vel imis petalis ad- » nata. *Ovar*: simplex liberum 1 - ovulatum. *Styl*: » plures aut unicus stigmata plurima gerens. *Caps*: » (*utriculus* quorundam) monosperma basi multivalvi » dehiscens. *Embr*: rectus albumine farinaceo cinctus. » *Radic*: supera. *Cotyl*: planæ. »

Obs: Ordo satis naturalis transitum faciens a *Corolliferis* ad *Monochlamydeas* perigonio sub-simplici, constans 5. generibus in duas tribus facile dividendis ratione perigonii mono - vel poly-petali ac stylorum numeri. Frutices aut sæpius herbæ scapigeræ foliis radicalibus fasciculatis, vel caulescentes foliis alternis integris exstipulatis, floribus capitatis vel spicatis bracteolatis.

Trib: I.

PLUMBAGEÆ

(*Perigonium* 1-petalum. *Stylus* unicus).

I. PLUMBAGO Lin: gen: ed: Schreb: n. 281. = Spr: syst: n. 573. = Lam: ill: t. 105.

» *Involucr*: plicatum glandulosum 5 - dentatum.
» *Perig*: hypocrateriforme limbo 5 - partito. *Filam*:
» basi dilatata. *Stigm*: 5. »

Obs: Genus constans 8. stirpibus, inter quas 1. tantum europæa, sæpius fruticosis, floribus quandoque conspicuis, unde nonnullæ cultæ in calidariis nostris ornamenti gratia.

A. *Fruticosæ*.

1. *Pl*: *rosea* = L. sp: 215. (*Ind*: or:). Erecta ramis adscendentibus gibboso-geniculatis, folia ovata, spicæ terminales laxæ, flores rosei conspicui. Cult: in calidariis floret tota hyeme. = 2. *Pl*: *capensis* = Thb:

prodr: I. p. 33. (*C. B. S.*). Differt a priori foliis oblongis subtus glaucis, spicis compactis, floribus læte cæruleis. Toto autumno luxuriosissime floret. Venit etiam in hortis sub nomine *Pl: cæruleæ*, sed non est, caulis enim *fruticosus* non *herbaceus*.

B. *Herbaceæ.*

❋ 3. *Pl: europæa* = L. h. Cliff: 53. = Spr: syst: I. 537. = Sabb: hort: II. t. 39. et 40. Ic: taur: vol. 2. t. 86. (*Eur*: austr: et *Caucaso*. In agro *Nicæens*: All: n. 315. *Liguria* in littore *alla Foce* et *a Sestri di Ponente* Bertol: am: ital: p. 131. *Sardin*: secus vias et ad sepes Moris st: sard: I. p. 37.). Perenn: Divaricata glabra, folia lanceolata amplexicaulia scabriuscula, panicula ramosissima ramis spicatis, involucrum basi tuberculis 5. præditum præter glandulas petiolatas, flores purpurascentes vel violacei.

Trib: II.

STATICEÆ

(*Perigonium* 5-petalum. *Styli* plures).

II. Statice Lin: gen: ed: Schreb: n. 527. excl: *Armeria* = Spr: syst: n. 1146. = Lam: ill: t. 219. f. 2.

» *Flores* spicato - paniculati. *Involucr*: 1 - phyllum
» plicatum sub - scariosum apice sub - denticulatum.
» *Perigon*: petala basi sub - connata. *Stam*: basi pe-
» talorum inserta. *Styl*: 5. raro 3. »

Obs: Genus nunc constans 56. stirpibus ex Spr: satis distinctis ab *Armeria* habitu præsertim ac inflorescentia. Herbæ vel suffrutices per orbem sparsi, plures europæi, africani vel asiatici, 1. tantum ex *Amer*: bor:, nonnulli aphylli, alii foliis radicalibus tantum præditi vel caulescentes. Flores sæpius in spica secundi.

A. *Aphyllæ.*

1. *St*: *pruinosa* = L. mant: 59. (*Ægypt*: inf:, *Sibir*:). Frutic: Quandoque folio 1-2. radicali lanceolato integerrimo mucronulato prædita, scapus ad genicula squamulosus, rami divaricati ut tota planta furfuracei, flores numerosi parvi ad apicem ramorum. Huc pertinet *St*: *aphylla* Poir: *Sibiriæ* incola a Spr: cum *pruinosa* conjuncta, vix differens scapo tereti nec flexuoso. = 2. *St*: *ferulacea* = L. sp: I. 396. (*Gallia* austr:, *Hispan*:, *Lusitan*:, *Sicil*:). Suffrut: Prorsus aphylla, scapus valde squamosus squamis apice piliferis, spicæ glomeratæ.

B. *Foliis radicalibus. Scapus sub-aphyllus.*

❋ 3. *St*: *Limonium* = L. mat: med: 90. = Spr: syst: I. 957. = Fl: dan: t. 315. Ic: taur: vol. 25. t. 26. (*Eur*: marit:, *Amer*: bor: In agro *Nicæens*: ad maris litus All: n. 1607. *Sardin*: in udis maritimis Moris st: sard: I. p. 37.). Perenn: Folia oblonga spathulata margine undulata, scapus paniculatus alternatim ramosus ramulis spicato - corymbosis, flores congesti cyanei speciosi.

4. *St: auriculæfolia* = Vahl: symb: I. p. 25. (*Lusitan:*, *Hispan:*, *Gallia* in arenosis maritimis. *Sardin:* in maritimis *Calari* frequens Moris st: sard: I. p. 37.). Perenn: Folia oblonga spathulata, scapus simpliciusculus teres, spicæ oblongæ, flores sub-conferti. Huc forsan referenda *St: trigonoides* Pall: quæ non differt nisi foliis amplioribus, ramis patentioribus, floribus remotioribus, quibus notis ad *St: tataricam* L. magis accedere videtur. Cons: tamen R. et S. syst: VI. p. 788. in obs: = 5. *St: articulata* = Loisl: fl: gall: II. p. 723. t. 6. (*Gallo-prov:*, *Corsica. Sardin:* in maritimis frequens Moris st: sard: I. p. 37.). Perenn:

❋ 6. *St: cordata* = L. sp: I. 394. = Spr: syst: I. 958. = Barr: ic: 805. (*Sicil:*, *Hispan:*, *Græcia. Nicæa* ad rupes maritimas frequens All: n. 1608.). Perenn: Basi fruticulosa, folia cæspitosa firma glabra margine cartilaginea spathulata apice sæpius retusa, scapus ramosissimus paniculatus, flores cærulei in summis ramulis spicatis alterni in inferioribus solitarii remotiusculi secundi.

7. *St: dichotoma* = Cav: ic: I. p. 37. t. 50. (*Hispan:*, *Græcia*, *Ægypt: Sardin:* in maritimis Moris st: sard: I. p. 37.). Vix differt a priori foliis majoribus obsolete mucronatis, scapo ramisque punctato-scabris, ramulis inferioribus sterilibus capillari-multifidis. Specim: mea ex *Sardin:* et *Ægypt:* non differunt nisi statura in hisce majori.

❋ 8. *St: pubescens* = DC. fl: fr: suppl: 380. = Spr: syst: I. 959. = Bocc: sin: p. 25. t. 13. (*Gallo-prov:*, *Hispan:* Prope *Nicæam* et *Villamfrancam* DC.

l. c.). Suffrut: Pumila tota pubescens, folia cordato-cuneata, flores dense corymbosi.

9. *St: echioides* = L. sp: 394. excl: syn: Magnol: (*Græcia, Asia* min:, *Gallo-prov*: ex DC. *Sardin*: in maritimis Moris st: sard: I. p. 37.). Bienn: vel perenn: Punctato-scabra, folia spathulato-oblonga, scapus elatus paniculato-ramosissimus floribus distantibus.

C. *Caule folioso.*

10. *St: sinuata* = L. sp: I. p. 397. (*Sicil:, Græcia, Palestin:, Afr*: *Sardin*: in arena mobili maritima ins: *Tavolara* Moris st: sard: III. p. 10.). Perenn: Hispidula, folia radicalia lyrata caulina lineari-lanceolata denticulata sub-falcata, caulis elatus anceps ramosus, flores corymbosi in apice ramorum conspicui. Huic valde proximæ sunt *St: Thouinii* Viv:, *ægyptiaca* Pers:, *alata* W. et *cuneata* Sm: a cl: Spr: conjuncta.

Species dubiæ vel novæ.

11. *St: tenuifolia* = Bertol: in litt: sec: Moris st: sard: II. p. 8. (*Sardin*: in aridis saxosis maritimis *S. Cattarina Pittinui* Moris l. c.). Suffrut: Glabra ramosissima, folia sub-imbricata linearia rigida mucronulata, caulis ramoso-dichotomus; flores desunt in specim: ex Morisio.

III. Armeria W. en: 333. = Spr: syst: n. 1147. = Lam: ill: t. 119. f. 1. (*Statices* sp: L.).

» *Flores* capitati involucro universali tubuloso sca- » rioso sæpius in lacinias plures apice fisso cincti. » *Receptaculum* paleaceum. Cetera *Statices*. »

Obs: Genus a *Statice* characteribus allatis rite evulsum, modo constans 16 - 18. stirpibus præsertim ex *Eur*: austr:, 1. tantum ex *Asia* bor:, altera ex *Chili*, herbaceis scapigeris.

❉ 1. *A. vulgaris* = W. en: 333. = Spr: syst: I. 960. *Statice Armeria* W. sp: non L. = Moris: III. p. 601. s. 15. t. 1. f. 29. Ic: taur: vol. 10. t. 37. Vern: *Gason d'Olanda* (*Eur*: passim. *Pedem*: in saxosis summi collis *Superga*, in saxosis apricis subalpinis et in pascuis alpinis All: n. 1605. In parvo *M. Cenisio* Re fl: segus: p. 28. Prope *Venariam* sed rara Re fl: tor: I. p. 183. In pascuis subalpinis vulgaris altitudine varians Biroli fl: acon: I. p. 106. *Sardin*: in montanis frequens Moris st: sard: I. p. 37.). Perenn: Pumila glabra, folia linearia fasciculata, scapus teres, involucri foliola exteriora acuta, capitulum magnitudine cerasi floribus pallide rubris vel albis. Ubique in hortis culta ad areolarum margines ornamenti gratia. Variat pro loco natali statura minori in summis jugis, descendendo majori, culta pedalis etiam advenit. Huc spectat *A. arenaria* Pers: a cl: Re enumerata in fl: tor: I. p. 183., quæ non differt nisi scapo magis elongato. Vera *St*: *Armeria* L. fl: suec: 253. 269. pertinet ad *St*: *maritimam* W. l. c. quæ differt foliis basi *ciliatis*, scapo *pubescente*,

involucri foliolis *obtusis*, nec in *Pedem*: adinvenitur spontanea sed tantum culta cum priori.

2. *A. fasciculata* = W. en: 334. Sub *Statice* Vent: h. Cels: p. et t. 38. (*Corsic*:, *Lusitan*: *Sardin*: in arenosis maritimis *Longo - Sardo* et ins: *Tavolara* Moris st: sard: III. p. 10.). Differt a prioribus caule basi suffruticoso, scapo altissimo sub - ramoso, foliis amplioribus canaliculatis, capitulo majori, involucri foliolis ellipticis obtusis, petalis sub - cuneiformibus purpureo-roseis.

* 3. *A. denticulata* = DC. pl: hort: monsp: p. 7. = Spr: syst: I. 961. Sub *Statice* Bertol: rar: it: pl: dec: II. ed: 1. p. 34. n. 4. et sub *Armeria* am: ital: p. 77. c. descr: = Ic: ? (Copiose crescit *Sarzanæ* in rupibus montanis loco dicto *la Nuda e Brina di Ponzano* Bertol: ll. cc.). Distinguitur ab *A. vulgari* n. 1., cui valde affinis, præsertim foliis primitivis latioribus denticulatis, scapo elatiori, involucri foliolis ovato - lanceolatis acuminatis, floribus carneis suaveolentibus.

* 4. *A. latifolia* = W. en: 334. = Spr: syst: I. 961. = *Statice cephalotes* Ait: h. Kew: I. p. 383. *Statice Armeria major* Jacq: hort: p. 16. t. 42. *St*: *plantaginea* All: n. 1606. et ic: taur: vol. 9. t. 96. (*Eur*: austr: *Pedem*: in vallis *Locanæ* montibus atque inter *Lance* et *Viù* All: l. c. Ad radices *M. Musinè* in pascuis *di Caselette* et eundo versus *Fenestrelle* loco dicto *il Collet* Re fl: segus: p. 28. sub *Statice Pseudo - Armeria*. In arvis arenosis prope *Venariam* eundo versus *il Porto di Caselle* Re fl: tor: I. p. 184. sub *A. scorzoneræfolia*. In montibus editioribus *No*-

variens: Biroli fl: acon: I. p. 106. sub *Statice cephalota*. *Sardin*: inter rupes calcares *Otiena* Moris sl: sard: III. p. 10.). *A. vulgari* affinis, sed folia latiora nervosa, scapus elatior, involucri foliola cuspidata. Differentiæ inter *A. plantagineam*, *scorzoneræfoliam* et *latifoliam* ab Auctoribus allatæ mihi satis visæ non sunt ut diversæ species admittantur; folia quandoque 3-quandoque sub-7-nervia occurrunt sæpe in iisdem individuis; petala *emarginata* vel *integerrima* etiam observavi in *Statice plantaginea* All:

Species nova.

5. *A. curvifolia* = Berter: merc: chil: n. XII. p. 563. « *A.* herbacea glaberrima, foliis linearibus planis » 1-nerviis obtusis incurvis, scapo tereti altissimo, » involucri foliolis ovato-lanceolatis obtusis capitulo » duplo brevioribus, petalis cuneiformibus. » Colla pl: rar: chil: fasc: III. t. LXIX. ined: (*Chili* locis arenosis collinis juxta rivos Berter: l. c.). Ludit inter *A. vulgarem* et *fasciculatam* cui magis accedit altitudine scapi et petalorum structura, sed differt foliis angustioribus incurvis 1-nerviis nec erectis canaliculatis, petalis albo-argenteis.

Obs: geographica circa *Plumbagineas.*

Plumbagineæ per orbem sparsæ circiter . .	80
Plumbagineæ pedemontanæ	6

Ordo CXXXVI.

PLANTAGINEÆ

(Vent: tabl: II. p. 269. = R. Br: prodr: ed: 2. p. 279. = Bartl: ord: nat: p. 125. = *Plantagines* Juss: gen: p. 89. = J. S. Hill: fam: I. p. 209. t. 36.).

Char: essentialis.

» *Flores* hermaphroditi rarius diclines. In *herma-*
» *phroditis* perigonium duplex; exterius (*calyx* Au-
» ctor:) 4-partitum persistens; interius (*corolla* Au-
» ctor:) tubulosum hypogynum scariosum persistens
» limbo 4-partito. *Stam*: 4. perigonii interioris tubo
» inserta ejusque lacinias alternantia; filamentis ex-
» sertis; antheris 2-locularibus. *Ovar*: liberum 2-
» raro 4-loculare, ovulis peltatis solitariis binis vel
» indefinitis. *Styl*: et *stigm*: 1. *Caps*: circumscissa 2-
» 4-locularis ope dissepimenti longitudinalis demum
» liberi, loculis 1-2- vel polyspermis. *Sem*: sessilia
» peltata dissepimenti faciebus adfixa densa carnoso-
» albuminosa. *Embr*: rectus. *Radic*: infera. *Plumula*
» inconspicua. In *diclinibus*. Masc: *Perigonium* ut in
» hermaphroditis. *Stam*: receptaculo inserta. *Rudi-*
» *mentum* minutum pistilli. Foem: *Bracteæ* 3. loco
» perigonii exterioris. *Perigon*: *interius* urceolatum
» indivisum. *Stam*: 0. *Ovar*: 1-spermum. *Caps*: trans-
» verse dehiscens. » Cons: Rapin *Plantagineæ* in Bull:
univ: 1828. p. 413.

Obs: Ordo satis naturalis, ab affinibus habitu etiam valde distinctus, constans 2. tantum generibus. Herbæ vel rarius suffrutices, caule sæpius abbreviato pedunculos scapiformes emittente, foliis plerumque omnibus radicalibus simplicibus nervosis exstipulatis quandoque carnosis teretiusculis, floribus parvis spicatis sessilibus 1-bracteatis raro sub-solitariis.

I. PLANTAGO Lin: gen: ed: Schreb: n. 186. = Spr: syst: n. 456. = Lam: ill: t. 85. (*Plantaginis* et *Psyllii* sp: Juss:).

» *Flores* hermaphroditi. *Perigon*: exter: 4 - fidum » inter: rotatum limbo 4 - fido reflexo. *Caps*: 2 - 4 - » locularis. *Sem*: definita vel indefinita. »

Obs: Genus constans 100. circiter stirpibus per orbem sparsis, multis europæis, extricatu difficillimis, in 3. sectiones artificiales dividendis sc: *dissepimento plano utrinque polyspermo* scapo constanter nudo (*Plantagines*); *dissepimento plano semen unicum utrinque gerente* scapigeræ vel caulescentes (*Psyllia*); dissepimento 3 - 4 - laterali semen unicum in *quaque facie gerente* (*Coronopi*).

A. *Plantagines*.

❉ 1. *Pl*: *major* = L. mat: med: p. 51. non Lour: = Spr: syst: I. 433. Bertol: fl: ital: II. p. 153. = Fl: dan: t. 461. Ic: taur: vol. 1. t. 113. 114. 115. et vol. 9. t. 14. Vern: *Piantai*, *Piantagin*, *Bie* etc. uti *Pl*: *media* n. 4. (*Eur*:, *Asia*, *Amer*:, ins: *Mascaren*: *Pedem*: ad vias et secus prata abunde ALL: n.

293. Re fl: segus: p. 16. et fl: tor: I. p. 102. Birol: fl: acon: I. p. 47. Vulgatissima in *Liguria* Bertol: l. c. p. 155. *Sardin*: in pratis humidis Moris st: sard: I. p. 38.). Perenn: Folia petiolata plus minus late ovata glabra sub-dentata 3-11- sæpius 7-nervia, scapus teres foliis brevior vel longior, spica cylindrica gracilis, flores arcte imbricati, capsula 6-8-sperma. Variat multimode statura aliisque notis. Cons: R. et S. syst: III. p. 111. pro varr: *Pl*: *major* Lour: est *Pl*: *Lourerii* R. et S. et *Chinam* inhabitat.

*? 2. *Pl*: *crassa* = W. phyt: I. p. 3. n. 11. et sp: I. p. 642. = Spr: syst: I. p. 433. = Jacq: coll: suppl: p. 34. t. 16. sub *Pl*: *crispa* (*Eur*: austr:, *Ital*: *Pedem*: in pascuis vallis *della Strona* prope *Lezzogno* raro occurrit Birol: fl: acon: I. p. 47.). Media videtur inter priorem et seq:; ab utraque differt ex speciminibus meis foliis sub-sessilibus carnosulis undulatis bullatis, scapo longitudine foliorum. Cl: Bertol: fl: ital: II. p. 155. tradit numquam hanc stirpem obtinuisse ex *Italia* nec ex insulis ejus, et veretur ne Birol: l. c. lusum aliquem *Pl*: *majori* pro illa sumpserit; attamen asserere possum specimina *Biroliana* characteres supra allatos exhibere; an autem sufficiant ad stirpem admittendam, judicent alii.

* 3. *Pl*: *minima* = DC. fl: fr: n. 2297. = Tratt: arch: t. 42. = *Pl*: *major β* Poir: dict: V. p. 368. (In humidis *Fontisbleaudi* DC., *Widhelnesburgo* austr: R. et S. syst: III. p. 112. *Pedem*: circa arcem *M. Cenisii*, provinc: *Albens*:, alpibus *Monregalensib*: Re app: II. p. 192.). Differt tantum a præcedentibus et præsertim a *Pl*: *majori*, statura valde minori, foliis

3 - nerviis, spica pauciflora; sed hi characteres ex varia plantæ statura fluere videntur; unde forsan rite censuit cl: BERTOL: illas in unam conjungere (fl: ital: II. p. 154. in synon: ad *Pl: majorem*).

B. *Psyllia*.

α Acaules scapigeræ.

❋ 4. *Pl: media* = L. h. Cliff: 36. = Spr: syst: I. 434. Bertol: fl: ital: II. p. 156. = Fl: dan: t. 581. Ic: taur: vol. 1. t. 112. (*Eur*: passim. *Pedem*: ad vias et secus prata abunde ALL: n. 295. RE fl: segus: p. 16. et fl: tor: I. p. 102. BIROLI fl: acon: I. p. 48. *Genuæ* in monte *Fasce* BERTOL: l. c.). Perenn: Folia ovato-oblonga brevissime petiolata 5-7-nervia pubescentia, scapus teres foliis 2-3-longior, spica cylindrica multiflora.

❋ 5. *Pl: lanceolata* = L. virid: Cliff: 9. = Spr: syst: I. 434. Bertol: fl: ital: II. p. 158. = Fl: dan: t. 437. Ic: taur: vol: 1. t. 116. 117. 118. Vern: *Fojola*, *Coutela*, *Piantia*, *Lingua d' can* (*Eur*:, *Asia*, *Amer*: bor: *Pedem*: ubique ad vias et ad prata frequens ALL: n. 294. RE fl: segus: p. 16. et fl: tor: I. p. 102. BIROLI fl: acon: I. p. 48. *Genuæ* in montibus inter *lo Sperone* et *il Diamante* BERTOL: am: ital: p. 128. et fl: ital: II. p. 159. In *Sardin*: pascuis frequens MORIS st: sard: I. p. 38.). Perenn: Villosiuscula, folia angusta lanceolata acuta ut plurimum 5-nervia, scapus elongatus angulatus pubescens, spica sub-ovata brevis. Variat statura aliisque notis indicatis a R. et S. syst: III. p. 116. et BERTOL: l. c. excl: *Pl: altissima*.

❀ 6. *Pl: altissima* = L. sp: 164. = Spr: syst: I. 434. *Pl: lanceolata* Bertol: l. c. p. 158. = Jacq: obs: IV. t. 83. Ic: taur: vol. 26. t. 8. (*Hungar:*, *Transylv:*, *Galic:* Sec: *le Paillon* prope *Nicæam* All: n. 297.). Statura valde priorem excedens, foliis denticulatis dentibus obtusis remotis, bracteis herbaceis potius quam scariosis etiam distincta.

❀ 7. *Pl: montana* = Lam: ill: n. 1670. = Spr: syst: I. 484. *Pl: lanceolata* var: Bertol: l. c. p. 159. aliorumq: = Ic: ? (Alpib: *Eur:* med: et speciatim in *Montblanc* sec: DC. et Re app: II. p. 192. Prope *Venariam* et secus viam eundo versus *i Merlo*, abunde in alpibus *di Ceresole* et speciatim in alpe dicta *il Serrà* Re app: III. p. 6. In montibus *Sardin:* med: Moris st: sard: I. p. 38.). Priori valde propinqua, sed differt præsertim foliis angustioribus, scapo tereti vix folia sub-æquante, et spica sub-globosa.

❀ 8. *Pl: victorialis* = DC. fl: fr: n. 2302. = Spr: syst: I. 484. Bertol: fl: ital: II. p. 160. = Gerard: Gallo-prov: p. 333. t. 12. sub *Pl: argentea* (*Eur:* austr: Spr: l. c. Alpibus *Apuanis* Bertol: am: ital: p. 338. In monte *S. Victoriæ Gallo-prov:*, circa *Vapineum. Pedem:* in valle *Pisii* sec: DC. l. c. et Bellard: app: p. 15. sub *Pl: argentea*. In pascuis sterilibus provinc: *Novariens:* Birol: fl: acon: I. p. 48. sub eadem. *Liguria* occidua in alpibus *della Scaglia* retro *Pegli*, præsertim in vertice dicto *il Martino* Bertol: l. c. p. 161.). A præcedenti diversa hirsutie qua undique obducitur, ceterum simillima. Huc spectat *Pl: argentea* Vill: non Desf: nec DC., quæ pertinet ad *Pl: sericeam* Kit:, vix tamen a *victoriali* diversam statura

humiliori, hirsutie densiori ac argenteo-sericea; de hac optima possideo specim: ex *Ægypto* a cl: Savi communicata, sed crescit etiam in *Gallo-prov*:, circa *Narbonam* et in *Pyrœneis* sec: DC. l. c. n. 2303. Cl: Bertol: l. c. p. 162. *Pl*: *argenteam* a Birol: enumeratam refert ad *Pl*: *sericeam* W. suppl: p. 8. et *Pl*: *argenteam* Vill: ad *victorialem*.

❋ 9. *Pl*: *Lagopus* = L. sp: 165. = Spr: syst: I. 435. Bertol: fl: ital: II. p. 164. = Moris: hist: III. s. 8. t. 16. f. 13. Ic: taur: vol. 1. t. 119. et vol. 11. t. 21. (*Eur*: austr: In comit: *Nicœens*: copiose crescit All: n. 298. *Genuœ* a *S. Bartolomeo* Bertol: l. c. p. 165. *Sardin*: in pascuis frequens Moris st: sard: I. p. 38.). Folia plerumque 3-nervia sub-denticulata subtus pubescentia, scapi foliis duplo longiores, spica ovata valde hirsuta; ceterum præcedentibus n. 4. et seqq: simillima, et forsan omnes *Pl*: *lanceolatœ* varr: Huc pertinet *Pl*: *eriostachya* Tenor: quæ crescit etiam in *Sardin*: sec: Moris l. c.

❋ 10. *Pl*: *albicans* = L. sp: 165. = W. sp: I. 645. Bertol: fl: ital: II. p. 166. = Sibth: fl: gr: p. 35. t. 145. (*Hispan*:, *Gallia* austr:, *Afr*: bor: In agro *Nicœens*: All: n. 299. In collibus *di Belgirate* rara Birol: fl: acon: I. p. 48. *Liguria* occidua in viciniis *del Ceriale* Bertol: l. c. *Sardin*: in aridis *Calari* Moris st: sard: I. p. 38.). Ann: sec: All:, perenn: sec: Auctor: Undique albido-villosa et vix a *victoriali* distinguenda spica interrupta, ac forsan cum ea confusa a cl: Spr:, nam *Pl*: *albicans* quam ipse refert pro synon: *Pl*: *velutinœ* Poir: (Spr: syst: I. 439.) eadem ac *argentea* Tenor: non Vill:, variis notis re-

cedit ac præsertim caule quo prædita est, dum nostra est scapigera.

✽ 11. *Pl: Bellardi* = All: pedem: n. 300. = Spr: syst: I. 436. Bertol: fl: ital: II. p. 167. = All: l. c. t. 85. f. 3. (*Eur*: austr: In comit: *Nicæens*: locis sterilibus *Villæfrancæ* prope *Lanternam* reperit Bellardi sec: All: n. 300. c. descr: In *Sardin*: sterilibus collinis Moris st: sard: I. p. 38.). Ann: Pumila rufescenti-pilosa, folia lineari-lanceolata, scapi teretes folia sub-æquantes, spica oblonga cylindrica. Hanc refert DC. sub *Pl: pilosa* fl: fr: n. 2305.

✽ 12. *Pl: alpina* = L. syst: XII. p. 122. = Spr: syst: I. 436. Bertol: fl: ital: II. p. 163. = Jacq: h. Vindeb: t. 125. Ic: taur: vol. 1. t. 120. (*Eur*: med: *Pedem*: in pratis alpinis frequentissima All: n. 296. Re fl: segus: p. 16. Biroli fl: acon: I. p. 48. *Sardin*: in editis pascuis *Genargentu* Moris st: sard: I. p. 38.). Perenn: Glabriuscula vel incana villosiuscula, folia linearia plus minus angustata, scapi teretes foliis duplo longiores, spica oblongo-cylindrica. Huc refert cl: Bertol: l. c. *Pl: montanam* Re app: II. p. 192. *Pl: incana* DC. fl: fr: n. 2309. non differt nisi foliis parum latioribus scapisque incano-villosis; reperta fuit a D. Giusta in alpibus *Armo* locis humidis et apricis supra *Ormea* (Capelli Cat: h. Taur:). Huc quoque spectare videtur *Pl: bidentata* R. et S. III. p. 134. ex Murith:, quæ crescit ad sacellum oppiduli *S. Petri* in adscensu *M. Pennini* ac differt tantum foliis supra medium bidentatis.

✽ 13. *Pl: maritima* = L. fl: suec: 127. 133. = Spr: syst: I. 436. Bertol: fl: ital: I. p. 168. excl: *Pl:*

serpentina = Fl: dan: t. 243. Ic: taur: vol. 17. t. 79. (*Eur:* maritimis. In agro *Nicæens:* ad rupes All: n. 301. Frequentissima in montibus *del Bracco Liguriæ* orient:, tum in *Liguriæ* occiduæ montibus *di Voltri* supra *l'Acqua santa*, in alpibus *della Scaglia* retro *Pegli*, in monte *Ramazzo* retro *Sestri di Ponente* Bertol: am: ital: p. 128. et fl: ital: l. c. p. 170. *Sardin*: in arenosis maritimis Moris st: sard: I. p. 38.). Differt a priori, cui valde affinis, statura majori, foliis constanter angustioribus carnosis integerrimis vel acute denticulatis in var: β *dentata* Roth: (*Pl*: *graminea* DC.), spicis magis elongatis. Hæc invenitur penes nos in locis humidiusculis non longe a thermis *Valderianis* et reperta fuit a D. Piottaz in agro *Taurinensi* et *Augustano* ac in *M. Musiné*. Ceterum varians notis a R. et S. expositis syst: III. p. 102. in obs:

* 14. *Pl*: *serpentina* = All: pedem: n. 302. = Lam: ill: n. 1686. Spr: syst: I. 436.? = Murr: comm: gott: 1780. p. 19. t. 6. sub *Pl*: *incurvata?* Ic: taur: vol. 1. t. 124. et vol. 17. t. 11. f. 2. Vern: *Erba dj mouton*, *Erba rotonda*, *Carlet* (*Gallia* austr: *Pedem*: locis sabulosis et aridis ad montium radices All: n. 302. In sterilibus secus *Sturam* prope *Druent* et in pascuis *della Praglia di Pianezza* et *di S. Egidio* Re fl: tor: I. p. 103. In pascuis *Ticini* et ericetis *di Camari* Biroli fl: acon: I. p. 48.). Ann: vel perenn: Folia prorsus linearia acutissima glabra vel hirsutiuscula erecta vel recurvata, scapi teretes subflexuosi foliis longiores, spica cylindrica sæpius incurva. Huc pertinet sec: Spr: *Pl*: *recurvata* W. hb:

non L., quæ differt a *recurvata* L. radice perenni, foliis recurvatis, spica recta, et ad quam referri videtur *Pl*: *incurvata* Murr: l. c. In plantis pedemontanis spica est recta, folia modo erecta modo recurvata, radix perennis; stirps igitur Allionii valde dubia. Cll: Biroli in mss: et Berterus in scheda specim: lecti sec: *Sturam* adnotarunt, *Pl*: *serpentinam* All: pertinere ad *recurvatam* L. Ad *Pl*: *serpentinam* Lam: refert quoque cl: Spr: *Pl*: *hirsutam* Pourr:; hæc tamen ex specim: meis differt foliis hirsutissimis, scapo foliis valde breviore, spica recta. Cl: Moretti (Bibl: ital: octobr: 1822. p. 66.) monuit, *Pl*: *recurvatam* fl: ticin: esse speciem distinctam quæ invenitur secus *la Staffora* prope *Varzi*. Cl: Gaud: fl: helv: I. p. 403. *Pl*: *serpentinam* All: lectam in collibus *Taurinens*: a cl: Regnier refert ad calcem *Pl*: *bidentatæ* Murr:, cui dicit valde esse affinem; sed illam nescio unquam fuisse ibi a Nostratibus repertam. Demum cl: Bertol: fl: ital: II. p. 169. *Pl*: *serpentinam* All: refert ad *Pl*: *maritimam* L.

β Caulescentes.

❋ 15. *Pl: Cynops*: = L. h. Cliff: 43. = Spr: syst: I. 440. Bertol: fl: ital: II. p. 181. = Moris: hist: III. p. 262. s. 8. t. 17. f. 1. Ic: taur: vol. 1. t. 126. (*Eur*: med: et *Sibir*: austr: *Pedem*: in collibus calidioribus locis siccis atque præsertim in juniperetis All: n. 305. Ubique in pascuis montanis Re fl: segus: p. 16. Secus *Sturam* et in locis arenosis Re fl: tor: I. p. 104. In ericetis *di Borgomanero* rara Biroli

fl: acon: I. p. 49. Magis frequens est in illis *Ticini* supra *Gugliate* Biroli mss: *Sarzanæ* in alveo *Macræ* copiosa Bertol: l. c. p. 182.). Basi suffrut: Ramosa hirsutiuscula, folia filiformia sparsa, pedunculi axillares folio longiores, spica capitata foliolosa. Variat caule superne etiam lignoso, foliis confertis, capitulis glabriusculis sub-aphyllis (*Pl: genevensis* DC. fl: fr: n. 2314. *Pl: Cynops* var: *β* Poir:).

❋ 16. *Pl: Psyllium* = L. h. Ups: 28. non Sut: = Spr: syst: I. 440. Bertol: fl: ital: II. p. 178. = Moris: hist: III. p. 262. s. 8. t. 17. f. 4. Ic: taur: vol. 1. t. 125. (*Eur*: austr: et or: *Pedem*: abunde in aridis sabulosis *Montisferrati* et *Liguriæ*, circa *Segusium* et *Augustæ Taurin*: secus *Duriam* passim occurrit All: n. 304.? Re fl: segus: p. 16.? In cerealibus sabulosis *Lumellinæ* secus *Padum* et ad *Ticinum* Biroli fl: acon: I. p. 49.? In agro *Nicæensi* DC. fl: fr: suppl: p. 379. *Genuæ* in herbidis *all'Aquasola* et in arvis *Clavarensibus Liguriæ* orient: Bertol: l. c. p. 179. *Sardin*: in sterilibus frequens Moris st: sard: I. p. 38.). Ann: Erecta ramosa villoso-viscida, folia linearia verticillata, pedunculi axillares graciles folio longiores, spica capitata aphylla, corollæ segmenta ovata concava. Cl: Bertol: fl: ital: II. p. 180. stirpem enumeratam ab All:, Re et Biroli amandat ad seq:

❋ 17. *Pl: arenaria* = Waldst: et Kit: pl: rar: hung: I. p. 51. = DC. fl: fr: n. 2315. = Waldst: et Kit: l. c. t. 51. *Pl: indica* Spr: syst: I. 440. ex L. *Pl: Psyllium* Sut: fl: helv: I. p. 85. non L. sec: Gaud: fl: helv: I. p. 404. nec non All:, Re et Biroli sec: Bertol: l. c. (In sterilibus et arenosis *German*: austr:,

Hungar:, *Transylv:*, *Italiæ*, *Galliæ*. *Pedem*: in arvis sabulosis secus *Duriam* et *Sangone* Balbis el: p. 11. Re fl: tor: I. p. 104. In prov: *Albensi* reperit Berterus). Vix differt a priori hirsutie evidentiori, spicis basi foliosis, corollæ segmentis lanceolatis. Nomen *arenariæ* retinui, nam *Pl*: *indica* L., cum qua juncta fuit a Spr:, videtur diversa. Cons: R. et S. syst: III. p. 146. 148. n. 104. 108. Huc quoque spectat ex Spr: *Pl*: *divaricata* Zucc: quam etiam possideo; sed differt foliis patentissimis oppositis nec verticillatis, capitulis aphyllis.

C. *Coronopi*.

✻ 18. *Pl*: *Coronopus* = L. sp: 166. non Sut: = Spr: syst: I. 439. Bertol: fl: ital: II. p. 174. = Fl: dan: t. 272. Ic: taur: vol. 1. t. 124. et vol. 17. t. 11. f. 2. (*Eur*: glareosis. *Pedem*: occurrit in agro *Nicæensi* frequens All: n. 303. Prope *Venariam* in area casealis D. Avondo Re fl: tor: I. p. 103. In pascuis secus *Sessitem* versus *Langosco* rara occurrit ubi foliis pinnatis constanter crescit Biroli fl: acon: I. p. 49. *Sarzanæ* in litore *alla Marinella* copiosissima, *Genuæ* in muro oppidi *a Carignano*, in *Liguria* occidua *a Sestri di Ponente* Bertol: l. c. p. 176. *Sardin*: secus vias Moris st: sard: I. p. 38.). Ann: Pubescens scapigera, folia lineari-lanceolata plus minus pinnatifida, scapi teretes adscendentes folia sub-æquantes vel iisdem longiores, spica sub-cylindracea. Planta valde polymorpha tum statura cum maxime foliorum divisione quandoque fere pinnatorum alias sub-inte-

gerrimorum, spica interdum sub-rotunda vel prolifera. Sic *Pl: Cornuti* Jacq:, *Pl: Columnæ* Gouan:, *Pl: ceratophyllon* Hoffm: *Coronopi* varr: habendæ. *Pl: Coronopus* Sut: fl: helv: I. p. 85. pertinet ad novam stirpem a cl: Gaud: creatam sub nomine *Pl: integralis* fl: helv: I. p. 403.; an recensenda inter varr: supra citatas?

Species dubiæ vel fortassis novæ.

19. *Pl: strigosa* = Bellard: hb: Accedit ad *Pl: Psyllium* n. 16., sed folia duplo longiora pilis raris longiusculis, pedunculi terminales sæpe terni medio duplo triplove breviori, capitula glabra, bracteæ strigosæ (Patria?). = 20. *Pl: fruticosa* = H. Paris: *Pl: pseudo-lusitanica* R. et S. syst: III. p. 121. A *lusitanica* L. vix differre videtur foliis 5-nerviis integerrimis. = 21. *Pl: neglecta* = Guss: ic: fl: sic: t. 70. f. 2. et Prod: I. p. 191. (*Sicil:* in maritimis). Differt a *Pl: Coronopo* n. 18., cum qua illam jungit Bertol:, bractearum figura, et scapi cum foliis proportione; an notæ istæ sufficiunt ad novam stirpem constituendam de planta tam polymorpha? = 22. *Pl: luparis* = Guss: ll. cc. f. 2. et p. 190. (*Sicil:* in pascuis elatioribus montosis). Ludit inter *Pl: serrariam* et *Coronopum*, ad quam pariter amandatur a Bertol:, sed statura humiliori, hirsutie densissima, foliorum laciniis profundissimis dentatis sub-falcatis facile distinguenda. = 23. *Pl: hispidula* = R. et P.? Ita in scheda specim: ex Bertero. *Pl: callosa* Nob: « *Pl:* » acaulis, foliis radicalibus linearibus planis enerviis

» argenteo-pubescentibus basi in petiolum attenuatis » apice nigrescenti-callosis, scapo solitario foliis duplo longiore tereti hispidulo sub spica flavescenti-lanato, spica cylindracea breviuscula, bracteis ovatis » pilosis apice callosis. » Nob: Revera *Pl: hispidulæ* R. et P. præsertim habitu valde propinqua, sed differt *callo* evidentissimo nigro plano quo folia ac bracteæ apice constanter instruuntur, scapo foliis *duplo* tantum non *quadruplo* longiore ac *solitario*, bracteis *membranaceis* potius quam *scariosis*. Hab: *Chili Rancagua*. = 24. *Pl: truncata* = Chamis:? Ita in scheda specim: ex Bertero. Phrasis Spr: c. p. 42. de *Pl: truncata* nimis brevis ut comparationis ope cognoscere valeam an species Berteri quam dubitationis signo ipse notavit eadem sit ac stirps Chamis: Illa exhibet folia radicalia 3-4. lanceolata in petiolum attenuata villosiuscula sub-falcata 1-nervia vix pollicaria, scapum solitarium hirsutum teretem folia paullo superantem, spicam cylindricam rectam semi-pollicarem, bracteas lanceolatas membranaceas villosas, stamina longissime exserta antheris maximis. Hab: cum priori.

II. Littorella Lin: gen: ed: Schreb: n. 1415. = Spr: syst: n. 3108. = Lam: ill: t. 758. (*Monoëc: tetr*: L.).

» *Flores* monoici. Masc: *Perigon*: exter: 4-partitum » longe pedunculatum, inter: tubulosum 4-fidum. » Foem: *Perigon*: exter: 0., inter: sessile 2-4-dentatum. *Styl*: elongatus. *Caps*: 1-sperma. »

Obs: Genus constans unica stirpe (*L. lacustris* L. mant: 295. *Plantago uniflora* L. fl: suec: 128. 135.). Herba perennis acaulis, folia radicalia graminea glabra, scapi masculi 1-flori, flores fœminei sessiles ad exortum scapi masculi. Crescit in herbosis humidis inundatis et circa lacus *Eur*: non in *Italia* quod sciam.

Obs: geographica circa *Plantagineas*.

Plantagineæ per orbem sparsæ circiter . .	100
Plantagineæ pedemontanæ	18

Et sic fere quintam partem constituunt.

Ordo CXXXVII.

NYCTAGINEÆ

(Bartl: ord: nat: p. 109. = *Nyctagines* Juss: gen: p. 90. = R. Br: Prodr: ed: 1. p. 421. ed: 2. p. 277. = J. S. Hill: fam: I. p. 211. t. 37.).

Char: essentialis.

» *Perigon*: simplex involucratum basi persistens » tubulosum sub-coloratum, tubo supra ovarium » coarctato, limbo integro vel 5-dentato æstivatione » plicato. *Annulus* carnosus ovarium cingens (*necta-* » *rium urceolatum* Spr:). *Stam*: definita sæpius 5. an- » nulo inserta tubo perigonii agglutinata, antheris » 2-locularibus. *Ovar*: tubo perigonii tectum 1-lo- » culare 1-ovulatum ovulo erecto. *Styl*: et *Stigm*: 1. » *Fructus* utricularis indehiscens 1-spermus tubo pe- » rigonii indurati inclusus. *Sem*: utriculo adnatum » farinaceo-albuminosum. *Embr*: curvatus peripheri- » cus. *Radic*: infera. *Cotyled*: foliaceæ. *Plumula* in- » conspicua. »

Obs: Ordo præsertim ob fructus structuram prorsus naturalis, nullo alteri arcte affinis, constans 13. generibus, quorum nonnulla pro ordine dubia. Frutices vel herbæ interdum tuberosæ, caule nodoso articulato, foliis integerrimis oppositis sæpius inæqualibus exstipulatis rarissime alternis, flores involucro vario cincti (*calyx* quorundam).

I. Mirabilis Lin: gen: ed: Schreb: n. 283. = Spr: syst: n. 570. = Lam: ill: t. 105. = *Nyctago* Juss: gen: p. 90. (*Pent: mon*: L.).

» *Invol*: 1-phyllum campanulatum 5-lobum 1-
» florum. *Perigon*: (*corolla* quorund:) infundibuli-
» forme coloratum, limbo 5-lobo. *Stam*: 5. *Fructus*
» ordinis. »

Obs: Genus constans 5. stirpibus ex *Indiis*, herbaceis, foliis plerumque cordatis, floribus congestis vel rarius solitariis sæpe conspicuis suaveolentibus. Plures cultæ in hortis europæis ornamenti gratia, inter quas seqq: distinguendæ.

1. *M. dichotoma* = L. am: acad: IV. p. 267. (*Mexico*). Perenn: in loco natali, ann: in hortis nostris. Elata nitida ramis dichotomis, folia cordato-ovata petiolata, flores congesti sub-sessiles perigonio involucrum triplo superante albo vel rubro limbo obtuso noctu fragrantissimo. Venit in hortis uti seqq: sub nomine vernaculo *Maravie d' Spagna*. = 2. *M. Jalappa* = L. sp: 252. (Utraque *India*). Differt a priori floribus pedunculatis, perigonio involucrum sextuplo superante limbo acuto. Variat multimode colore florum ab albo ad purpureum et variegatum. = 3. *M. longiflora* = L. act: Holm: 1755. p. 136. t. 6. f. 1. (*Mexico*). A præcedentibus statim distinguitur foliis sub-sessilibus viscoso-pubescentibus, perigonii tubo gracili longissimo, floribus constanter albis.

II. Oxybaphus Herit: monogr: c: icon: = Spr: syst: n. 199. = *Mirabilis*, *Calyxhymeniæ*, *Calymeniæ*, *Vitmanniæ* spec: quorund: (*Triand*: *mon*:).

» *Involucr*: 5-fidum persistens. *Perigon*: infundi-
» buliforme tubo brevissimo. *Stam*: 3. raro 4. *Fructus*
» calyce explanato grandefacto circumdatus. »

Obs: Numerus staminum et fructus involucro persistente cinctus distinguunt præsertim a præcedenti hocce genus, constans 5. stirpibus peruvianis, herbaceis, habitu *Mirabilis* sed floribus valde minoribus. Seqq: colo in h. Ripul:

1. *O. viscosus* = Herit: l. c. Perenn: Erectus villoso-viscosus, folia ovata sub-cordata acuta, racemi compacti axillares simplices terminales compositi, perigonium parvum purpureo-roseum staminibus longe exsertis. = 2. *O. glabrifolius* = Vahl: en: II. p. 40. *Mirabilis corymbosa* Cav: Undique glaber, folia majora quam in priori, corymbi terminales laxi, involucrum rubescens, perigonium purpureum staminibus inclusis.

III. Allionia Lin: gen: ed: Schreb: n. 151. = Spr: syst: n. 380. = Lam: ill: t. 58. (*Tetrand*: *monog*: L., inter *Dipsaceas* Juss: gen: p. 195.).

» *Involucr*: duplex, commune 3-5-phyllum æquale
» sub-3-florum, proprium (*calyx* Auctor:) integrius-
» culum. *Perigon*: irregulariter infundibuliforme sub-
» 4-lobum cum fructu marcescens. *Stam*: 4. raro 3.
» exserta. *Stigm*: multifidum. »

Obs: Genus ne dum perfecte determinatum, ludens inter *Dipsaceas* ob flores aggregatos in involucro communi ac staminum numerum, et *Nyctagineas*, ad quas magis accedit habitu et fructus structura, constans 8. stirpibus americanis herbaceis, inter quas sæpe culta occurrit *A. nyctaginea* = Michx: bor: amer: I. p. 100. (*Amer:* bor:). Perenn: Erecta glabra carnosula, folia cordata, pedunculi solitarii, involucrum commune 4-phyllum sub-scariosum flores tegens.

IV. Boerhaavia Lin: gen: ed: Schreb: n. 13. = Spr: syst: n. 65. = Lam: ill: t. 4. (*Monand*: *mon*: L., *Diand*: *mon*: Spr:).

» *Involucr*: commune polyphyllum sub-multiflo-
» rum, foliolis squamæformibus deciduis. *Perigon*:
» sub-campanulatum limbo plicato sub-lobato. *Stam*:
» sæpius 1-2. quandoque plura. *Fructus* minimus. »

Obs: Genus constans 15. circiter stirpibus plerisque americanis, nonnullis asiaticis vel africanis, una tantum europæa. Herbæ vel frutices habitu proprio, inflorescentia sæpe in umbellam paniculatam, flores parvi. Colitur plerumque *B. hirsuta* = W. phytog: I. n. 3. *B. hirsuta* et *diandra* L. (*Amer*: merid:, *Carolin*:). Perenn: Viscoso-hirsuta diffusa teres, folia cordato-ovata plus minus puberula, flores ample paniculati diandri. Hic forsan plures species confusæ ab Auctoribus.

V. Pisonia Lin: gen: ed: Schreb: n. 1603. = Spr: syst: n. 1401. = Lam: ill: t. 861. (*Polyg*: *dioëc*: L., *Heptand: mon:* W., Spr:).

» *Flores* sæpius dioici. *Perigon*: sub-nudum cam-
» panulatum plicatum limbo semi-5-fido. *Stam*: 6 -
» 10. in plicis limbi exserta. *Fructus* pentagonus. »

Obs: Genus constans stirpibus 12. circiter fere omnibus americanis, 1. ex *Ind*: orient:, 1. ex *N. Holl*: Frutices vel arbores quandoque aculeatæ foliis oppositis alternisve, floribus umbellatis vel corymbosis minutissime bracteatis. Nonnullæ cultæ in calidariis europæis ubi difficillime florent, et occurrit sæpius *P. fragrans* = Spr: syst: I. 168. ex Desf: (Patria?). Arborea inermis glaberrima, folia brevi - petiolata ovata nitida sub - coriacea; flores paniculatos dicunt Auctores, sed illos numquam obtinui nec vidi in siccis; folia exsiccatione nigrescunt uti in ceteris stirpibus.

Obs: geographica circa *Nyctagineas.*

Nyctagineæ per orbem sparsæ circiter . .	60
Nyctagineæ pedemontanæ	0

Ordo CXXXVIII.

AMARANTHACEÆ

(R. Br: prodr: ed: 1. 413. = Bartl: ord: nat: p. 297. = *Amaranthoideæ* Vent: tabl: II. p. 264. = *Amaranthorum* sect: I. et II. Juss: = J. S. Hill: fam: I. p. 204. tab: 35. = *Chenopodieæ* Spr:).

Char: essentialis.

» *Perigon*: simplex scariosum vel herbaceum per-
» sistens definite partitum post anthesim immutatum.
» *Stam*: perigonii segmentis opposita eisque numero
» æqualia raro pauciora libera vel monadelpha per-
» sistentia, quandoque filamenta sterilia stamina al-
» ternantia. *Ovar*: 1 - loculare 1 - vel multi - ovula-
» tum. *Stigm*: 2 - 4. stylo stipitata, rarius connata.
» *Fructus* utricularis capsularis vel carnosus 1 -locu-
» laris. *Sem*: solitaria vel rarius plura fundo loculi
» adfixa farinaceo-albuminosa. *Embr*: curvatus peri-
» phericus. *Radic*: prope hilum sita. »

Obs: Ordo naturalissimus *Paronichieis* (vol. II. p. 469. 470.) et *Chenopodieis* fructificatione affinis, habitu tamen proprio, constans 31. generibus, quorum nonnulla obscura. Herbæ, suffrutices vel frutices plerumque plagas calidiores habitantes, foliis sparsis vel alternis raro oppositis simplicibus integris penninerviis stipulatis vel exstipulatis, floribus parvis interdum unisexualibus sæpius bracteis coloratis cinctis

glomeratis vel glomerato-spicatis aut paniculatis. Cons: Mart: in act: acad: Leopold: carol: XIII. part: 1.

I. Amaranthus Lin: gen: ed: Schreb: n. 1431. = Spr: syst: n. 1095. = Lam: ill: t. 767. (*Monoëc*: *pent*: L., *Pent*: *digyn*: Spr:).

» *Flores* monoici. *Perigon*: 3 - 5 - partitum. *Stam*: » 3-5. libera. *Styl*: 2-3. *Utriculus* circumscissus 1 - » spermus. »

Obs: Genus constans ex Spr: stirpibus 45. circiter admodum adauctis a cl: Martio l. c., per orbem sparsis, nonnullis europæis, extricatu difficillimis ob magnam inter ipsas affinitatem, in duas sectiones artificialiter divisis sc: *triandræ* et *pentandræ*. Herbæ annuæ, foliis alternis integerrimis sæpe coloratis, floribus minutissimis glomeratis. Nonnullæ cultæ in hortis ob varietatem foliorum et spicæ structuram ac colorem.

Sect: I.

Triandri.

* 1. *A. albus* = L. sp: 1404. = Spr: syst: I. 927. = W. amar: p. 9. t. 1. f. 2. (*Pensyl*:, *Gallia* austr: *Pedem*: circa *Taurinum* et *Venariam* minime rarus Re fl: tor: II. p. 127. Ad sepes *Sardin*: australior: Moris st: sard: I. p. 38.). Tetragonus ramosus glaberrimus, folia sub-rotunda vel oblonga sub-emarginata cum setula, glomeruli minimi axillares sæpe bini vel 2-partiti, bracteæ lanceolatæ spinosæ perigonium superantes.

❀ 2. *A. Blitum* = L. sp: 1405. = Spr: syst: I. 927. = Lobel: ic: t. 250. Ic: taur: vol. 22. t. 63. Vern: *Piumet*, *Biona*, *Couarous*, *Gẹlosie* etc. uti aliæ species indigenæ. (*Eur*: temperatior: *Pedem*: ad vineas et in ruderatis maceriisque frequens All: n. 1092. In feracibus arvis et in hortis Re fl: segus: p. 79. In arvis et hortis locis umbrosis vulgaris, crescit quoque ad oppidum *Novariæ* Biroli fl: acon: II. p. 120. Ad vias prope *Albam* reperit Berterus. *Sardin*: ad vias Moris st: sard: I. p. 38.). Angulatus diffusus glaber, folia sub-ovato-triquetra emarginata sine setula, glomeruli axillares sub-spicati, bracteæ lineares perigonium sub-æquantes. Huc pertinere videtur, monente etiam cl: DC., *A. adscendens* (Loisl: fl: gall: suppl: p. 141., Re fl: tor: II. p. 123.) penes nos vulgaris in hortis et ruderatis, differt enim solummodo statura undique majori et caule adscendente.

❀ 3. *A. spicatus* = Lam: fl: fr: II. p. 192. = DC. synops: p. 199. = *A. viridis* All: n. 2093. non L. *A. sylvestris* Loisl: fl: gall: suppl: p. 140. sec: Re fl: tor: II. p. 123. (*Gallia* in agris sterilibus lapidosis ruderatis DC. l. c. *Pedem*: secus *Duriam* utramque All: l. c. In collibus et in planitie, neque deest in *Venariæ* arvis Re l. c. sub *A. sylvestri* et fl: segus: p. 79. sub *A. viridi*. Ad oppidum *Novariæ* locis saxosis Biroli fl: acon: II. p. 120. sub *A. viridi*. *Albæ* locis cultis ex Bertero). Planta valde dubia. *A. viridis* L. non est certe planta ab All: sub eodem nomine enumerata, uti constat sive ex syn: Lam:, sive ex diagnosi L. comparata cum nostra planta; insuper illa *Amer*: merid: incola; *A. sylvestris* Loisl: et *spi-*

catus Lam: omittuntur a Spr: Cl: Poir: dict: suppl: I. p. 313. *A. sylvestrem* et *viridem* Vill: non L. refert ad *A. prostratum* Balb:, ac distinguit *A. spicatum* Lam: cui tribuit syn: *A. viridem* All: non L. Lux major erui non potest a specim: nostris sub variis allatis nominibus; omnia conveniunt in characteribus præcipuis, exceptis spicis quæ modo glomerulis paucis, modo plurimis compositæ occurrunt; in illis quæ habeo sub nomine *A. spicati* glomeruli secus spicam paniculæ speciem constituunt. Forsan ex eodem typo omnes progenies? Videtur.

4. *A. tricolor* = L. sp: 1403. (*Ind*: orient:). Undique in hortis cultus ad ornamentum; folia ovato-oblonga superiora ex rubro viridi et albo colorata, glomeruli axillares sessiles in capitulum parvum conferti. Variat foliis superioribus unicoloribus sc: *purpureis* (*A. bicolor* Nocca).

* 5. *A. prostratus* = Balb: misc: bot: p. 44. t. 10. = Spr: syst: I. 228. = *A. viridis* Vill: sec: Poir: et W. *Chenopodium polyspermum* Bertol: pl: gen: ed: 1, p. 41. n. 84. excl: syn: (*Ital*: super:, *Gallia. Pedem*: secus muros urbis *Aquensis* præsertim ad fontem calidum *la Bojenta* dictum, tum in *Liguria* ac prope *Loano* frequens Balb: l. c. Ad muros retro hortum *del Monastero di S. Croce* et hortis *Comitis Morozzo*, frequens *a Moncalieri* et ad vineas *Taurinenses*, prope *il Casino di Campagna*, prope *Ripulas* Re fl: tor: II. p. 128. *Genuæ* ubique in viis campestribus et semitis ad muros Bertol: am: ital: p. 208. *Sardin*: ad vias Moris st: sard: I. p. 38.). Striatus prostratus,

folia longe petiolata rhombeo - ovata glaucescentia, glomeruli sub-spicati ramosi interdum in axillas sessiles simplices, utriculi oblongi perigonium acutum excedentes. Variat radice perenni et floribus diandris (*A. perennis* BELLARD: hb:). Possideo specim: ex plantis enatis in h. Ripul: e seminibus *Chili* lectis a BERTERO, quæ non differunt a nostro *A. prostrato*.

Sect: II.

Pentandri.

* 6. *A. retroflexus* = L. sp: 1407. = Spr: syst: I. 929. = W. amar: p. 33. t. 11. f. 21. (*Ital:, Amer: bor: Pedem*: ubertim in arvis RE fl: tor: II. p. 129. *Sardin*: ad muros MORIS st: sard: I. p. 38.). Flexuosus villosiusculus ramis retroflexis, folia ovato - oblonga undulata, spicæ crassæ erectæ axillares et terminales ramosæ glomerulis dense confertis.

7. *A. sanguineus* = L. sp: 1407. (*Ind*: occid:). Elatus simplex, folia oblonga supra lucida subtus rufa, spicæ elongatæ flagelliformes atrosanguineæ inferiores sub-simplices terminales compositæ, glomeruli sub-interrupti. Colitur undique ornamenti gratia ob magnitudinem et colorem spicarum cum *A. cruento* = L. sp: 1406. (*China*), et cum *A. caudato* = L. h. Cliff: 443.

II. ÆRUA Forsk: ægypt: p. 170. = Spr: syst: n. 919. (*Pent: monog*: L.).

» *Perigon*: 5-sepalum bracteatum. *Stam*: alterna-

» tim sterilia basi in urceolum coalita. *Styl*: 1. stig-
» mate 2-fido. *Utric*: 1-spermus. »

Obs: Genus creatum a cl: Forsk: pro una tantum stirpe (*Æ. tomentosa*), nunc duas alias pro genere dubias comprehendens ex Spr: Herbæ ex *Ægypt*: vel *Ind*: orient: valde lanatæ, foliis integerrimis plus minus anguste ovatis, floribus dense spicatis. Cultam habeo *Æ. tomentosam* = Forsk: l. c. (*Ægypt*:, *Arab*:). Speciosissima ob lanam densissimam albo-flavicantem qua omnes plantæ partes obducuntur, folia ovato-lanceolata, panicula terminalis amplissima ramis dense spicatis, spicæ cylindricæ, flores imbricati. *Achyrantes alopecuroides* Lam:, quam huc esse referendam dubitavit Poir: dict: suppl: I. p. 152. pertinet ad *Æ. javanicam* Juss: (*Illecebrum javanicum* W. excl: syn: L. et Forsk:).

III. Celosia Lin: gen: ed: Schreb: n. 405. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 917. = Lam: ill: t. 168. = *Celosiæ* et *Lestibudesiæ* sp: R. Br: (*Pent*: *mon*: L.).

» *Perigon*: 5-fidum coloratum 2-3-bracteatum.
» *Stam*: 5. basi nectario plicato in tubum coalita.
» *Styl*: 1. *Stigm*: 1. capitatum (in *Celosia* R. Br:)
» aut 3-4. filiformia (in *Lestibudesia* R. Br:). *Fru-*
» *ctus* capsularis fundo perigonii tectus horizontaliter
» dehiscens 1-locularis oligospermus. »

Obs: Genus constans 20. circiter stirpibus, inter quas nonnullæ dubiæ, omnes exoticæ ex regionibus calidioribus præsertim *Indiarum*. Herbæ rarissime frutices habitu *Amaranthi* ac ut ipsi nonnulli culti in hortis europæis ad ornamentum, inter quas occurrunt

sæpius = 1. *C. argentea* = L. h. Cliff: 43. (*Ind:* or:, *China*, *Japon:*). Ann: Erecta ramosa, folia alterna ut in omnibus stirpibus lineari-lanceolata integerrima subtus tomentosa stipulis sub-falcatis, spicæ terminales solitariæ oblongo-conicæ scarioso-argenteæ, stigm: 1. capitatum. Variat foliis exstipulatis, spicis albis nec scariosis (*C. pyramidalis* Burm:, *albida* W.). = 2. *C. cristata* = L. h. Cliff: 43. (Utraque *Ind:*, *Japon:*, *China*). Vix differt a priori foliis acutioribus et sæpius acuminatis, spicis axillaribus terminalibusque compositis compressis. Variat foliis plus minus angustis, spicarum forma et compositione, semper tamen plus minus cristatis nec conicis, colore florum ex purpureo flavo numquam albo. Venit penes Hortulanos nostros sub nomine vern: *Cręsta d' gal*, *Gęlosìa.*

IV. Gomphrena Lin: gen: ed: Schreb: n. 441. excl: paucis stirpib: = Spr: syst: n. 931. = Lam: ill: t. 180. = *Gomphrenæ*, *Bragantiæ*, *Celosiæ*, *Philoxeri*, *Illecebri*, *Ophlotecæ* spec: quorund: (*Pent: mon:* L.).

» *Perigon:* 5-partitum irregulare 2-3-bracteatum » coloratum. *Tubus* cylindricus (*nectarium* L.) ovario » longior (in *Gomphrena* R. Br:) vel brevior (in » *Philoxero* R. Br:) antheras 5. 1-loculares inter- » jectis sæpe squamulis gerens. *Stigm:* 2. *Utriculus* » 1-spermus basi tubo antherifero cinctus. »

Obs: Genus e fructus structura præsertim a *Celosia* distinctum, nunc constans 50. circiter stirpibus præsertim ex *Amer:* austr:, inter quas plures novissimæ ex cl: Martio, nonnullis ex *N. Holl:*, herbaceis

rarius arborescentibus habitu proprio sc: foliis oppositis nec alternis uti in majore *Amaranthacearum* parte, floribus plerumque capitatis capitulis basi foliatis vel aphyllis aut rarius spicatis, ex quo optimæ generis divisiones statuuntur. Longitudo tubi staminis respectu ovarii satis mihi non videtur ad genus distinctum constituendum, maxime cum habitum *Philoxeri* stirpes *Gomphrenis* simillimum ferant. Communis est in hortis nostris sub nomine vern: *Perpetue*, *Perpetuine G. globosa* = L. h. Cliff: 86. (*Ind*: orient:). Ann: Erecta ramosa pilosa, folia ovato-lanceolata sub-spathulata, capitula terminalia globosa solitaria basi diphylla, tubus antherifer ovario longior dentatus, perigonium lanatum, bracteæ alatæ. Variat floribus rubris vel albo-argenteis.

V. Iresine Lin: gen: ed: Schreb: n. 1519. = Spr: syst: n. 928. = Lam: ill: t. 813. = *Iresines*, *Celosiæ*, *Hebanthes*, et *Trommdorffiæ* spec: quorund: (*Dioëc*: *pent*: L., *Pent*: *mon*: Spr:).

» *Flores* dioici. *Perigon*: 5-partitum regulare bra-
» cteatum. *Stam*: 5. in urceolam coalita, antheris
» 2-locularibus. *Styl*: 1. *Stigm*: 2. *Utriculus* 1-sper-
» mus. »

Obs: Sexus, staminum structura, et inflorescentia secernunt præsertim hoc genus a præcedenti, cui ceterum habituque valde affine. Constat autem 12-15. stirpibus americanis, quarum nonnullæ pro genere obscuræ. Herbæ foliis oppositis, floribus paniculato-spicatis. Colitur in hortis *I. celosioides* = L. sp: 1456. *Virginiæ* incola, ann: erecta, foliis inferioribus late

ovatis superioribus ramisque ovali-lanceolatis, panicula ramosissima foliosa diffusa, glomerulis secus paniculæ ramos ovato-oblongis pedicellatis argenteo-albis.

VI. Achyranthes Lin: gen: ed: Schreb: n. 404. exclusis nonnullis stirpib: = Spr: syst: n. 925. = Lam: ill: t. 168. = *Celosiæ* et *Illecebri* spec: quorund: (*Pent: mon*: L.).

» *Perig:* 5-raro 4-partitum regulare 3-bracteatum.
» *Stam:* basi in urceolum connata squamulis inter-
» jectis, antheris 2-locularibus. *Styl*: 1. *Stigm*: 1.
» capitatum. *Utriculus* 1-spermus. »

Obs: Genus vix distinctum ab *Illecebro* bracteis evidentioribus spinescentibus atque antheris 2- nec 1-locularibus, recedens tamen ab ordine *Paronychiearum* ob staminum insertionem in *Illecebro* uti in ceteris *Paronychieis* manifeste *perigynam* (Vid: supr: vol. I. p. 464. et seqq:). Stirpes 15. circiter ex utraque *India*, nonnullæ australasicæ, 1. europæa. Herbæ vel rarius suffrutices.

1. *A. argentea* = Lam: dict: I. 539. *A. aspera* var: α *sicula* L. (*Sicilia*, *Sardin*: ad dumeta in litore orient: Moris st: sard: I. p. 38.). Perenn: Ramosa villosiuscula, folia opposita ovata acuta pubescentia subtus argentea, spicæ terminales graciles elongatæ, flores parvi scariosi albo-viridescentes, perigonium demum reflexum.

VII. Desmochæta DC. cat: h. Monsp: I. p. 101. = Spr: syst: n. 926. = Rheed: mal: VII. t. 43. = *Pupaliœ* spec: Juss: ann: mus: II. p. 132. = *Achyranthes* spec: alior: (*Pent*: *monog*:).

» *Bracteœ* fasciculis setarum apice uncinatarum in-
» terpositis. *Urceolus* staminum squamulis destitutus.
» Cetera *Achyranthes*. »

Obs: Genus statutum in dispendium *Achyranthes*, cui habitu simillimum, constans 7-10. stirpibus exoticis præsertim ex *Ind*: orient: , quarum nonnullæ valde dubiæ. Colo *D. atropurpuream* = DC. l. c. p. 102. *Achyranthes lappacea* L. (*Ind*: orient:). Suffrut: Erecta glabriuscula, folia opposita ovata acuminata asperiuscula, spica terminalis interrupta fasciculis florum inferioribus pedunculatis superioribus sessilibus atro-purpureis.

Obs: geographica circa *Amaranthaceas*.

Amaranthaceœ per orbem sparsæ circiter .	190
Amaranthaceœ pedemontanæ	5

INDEX

ORDINUM ET GENERUM

IN IV. VOLUMINE CONTENTORUM

A

ACANTHACEÆ . . . 502
Acanthus 507
Achimenes 327
Achras 102
Achyranthes . . . 582
Acynos 463
Adenophora 3
Ægiphila 486
Ærua 578
Agathelpis 500
Ajuga 401
Alecterolophus . . . 361
Allamanda 135
Allionia 571
Aloysia 495
AMARANTHACEÆ . . 574
Amaranthus 575
Amsonia 134
Anagallis 536
Anarrhinum 320
Anchusa 245
Andersonia 62
Andrewsia 482
Andromeda 71
Androsace 528
Anguillaria 95
Anisomeles 404
ANTIRRHINEÆ . . . 304
Antirrhinum 318
Aphelandra 504
APOCYNEÆ 128
Apocynum 130
Arbutus 73
Arctostaphylos . . . 74
Ardisia 95
ARDISIACEÆ 93
Arduina 138
Armeria 552
ASCLEPIADEÆ . . . 142
Asclepias 147
Asperifoliæ 218
Asperugo 252
Atropa 280
Azalea 86

B

Badula 94
Bæbotrys 52
Ballota 451
Barleria 509
Bartsia 357
Bellardia 357
Bertolonia . . . 482
Besleria 46
Betonica 452
Beureria 258
Bignonia 183
BIGNONIACEÆ . . 182
Blaïria 491
Blepharis 508
Boerhaavia 572
Bonelia 101
Bonnaya 325
Bonplandia . . . 196
Bontia 482
BORRAGINEÆ . . 218
Borrago 244
Bourreria 221
Bragantia 580
Browallia 321
Brugmansia . . . 283
Brunsfelsia . . . 374
Buchnera 351
Budleja 258
Budleja 352
BUDLEJEÆ 352
Bumelia 97

C

Calceolaria . . . 329
Caldasia 196
Callicarpa 488
Calotropis 150
Caluna 63
Calystegia 198
Campanula 2
CAMPANULACEÆ . . 1
Canarina 2
Cantua 194
Capraria 258
Capsicum 265
Cardiaca 449
Carissa 137
Castelia 491
Catalpa 185
Celosia 579
Celsia 297
Centunculus . . . 538
Cephalostigma . . . 3
Cerbera 136
CEREACEÆ 144
Cerinthe 227
Ceropegia 154
Cervicina 36
CESTREÆ 261
Cestrum 260
Chaiturus 449
Chelone 305
Chimaphila . . . 79
Chionanthus . . . 104
Chironia 177
Chlora 173
Chrysophyllum . . . 99
Citharexylum . . . 491
Cladostyles . . . 206
Clerodendron . . . 485
Clethra 76
Clinopodium . . . 471
Cobæa 188
Collæa 95
Collinsonia . . . 387
Collonia 195
Columnea 327

Colydermes 280
CONVOLVULACEÆ . 197
Convolvulus . . . 198
Cordia 219
Coris 540
Cornutia 437
Cortusa 520
Crescentia . . . 375
Cressa 207
Cuminia 417
Cuscuta 209
Cyclamen 517
Cynanchum . . . 151
Cynoglossum . . . 263
Cyrilla 79

D

Datura 283
Desmochæta . . . 583
Dianthera 504
Dichondra 209
Dicliptera 504
Digitalis 306
Dilivaria 507
Dimia 153
Diospyros 105
Dodecatheon . . . 518
Dracocephalum . . . 458
Duranta 490

E

EBENACEÆ . . . 104
Echites 129
Echinospermum . . . 257
Echium 235
Ehretia 221
Ellisia 216
Elsholtzia 423
Elytraria 508
Empetrum 89
EPACRIDEÆ . . . 80
Epacris 80
Eranthemum . . . 500-505
Erica 53
ERICEÆ 53
ERICINEÆ 48
Erinus 350
Erythræa 169
Euphrasia 343
Evolvulus 206
EXACEÆ 174
Exacum 174

F

Falkia 208
Fontanesia 111
Fraxinus 112
Freylinia 258

G

Galeobdolon . . . 431
Galeopsis 431
Gardoquia 468
Gaultheria 76
Gelsemium 187
Geniosporum 473
Gentiana 157
GENTIANACEÆ . . . 157
GENTIANEÆ . . . 156
Gesneria 45
GESNERIEÆ 45
Ghinia 492
Gilia 192
Glechoma 437
Globularia 542
GLOBULARIÆ . . . 542

Gloxinia 47
Gomphocarpus . . . 150
Gomphrena . . . 580
Gonolobus 152
Goodenia 41
GOODENOVIEÆ . . 37 - 41
Gratiola 324
GUAJACANEÆ . . . 104

H

Halesia 107
Halleria 375
Harrachia 505
Hebanthes 581
Hebenstreitia . . . 501
Heliotropium . . . 224
Hemimeris 298
Herpestes 314
Hoitzia 195
Hornemannia . . . 326
Hottonia 533
Hoya 146
Hydrolæa 212
HYDROLÆÆ . . . 212
HYDROPHYLLEÆ . . 214
Hydrophyllum . . . 215
Hyosciamus . . . 286
Hyptis 443
Hyssopus 421

I J

Jaquinia 101
Jasione 34
JASMINEÆ . . . 109
Jasminum 117
Icacorea 95
Illecebrum . . . 580
Imbricaria . . . 102
Incarvillea 187
Ipomœa 198
Ipomeria 192
Ipomopsis 192
Iresine 581
Justicia 503

K

Kæmpfera 492
Kalmia 85

L

LABIATÆ . . . 384
Lamium 434
Lantana 496
Lathræa 382
Lavandula 411
Ledum 88
Lejophyllum . . . 88
LENTIBULARIEÆ . . 511
Leonotis 456
Leonurus 449
Lepechinia 470
Leptocarpus . . . 492
Lestibudesia . . . 579
Leucas 456
Ligustrum 120
LILACEÆ 109
Limnanthemum . . . 173
Limosella 376
Linaria 309
Lindernia 323
Linociera 125
Lippia 495
Lisianthus 177
Lithospermum . . . 229
Littorella 567
Lobelia 37

LOBELIACEÆ . . . 37
Loeselia 195
Logonieæ 156
Lophanthus . . . 422
Lophanthus . . . 422
Lucuma 100
Lumnitzera . . . 474
Lycium 262
Lycopersicum . . . 276
Lycopsis 240
Lycopus 385
Lyonia 76
Lysimachia . . . 534
Lysinema 81

M

Maesa 52
Mandragora . . . 282
Manulea 349
Marrubium . . . 454
Martynia 189
Maurandia . . . 308
Maylina 94
Melampyrum . . . 370
Melissa 462
Melittis 472
Mentha 423
Menyanthes . . . 172
Menziesia 70
Michauxia 2
Microcadon . . . 3
Microcoma . . . 154
Mimulus 322
Mimusops 102
Mindium 2
Mirabilis 570
Mitreola 179
Molucella 457
Monarda 386
Monneria 314
MONOCHLAMIDEÆ . 546
Monotropa . . . 92
MONOTROPEÆ . . 91
Moschosma . . . 474
Musschia 3
MYOPORINEÆ . . 481
Myoporum . . . 482
Myosotis 241
Myrsine 94
MYRSINEÆ . . . 93

N

Navarretia . . . 194
Nemesia 321
Nemophila . . . 215
Nepeta 438
Nepeteæ 401
Nerium 131
Nicandra 280
Nicotiana 285
Nicotianeæ . . . 283
Notelæa 125
Nuciferæ 227
NYCTAGINEÆ . . 569
Nyctago 570
Nyctanthes . . . 110

O

Ocymum 473
Olea 122
Oleaceæ 109
Onosma 234
Ophiorrhiza . . . 179
Ophiospermæ . . . 93
Ophloteca 580
Origanum 415
Orminum 462

Orobanche . . . 379
OROBANCHEÆ . . 378
Orthoriphon . . . 473
Orvala . . . 434
Oxybaphus . . . 571

P

Pederota . . . 348
Panzeria . . . 449
Parsonsia . . . 129
Patagonula . . . 219
PEDALINÆ . . . 189
PEDICULARES . . . 289
Pedicularis . . . 361
Pentstemon . . . 305
Pergularia . . . 147
Perilla . . . 410
Periphragmos . . . 194
Periploca . . . 143
PERSONATÆ . . . 289
Petrea . . . 490
Petritia . . . 487
Petunia . . . 286
Phacelia . . . 216
Philoxerus . . . 580
Phlomis . . . 455
Phlox . . . 195
Phyllirea . . . 121
Physalis . . . 277
Phyteuma . . . 27
Pinguicula . . . 513
Pisonia . . . 573
Pityrodia . . . 488
PLANTAGINEÆ . . 555
Plantago . . . 556
Platycodon . . . 3
Plectranthus . . . 474
PLUMBAGEÆ . . . 547
PLUMBAGINEÆ . . 546
Plumbago . . . 547
Plumeria . . . 140
Pogonia . . . 482
POLEMONIACEÆ . . 191
Polemonium . . . 192
Pollichia . . . 251. 434
Porana . . . 206
Prasium . . . 459
Premna . . . 488
Primula . . . 521
PRIMULACEÆ . . 516
Prismatocarpus . . 3
Priva . . . 491
Prostanthera . . . 478
Prunella . . . 460
Pulmonaria . . . 233
Pupalia . . . 583
Pychnanthemum . . 418
Pyrola . . . 77

R

Ramondia . . . 296
Rapanea . . . 94
Rauwolfia . . . 139
Reichardia . . . 308
RHINANTHEÆ . . . 353
Rhinanthus . . . 361
RHODERACEÆ . . . 82
Rhododendron . . . 82
Rhyospermum . . . 125
Rochefortia . . . 180
Rochelia . . . 257
Roemeria . . . 94
Rosmarinus . . . 399
Royena . . . 106
Ruellia . . . 506
Russelia . . . 328

S

Salpiglossis 186
Salvia 387
Salvieæ 385
Samara 94
Samolus 539
SAPOTEÆ 97
Satureja 418
Schweyckherta . . . 173
Scleroxylon . . . 94
Scoparia 176
SCROPHULARINÆ. . 269
Scrophularia . . . 299
Scutellaria 475
SELAGINEÆ . . . 499
Selago 500
SESAMEÆ . . . 189
Sesamum 190
Sibthorpia 349
Siburatia 52
Sideritis 412
Sideroxylon . . . 98
Solandra 282
SOLANEÆ . . . 260
Solanum 266
Soldanella 519
Specularia 3
Spielmannia . . . 493
Spigelia 178
Spigelieæ 178
Stachys 444
Stachytarpheta . . . 494
Stapelia 144
Statice 548
Staticeæ 548
Stemodia 326
Steripha 209
Steris 212
STRYCHNEÆ . . . 127
Strychnos 127
STYLIDIEÆ . . . 43
Stylidium 44
Styraceæ 104
Styrax 107
Swertia 168
Symphiandra . . . 3
Symphytum . . . 250
Symplocos 108
Syringa 110

T

Tabernæmontana . . 133
Tamonea . . . 491-492
Tecoma 185
Teucrium 404
Thumbergia . . . 510
Thymbra 469
Thymeæ 458
Thymus 463
Tiaridium 223
Tortula 491
Tournefortia . . . 222
Tournefortieæ . . 219
Tozzia 373
Trachelium . . . 27
Trevirana 327
Trientalis 532
Trichodesma . . . 251
Trixago 357
Trommsdorffia . . . 581
Tubiflora 508

U

Usteria 308
Utricularia . . . 512

V

VACCINIEÆ . . . 49
Vaccinium . . . 49
Varronia 219
VERBASCEÆ . . . 290
Verbascum . . . 290
Verbena 493
VERBENACEÆ . . 484
VERBENEÆ 490
Veronica 332
VERONICEÆ . . . 332
Vestia 194
Villarsia 173
Vinca 132
Vitex 489
VITICEÆ 485
Volkameria . . . 486

W

Wahlembergia . . . 3
Walfenia 348
Waldschmidia . . . 173
Waltheria 422
Westringia . . . 400
WESTRINGIEÆ . . . 400
Witheringia . . . 276

X

Xenopoma . . . 373

Z

Zapania 491

V. ex deleg. D. D. Arch.

SCIOLLA

V. Imprimatur:

VACHINI pro Magna Cancellaria.

Augustae Taurinorum die 7 augusti anno 1835.

